De exaltacione sancte crucis  B 9
De exaltacione sancte crucis  D primo
De sancto Michaele  B x
De sancto Andrea  D 2
De omnibus sanctis  B x1
De cena Domini  D 3
De animabus  B x2
De nupciis  D 4
De dedicacione ecclesie  B x3
De prima dominica adventus  C 5
De nativitate Domini  B x4
De 2ª dominica  D 6
De circumscisione Domini  B x5
De 3ª dominica  D 7
De tribus regibus  B x6
De 4ª dominica  D 8
De concepcione Marie  B x7
De resurreccione Domini  D 9
De purificacione Marie  B x8
De sex propter que solent homines desperare D x
De annunciacione Marie  B x9
De passione Domini  B x
De resurreccione Domini  D xiii
De resurreccione Domini  B xx1
De passione Domini  D xii
De ascensione Domini  B xx2
De pulchro notabili miraculo
De nativitate Domini  B xx3
In die nativitatis Christi

## Stella clericorum[8]

*Quasi stella matutina in medio nebule* [Eccli. 50,6] sc. peccatorum. Proprietates hujus stelle matutine possunt referri ad quemlibet doctorem fidei sc. sacerdotem. Et continentur in istis versibus: Lucis splendorem fert secum, fert quoque rorem, ingens dat letum vigilansque decens, preit ipsum solem, defectui lucra commitans hiemisque tempore lucescit, cedens estate quiescit. Glosa: Lucis splendorem fert secum ut ibi [Mat. 5,14]: *Vos estis lux mundi*. Fert quoque rorem sc. in predicacione ut ibi [Ps. 17,12]: *Tenebrosa aqua est nubibus aeris*. Ingens est ut ibi [Heb. 10,21?]: *Ecce sacerdos magnus*. Dat letum sc. facit letum audientem predicacionem, qui est in tenebrarum ignorancia. Vigilansque dicitur ut ibi [Luc. 12,37]: *Beatus servus quem, cum venerit dominus, invenerit vigilantem* etc. Decensque dicitur per bonam famam et honestam conversacionem.

Preit ipsum solem sc. Christum qui est verus sol justicie, sicut miles suum dominum precedit in inimicos suos occidendo suo gladio acuto, ut mortui vivant Christo. Defectui lucra commitans sc. sancte ecclesie per passionem. Unde [2.Cor. 11,29]: *Quis infirmatur et ego non infirmor?* Hiemisque tempore lucescit sc. in tempore tribulacionis apparet in colore fidei. Cedens estate quiescit sc. in vivendo a furore, luxuria et a ceteris viciis, unde potuit transgredi et non est transgressus. Salomon [Eccles. 12,1]: *Memento creatoris tui*. Et apostolus [1.Cor. 12,5]: *Divisiones ministracionum sunt in ecclesia Dei* sc. activi, contemplativi et prelati. Unusquisque in sua vocacione et in suo ordine vel ministracione vel officio **[1r$^2$:]** intendat ut virtuose et fideliter in vivendo operetur.

Unde Chrisostemus: Multi sunt prelati et sacerdotes nomine sed pauci dignitate. Unde apostolus: Melius est esse pauci et utiles quam multi et inutiles. Lucas [10,2]: *Messis quidem multa, operarii vero pauci* sc. fideles et veri. Jheronimus: Si caritas facit precium in rebus honestis, nil carius Deo et hominibus habentibus racionem bono utilique pastore. Johannes [10,11]: *Pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis*. Unde ter dictum est beato Petro [Joh. 21,15-17] : *Peter, amas me?* Glosa: Amas me plus quam tuos cognatos et amicos, plus quam tuas res temporales, plus quam teipsum? *Pasce oves meas*.

Unde Dominus in evangelio [Luc. 14,26 et Mat. 10,37]: *Qui amat animam suam plus quam me, non est me dignus*. Apostolus [2.Tim. 3,2]:

---

[8] By Laurentius de Dacia

*Erunt homines seipsos amantes* qui suum honorem et commodum plus diligunt quam honorem Dei. Augustinus in libro de doctrina christiana: Illi vere Deum diligunt, qui nil aliud quam ut nomen Dei glorificare exercent. Unde pauci volunt sustinere propter Christum paupertatem, contemptum, dolorem, sed cupiunt divicias, honores et suavitates hujus mundi. Tales enim non suscipiunt curam animarum vel prelaturas propter onus vel propter jugum Domini, sed propter honorem. Cura enim animarum non debetur honori sed oneri. Sequitur.

**[1v[1]:]** Multiplex est enim questio quomodo sacerdos vel pastor curam suam intraverit, vel quomodo in ea vixerit vel qualiter eam rexerit vel patrimonium crucifixi expenderit, vel ad quem finem eam susceperit, vel ut pascat gregem sibi commissum verbo et bono exemplo vel ut pascatur a grege. Unde hoc nomen pastor derivatur ab hoc verbo pasco etc. et a pastor eris. Unde illud Jeremie [Ez. 34,8]: *Pastores pascebant se et gregem meum non pascebantur.* In ultima enim racione reddenda dicit Joseph sc. Christus, qui est verus Joseph, fratribus suis sc. pastoribus ecclesiarum [Gen. 43,3]: *Amen dico non videbitis me donec minimum [fratrem] vestrum adduxeritis.* Glosa: Qui minimum requirit, non obliviscitur majorem. Unde illud [Gen. 9,5]: *Sanguinem ejus de manu tua requiram* sc. animam ejus gregis. Tot mortibus digni sunt negligentes pastores quot negligunt animas.

Unde videat quisque pastor vel sacerdos quomodo curam suam intret, vel quomodo eam regat vel qualiter in ea vivat vel propter quem finem eam susceperit vel quomodo patrimonium crucifixi, ut dictum est, expendat, ne a Domino objiciatur in reddendo racionem, ironice [Mat. 22,12]: *Amice,* sc. temporalium rerum et non animarum, *quomodo huc intrasti non habens vestem nupcialem* sc. caritatem, quia non semper propter caritatem sc. Deum, qui est vera caritas, curam tuam intrasti ut gregem tibi commissum pasceris verbo et bono exemplo, sed ut pasceris **[1v[2]]** ab eo ut negligens et ociosus et vivens voluptuose et luxuriose, et eo obmutescenti dicit Dominus [Mat. 22,13]: *Ligatis eum manibus,* ne posset se defendere, *et pedibus,* ne possit fugere, *projicite eum in tenebras exteriores* sc. flammas perpetue urentes, quia plus dilexit lucrum temporale quam animas, pro quibus filius Dei mortem sustinuit. Et quia hic vixit deliciose et totus exspiravit in peccatis, totus exspiret eternaliter in penis. Et quantum glorificatus est in deliciis vite hujus, tantum locum date ei in tormentis, et facite ei montem in inferno, et ardeat ut oleum in flamma.

Unde Isaias [22,17]: *Apportari te faciam sicut gallum vel gallinaceum, qui portatur de foro pedibus sursum erectis et diverso capite et decoquitur in olla.* Sic tu coqueris in olla jehennali variis cruciatibus, ut pena correspondeat culpe, quia non cantasti non generasti, et tamen major reputabaris, sicut gallus gallinaceus altior est aliis. Cum alicui beneficium porrigitur gaudet, sed non querit quis sanctorum patronus sit in ecclesia, sed quantum valeat in temporalibus. Unde jam pauci [considerant], quomodo curam suscipiunt vel intrant, aut qualiter eam regunt vel qualiter in ea vivunt secundum Deum. Nec simoniam abhorrent, sed heu jam in pluribus dominatur. Gregorius: Si quis ea intencione gradus ecclesiasticos vel beneficia querit ut inde habeat vite necessaria, hic perverso **[2r¹:]** ordine esset celestia mercari. Longe enim melius esset mendicare vel arare, unde viveret.

Unde Johannes [10,1]: *Qui non intrat in ovile per ostium, hic fur est et latro,* sed ascendit aliunde per ostium sc. per Christum. Fur est furando sibi virtutes ab aliis, latro est occidendo animas. Fur non venit nec ut furetur, mactet et prodat. Furetur virtutes, mactet corpus, prodat animam in jehenna. Quilibet pastor vel sacerdos tenetur in se habere tria sc. scienciam, eloquenciam et bonam vitam.

Scienciam debet habere divinorum librorum et eorum intelligenciam, in quibus Deum cognoscat se et alios. Unde Bernardus: Multi sciunt multa, seipsos autem nesciunt. Qui seipsum non cognoscit, nil scit. Hec est enim probatissima sciencia inter philosophos. Scolares enim dicunt: Cognosce teipsum. Augustinus in libro de sancta trinitate Dei prefert sciencie celestium, terrestrium et infernorum propriam cognoscere infirmitatem. Unde versus:, Domine, da mihi scire te, cognoscere me, diligere te.

Eloquenciam debet habere discretam ut ea, que scit et intelligit, aliis predicet ne abscondat pecuniam Domini sui, quasi esset canis mutus in domo sc. in ecclesia. Unde Isaias [58,1]: *Clama, ne cesses, et annuncia populo scelera eorum.* Tullius: Melius est eloqui cupiose et prudenter quam aliquid sine eloquencia acutissime cogitare. Idem: Eloquencia est sciencia recte proferendi excogitationes cum ornatu verborum et pondere **[2r²:]** sentenciarum. Sed efficacius est audire quam audiri. Ideo tenetur sacerdos habere eloquenciam et sentenciam.

Unde Gregorius: In sciencia sacerdotis nec est venia nec est excusacio. Daniel [12,3], alibi Ezechiel: *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti sc. sol, et qui ad justiciam erudiunt multos, erunt quasi stelle in perpetua eternitate.* Unde apostolus [1.Tim. 5,17]:

*Duplici honore honorandi sunt sacerdotes* primo propter officii dignitatem 2º propter doctrinam, precipue illi qui fideliter laborant in evangelio, quia ordo fidelium prelatorum est precipuus vitam bonam habere, ut quid ore predicant opere compleant. Actuum primo [1,1]: *Cepit Jhesus facere et docere.* Jheronimus: Quid enim est aliud bene loqui aut predicare et perverse vivere quam proprio ore seipsum condempnare.

Origenes: Qui alium non instruit seipsum docere non potest. Gregorius: Non in splendore verborum predicator glorietur sed in opere virtutum. Jheronimus: Doctorum est manum lapsis porrigere adjutricem et errantibus ostendere iter veritatis. Gregorius: Bonus doctor est qui humiliter servat disciplinam et per disciplinam non incurrit superbiam. Chrisostemus: Vis bonus apparere, circa vitam tuam esto austerus circa aliorum peccata benignus, audiant **[2v$^{1}$:]** te homines parva mandantem et gravia facientem. Gregorius: Cujus vita despicitur, restat ut ejus predicacio contempnatur.

Quivis enim pastor sive sacerdos sit sedulus in cura sibi commissa et in ambicione fidelis predicator et preco Domini, ut parat Domino perfectam plebem in cathedra, ut pius et discretus judex in confessione, mediator inter Deum et peccatorem. Unde Chrisostemus: Melius est propter misericordiam Dei reddere racionem quam propter crudelitatem, nam ubi paterfamilias est largus, dispensator ejus non debet esse tenax. Sed Deus est benignus utique sacerdos austerus. Sit eciam sacerdos vel pastor pius in afflictorum compassione et hospitalitate et in eleemosynarum pro posse largicione duplici sc. corporali et spirituali. Spiritualis continetur [in] hoc versu: Corrigo, parco, precor, doceo, fero, consulo, solor. Corrigo sc. errantem, parco sc. inimicis, precor sc. pro inimicis, doceo insipientes, fero sustinentes, consulo pusillanimes, solor tribulantes.

Corporalis continetur in hoc versu: Colligo, poto, cibo, redimo, tego **[2v$^{2}$:]**, visito, condo. Sunt eciam septem species eleemosyne. Prima est quam homo sibimetipsi dat. Unde Salomon [Eccli. 30,24]: *Miserere anime placens Deo.* Idem [Eccli. 14,5]: *Qui sibi nequam cui bonus.* 2ª eleemosyna ponitur supra pedes Domini, quam dat hostiatum mendicantibus, peregrinis, et hospites in hospicio colligendo propter Deum. Unde Is. [58,7]: *Frange panem tuum esurienti.* Augustinus: Eleemosyna est ungentum, quo Maria Magdalena unxit pedes Domini sc. pauperes, qui sunt membra ejus, ungebat.

3[a] ponitur in gremium Domini, que datur leprosis, infirmis et captivis precipue inter paganos. Unde Eccli. [29,15]: *Absconde eleemosynam in sinu pauperum.* 4[a] ponitur in manus Domini, quam homo dat viduis et orphanis et illis, quos pudet mendicare, et qui magnum defectum sustinent. Propter honorem temporalem, precipue autem quam dat amicis et cognatis indigentibus. Unde illud [Is. 58,7]: *Et carnem tuam ne despexeris.* Cato: Innotum tibi tu noli preponere notis. 5[a] ponitur supra cor Domini, cum homo dimittit offensas sibi illatas verbis vel rebus injuriose ablatis et sic de aliis. Unde [Luc. 6,37]: *Dimitte et dimittetur vobis.*

6[ta] ponitur in os Domini, quando quis offert ad aram pro suo posse de rebus juste acquisitis, ubi offertur sacrosanctum **[3r[1]:]** corpus Domini pro salute vivorum et mortuorum, et cum quis dat sacerdotibus eleemosynam cujusque professionis vel ad calicem vel ad ornamentum et decorem domus Domini. Unde apostolus [Galat.6,10]: *Operemur bonum ad omnes, dum tempus habemus, maxime autem ad domesticos fidei* et doctores sc. sacerdotes, qui sunt fidei illuminatores.

7[ma] est cum qua corpus Christi vestitur, que datur pro mortuis qui sunt in purgatorio. Unde in libro Machabeorum [2.Machab.l 12,46]: *Sancta ergo et salubris est cogitacio etc.* Sancta est pro compassione, salubris pro eleemosynarum largicione. Unde Ambrosius: Date eleemosynam et munda vobis erunt omnia. Daniel [4,24]: *Redime eleemosynis peccata.* Bernardus: Eleemosyna data in via est lucerna, que animam illuminat ne cadat in eternas tenebras. Idem: O homo, si jejunas in hoc non differs a diabolo, quia numquam comedit. Si vigilas, ipse numquam dormit. Si continens, ipse numquam cognovit. Si silencium tenes, ipse numquam verbis defluit. In hoc solum maxime diabolum superas, si eleemosynis operam prestas.

Beda: Frustra adorator manus suas expandit ad Deum, qui eas ad subveniendum pro posse suo pauperi non extendit. Apostolus[1. Tim. 4,8?]:*Pietas ad omnia valet,***[3r[2]:]** nam si quis lubricam carnis patitur, voluptatem vapulabit, sed non peribit. Jheronimus: Non memini me legisse aliquem esse dampnatum in hoc seculo, qui vitam duxit liberalem. Gregorius: Numquam est vacua manus a munere aut preter munus, ubi est arca cordis repleta bona voluntate. Augustinus: Qui dat propter presentem pudorem ut interpellat, tedio careat et meritum perdat. Unde versus: De facili leta cum leticia faciei ni dederis, perdis rem meritumque rei. Unde apostolus [2.Cor. 9,7]: *Hilarem datorem diligit Deus*. Augustinus: Eleemosyna est res sancta, augens penitenciam,

minuens peccata, separans a demonibus, jungens angelis et quasi murus inexpugnabilis circa animam. Thobias [4,11-12]: *Magna fiducia est eleemosyna coram Deo omnibus facientibus eam.* Idem: *Eleemosyna ab omnibus peccatis liberat et non sinit animam introire ad tenebras.* Salomon [Eccli. 3,33]: *Sicut aqua extinguit ignem sic eleemosyna peccatum.* Eleemosyna enim extinguit ignem peccati, ignem ire Dei et ignem totius jehenne. Sequitur.

**[$3v^1$:]** Jam dictum est de duplici eleemosyna sc. spirituali et corporali et de speciebus ejus cum auctoribus probatis. Nunc dicendum est de suffragiis, quibus sacerdos animabus existentibus in purgatorio tenetur suffragari, quorum eleemosynis usus est et utitur. Quibus animabus purgandis in penis purgatorii annus pro die statuitur in penitencia in hac vita neglecta vel non peracta. Que anime sunt $3^a$ pars ecclesie expectantes in purgatorio liberacionem. Exemplum de filiis Israel per desertum transeuntibus per xl annos, qui xi [xl?] diebus transissent, si contra Deum non peccassent.

Triplex enim dicitur ecclesia sc. in mundo militans in celo triumphans in purgatorio expectans, ut dictum est, liberacionem, que $4^{or}$ modis possunt subveniri. Versus: Missa, preces, dona, jejunia. $4^{or}$ ista absolvunt animas, quas purgans decet ignis, qui ignis vel que pene purgatorii sunt graviores et acerbiores omnibus penis martyrum et generibus tormentorum, qui in hoc mundo a tyrannis poterint excogitari vel adinveniri. Quarum animarum numerus omnium hominum viventium multitudinem excedit. Unde Augustinus: Nescit quid petit, qui purgatorium petit. O dulcis Deus, quam dulce erit in hoc seculo satisfacere. Dico gravius in purgatorio esse, quamdiu **[$3v^2$:]** oculus potest claudi vel aperiri, quam ista pena quam habuit beatus Laurencius in craticula. Unde una lacrima de puro corde prolata plus purgat quam decem anni in purgatorio. Tamen inter duo mala minus malum est eligendum. Unde anime clamant ut dicunt [Job 19,21]: *Miseremini mei saltem, vos amici mei.[quia manus Domini tetigit me]* Duplex enim manus in hoc loco intelligatur ut manus tangentis sc. in purgatorio animas purgans expectantes liberacionem, et manus dampnantis sc. in inferno.

Unde Machabeorum [2.Machab. 12,46]: *Sancta et salubris est cogitacio pro defunctis orare*, sancta per compassionem carorum, salubris per eleemosynarum largiciones et oracionem fidelium et precipue sacerdotum, quibus anime committuntur. Quia eleemosyne sunt cibus animarum, oracio vero potus, jejunium magna est refeccio et

convivium, peregrinacio carorum penarum alienacio [et] erepcio. Indulgencia vero data prodest prout hii meruerunt, dum viverent. Unde legitur in commendacionibus animarum: Deus cui soli competit medicinam prestare post mortem sc. indulgenciam, quia ibi anime sunt de foro ecclesie expectantes liberacionem sc. in purgatorio, suas manus Domini tetigit, ut predictum est. Pre omnibus autem remediis, quibus anime existentes in purgatorio possunt subveniri, missa precellit. Gregorius: O quam mirificum donum Dei, quia numquam divina celebratur misteria, quin ibi concurrunt duo virtuosa opera sc. unius peccatoris conversio vel ad minus unius anime de purgatorio liberacio.

Unde caveant heredes **[4r$^1$:]** parentum et carorum mortuorum et commissarii testamentorum et maxime sacerdotes et ceteri, quibus anime committuntur, vel quorum eleemosynis usi sunt vel utuntur, ne in aliquo modo eis hec remedia subtrahant vel deferant, quia eorum viaticum est et quia pro furto et summo sacrilegio eis reputatur. Quia primo mortaliter peccant in Deum qui eos sanguine suo redemit. $2^o$ in sanctos et in omnes angelos de quorum collegio sint, dum liberantur. $3^o$ peccant in animas existentes in purgatorio, quia impediunt earum absolucionem. $4^o$ peccant in omnes christianos vivos, pro quibus anime liberate a penis orarent et intercederent ad Dominum.

Pro quibus negligenciis tales, si non satisfecerint, presenti graviter puniantur vel in futuro seculo condempnabuntur. Sequitur ut supra dictum est, ut quivis sacerdos vel pastor sit sedulus et fideliter sollicitus pro grege sibi commisso sc. pro vivis et defunctis et non personarum acceptor, quia Christus uno eodem precio sc. sanguine omnes redemit, ut mereatur a Domino commendari dicente [Mat. 25,21-23]: *Euge, serve bone, quia super pauca fuisti etc.*

Quo ergo ordine censetur ille, qui semper absens est a cura sua, nec preest ut pastor, nec regit ut mercenarius. In illo, estimo, ordine in quo [Job 10,22] *nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*. Bernardus: Miror clericos aliud esse quam quod **[4r$^2$:]** apparent. In vestitu et habitu aliquantulum sunt clerici, questu et non actu neutrum exercent, nec regunt se ut clerici deberent, nec pugnant ut laici, sed inordinate quamplures ex eis vivunt contra canones et statuta ecclesie, confundantes seipsos et totius cleri honestatem. Et quia cum omnibus perverse viventibus moribus et vita participantur, omni pena in futuro puniantur. Unde Origenes: Unumquodque, quod est peccatum, habet suum demonium et unumquodque demonium habet suum supplicium.

Attendite ergo, o vos sacerdotes, ad quid vocati estis, electi et constituti, ut predictum est. Servite Deo in sanctitate et justicia. Unde apostolus [1.Thess. 4, 7]: *Non enim vocavit vos Dominus in immundiciam, sed in sanctificacionem.* Unde idem [1.Thess. 4,3-4]: *Hec est enim voluntas Dei, sanctificacio vestra, ut sciat unusquisque vas suum possidere* sc. corpus suum. Augustinus: Quid prodest si castitas in corpore servatur et mentis integritas intus polluitur. Cesarius: Virginitas in corpore nil prodest, si caritas a corde et humilitas discedit, nec jam carnis integritas servatur, si animus tumore superbie corrumpitur. Bernardus: Superbie castitas non est vera castitas sed diaboli prostibulum et **[4v$^1$:]** ornatum.

Augustinus: Attendite et omnes advertite, o vos sacerdotes, in quanta puritate et tremore debetis accendere ad istud sacrificium, ad quod Christus accessurus pre angustia sanguinem sudavit, ubi ipse sacerdos mirabile et ineffabile sacrificium optulit juxta illud [Ps. 109,4 - Hebr. 5,6 et 7,17]: *Tu es sacerdos in eternum secundum ordinem Melchisedech.* Unde dicatis cum propheta [Ps. 118,10]: *In toto corde meo exquisivi te etc.* [Ps. 50,12:] *Cor mundum crea in me,* Deus, sc. restaura et *spiritum rectum innova in visceribus meis,* ut te perfecte diligere et digne laudare merear.

Quid ergo dicendum est de sacerdotibus manifeste cohabitantibus cum mulieribus vel adulteris vel fornicantibus vel proprias oves violantibus et ebriosis lusoribus et secularibus negociis pluribus et vanitatibus imbutis et implicatis. Committimus eorum consociis et prelatis. Jheronimus: Alieni erroris non est nostrum reddere racionem sed prelatoris. Bernardus: Integritatis tue sis diligens explorator, non aliene. Quid ergo judicandum est de illis qui sponsam Christi violant. Jheronimus: Sicut scelestius est sacrosanctam ecclesiam temerarie destruere quam domum plebeam, ita scelestius est violare sponsam Christi quam uxorem proximi legitimam. Glosa Leviticum :Cum demones super omni peccato gaudeant maxime fornicacione et precipue in sacerdotibus et **[4v$^2$:]** religiosis, qui sunt ministri altaris.

Jheronimus: Acerbiora jehenne tormenta sunt, quibus fornicatores et adulteri debentur. Idem: Quid tibi cum mulieribus competit sociari, o sacerdos, qui ad altare Deo famularis. Unde metrisca: Femina sex Sathane, rosa fecens, dulce venenum. In cujus loco stas, dic sacerdos, qui eisdem labiis oscularis filium virginis, quibus osculatus es labia meretricis vel filiam Veneris in loco Jude, cui dicitur Luc. [22,48]: *O Juda, filium hominis osculo tradis*. Bernardus: O sacerdos, os tuum

efficitur quotidie sepulchrum Christi. Quomodo ex ore egreditur falsitas, per quod ingreditur veritas. Si ipse Christus, quomodo oculi tui aspiciunt vanitatem, qui inspiciunt veritatem sc. Christum? Quare manus tue extenduntur ad illicita, que tenent et tractant tenentem omnia? Quare te ingurgites vino, qui plenus esse deberes spiritu sancto?

Augustinus: Si sacerdos fuerit vas incontinencie et libidinis, juxta filium virginis in altari statuet idolum Veneris, et cum ore profert verba canonis, os ejus amaritudine et dolo plenum est. Quamvis orat cum labiis, tamen in faciem exspuit salvatoris. Et cum sumit corpus dominicum in os suum pollutum, lenius esset ei et melius quod ipsum projiceret in lutum. Bernardus: Vere sacerdotes, qui in carne ambulant, Deo placere non possunt, sed placere meretrici presumunt. Idem: Turpissimum est manus Deo dedicatas sacro chrismate consecratas pudende **[5r$^{1}$:]** mulieri ingerere, et post hoc sacrosanctum corpus dominicum tangere.

Canon: Nullus presumat audire missam a presbitero, quem pro certo noverit habere concubinam. Augustinus in decretis capitulo xl$^{o}$ de vita presbiterorum dicit: Plus placet Deo mugitus bovum sive leonum et grunitus porcorum sine sensu quam cantus presbiterorum in choro cantantium luxuriantium. Gregorius in decretis xl$^{o}$ capitulo: Si quis presbiter, diachonus vel subdiachonus jacuerit in infamia fornicacionis, inhibeo ei introitum ecclesie, donec satisfaciat de mala fama sua Deo et populo, et si non satisfaceret, inhibeo vobis ne aliquis vestrum audeat audire officium ejus, quia omnes benedicciones ejus vertuntur in maledicciones, testante Malachia propheta [2,2]: *Maledicam, inquit, malediccionibus [benediccionibus] vestris,* [Is. 1,15:] *quia manus vestre plene sunt sanguine.*

Bernardus: O quam temerarium et nepharium est pollutis manibus tractare filium virginis et ore sordido sumere. Que mens non rapitur ad excessum, quis oculus non erubescit, quis audiens non terretur, ubi mundi precium projicitur in sterquilinium sc. in os immundi sacerdotis. Mirum est quod non veretur talis angelum Dei stare juxta se, qui secet eum per medium, et tales bene possunt vocari **[5r$^{2}$:]** presbiteri Susanne. Augustinus: O tu indigne sacerdos, noli me amplius affligere peccando. Plus enim vulnus peccati tui ledit quam vulnera lateris mei. Idem: Magis delinquunt qui jam regnantem in celis contempnunt peccando sc. corpus Christi indigne tractantes et sumentes, quam qui crucifixerunt eum ambulantem in terris, non quasi crucifixores, sed quasi tanti sacramenti indigni confectores et presumptiosi peccatores, sumptuosi perceptores,

quia illi semel crucifixerunt Christum in terris, isti autem, quantum in eis est, totidem eum vicibus crucifigunt sc. indigne sumentes. Ambrosius: Qui indigne Christum sumit, ille est si ipsum interficit.

Augustinus: Melius est spiritualia omittere quam indigne tractare vel tangere. Idem: Inter omnia misericordie Dei opera, que ab inicio impensa sunt saluti hominum, nil mirabilius, nil excellencius quam pro mundo crucifixus est Dominus. Leo papa: Magis admiranda est Dei humilitas quam sua majestas.

Augustinus: Minima gutta sanguinis Christi suffecerit ad redempcionem generis humani, sed copiosior sanguinis porcio data est ut copiosior claresceret affectus nos diligentis. Bernardus: Patet amor Christi nos diligentis in vulnere lateris sui. Augustinus: Plus placet Deo ululatus canum et luporum quam cantus immundorum clericorum. **[5v[1]:]** Attende ergo, o homo, quantum pro te datum est, et maxime tu, sacerdos, qui corpus et sanguinem tractas Domini.

Timendum vero est quod Dominus tales sacerdotes, ut dictum est, non expandet sed magis provocant eum ad iracundiam. Unde illud [Deut. 32,5 et 19]: *Provocaverunt filii ejus et non filie,* sed Belial *in sordibus* sc. in peccatis. Ideo Domino non placent sed magis offendunt, nam et loca sacra que tangunt et calcant, quamdiu sunt in mortalibus peccatis obstinati, contaminant. Bernardus: Sacerdos sine offensa vivat qui pro offensis Deum judicem interpellat, ne offensum potius ad iracundiam provocet quam compescat. Augustinus: Majus prejudicium Deus non patitur in mundo ab omnibus hominibus viventibus, quam a sacerdotibus carentibus sciencia et vita laudabilitatis et honoris. Gregorius: Nil est quod tantum offendit ecclesiam Dei et nocet, quam quod indigni assumuntur ad virgam sive curam animarum.

Unde prelati quidam nunc temporis parum curant, quos ad ordines recipiunt vel admittunt, vel quibus in sacerdotes promovendos manus imponunt. Unde laici jam clerum sacerdotum vilipendunt, et claves ecclesie nimirum [minime?] curant et dignitatem sacerdotum, quia negligentes et ceci sunt duces eorum. Apostolus [1.Cor. 9,27]: *Cavendum est ne cum aliis predicaverim, ipse reprobus efficiar*. Predicant quod non sit mechandum et ipsi mechantur. Non fraudendum et ipsi furantur, **[5v[2]:]** et cetera vicia tam verbis quam factis inordinate viventes perficiunt. Hec omnia predicta prelatis committimus et ecclesiastice correccioni corrigenda.

O vos prelati et presbiteri, in vobis pendent anime vestrorum subditorum vobis commissorum. Presbiter dicitur quasi prebens iter

gregi sibi commisso, verbo et vite bone exemplo et eciam pro posse temporale subsidium. Et non tamen querat lucrum rerum temporalium sed animarum, pro quibus filius Dei sustinuit mortem. Unde Dominus [Ez. 34,10 ?]: *Ovem perditam de manu pastoris requiram.*

Dicitur enim quinque modis sacerdos. Primo quasi ad sacra dotatus sc. in sacris ordinibus, quia ipse in summo gradu est, qui est sacerdocium. 2° dicitur quasi sacris deditus sc. sacramentis ad sacrificandum sacramenta. 3° quasi dans sacra. Dat enim baptismum, confessionem, penitenciam, indulgenciam, eucaristiam, benediccionem, extremam unccionem. 4° dicitur doctor quia docet sancti evangelii [doctrinam] et articulos recte fidei. 5° dicitur dux quasi ducatum prebens et iter populo Dei ad regnum celorum verbo sane doctrine et bone vite exemplo. Unde sacris dotatus et sacris deditus atque sacra docens et dux sacer esto, sacerdos.

Legitur enim in 3° libro Regum [3.Reg. 10], cum regina Saba in aula Salomonis esset intuita ordines ministrantium ad mensam regalem et omnem cultum et ornatum curie et familie, pre ceteris laudavit pincernarum ordinem. Erant autem unius habitus. Aula Salomonis ecclesiam significat, regina mensam summi regis sc. altare, in quo conficitur, tractatur et sumitur et fideliter **[6r$^{1}$:]** ministratur sacrosanctum corpus Christi, cui mense diversi sacerdotes deserviunt et angeli infiniti, qui dicuntur virtutes celorum. Hujus mense sc. altaris sacerdotes sunt pincerne, qui debent esse ejusdem habitus et unius conversacionis in aula summi regis, ut possunt dicere cum Ps. [54,15]: *In domo Domini ambulamus cum consensu* sc. in Dei voluntate. Qui sc. sacerdotes pre omnibus sunt electi et constituti ad divina libamina infundenda ad honorem summi regis et ejus familie sc. fidelibus propinanda.

Unde dicitur de eis per prophetam [Is. 52,11]: *Mundamini, qui fertis vasa Domini* sc. preparate illi corda vestra in omni virtute et mundicia interius et exterius. Interius per caritatem exterius per bonam famam et honestam conversacionem, ut digni sitis bibere vinum [Ps. 74,9] *de manu Domini vino mero plenius calice.* Ps.[22,5]: *Calix meus inebrians quam preclarus est.* Cant. [Prov. 9,5]: *Bibite vinum quod miscui vobis* sc. in mea passione sanguinem et aquam de meo latere profluctam, et [Cant. 5,1] *inebriamini vino mee delectacionis.* Non tamen dico mero sed meratissimo sc. illius uve de qua legitur [Deut. 32,14] *ut biberent sanguinem uve meratissimum* sc. sanguinem filii virginis intemerate. Uve, dico, illius vitis qui dicit [Joh. 15,1]: *Ego sum vitis vera et pater meus agricola*. Nobilis est vinea in qua pater celestis est agricola,

**[6r[2]:]**nobilis vitis filius Dei est, et nobiles palmites sc. apostoli, nobile vinum ejus. Sacerdotes sunt pincerne illius sanctissimi vini sc. sanguinis Christi, qui profluxit de torculari, quod Dominus solus in ara crucis, dum pateretur, calcavit, qui omnibus in eum credentibus sanguinem uve predicte propinaret meratissimum, quem assumpsit homo factus de mundissima carne virginis Marie gloriose.

Eia, vos sacerdotes, pincerne viri Salomonis sc. Jhesu Christi, et camerarii, secretarii et dispensatores ministeriorum Dei, diligenter attendite in quo gradu et dignitate sitis constituti sc. super omnia bona Domini. Unde Augustinus: Quid plus potuit Deus dare sacerdotibus quam seipsum creare, tractare, sumere et ministrare. Ergo redite ad cor et inspicite illud insigne privilegium vestre dignitatis. Bernardus: Elegi in sacerdotem dignum mansionis habitaculum in vase vitreo, quia licet vitrum de vili materia sit, tamen probatur clarius super aurum et argentum. Sic quilibet sacerdos quamvis sit peccator, tamen prelucet omnibus aliis regibus et principibus et est dignior omni creatura. [1.Pet. 2,9:] *Vos estis genus electum, gens sancta, regale sacerdocium, populus acquisicionis,* non solum temporalis eleccionis sed eterne predestinacionis. Elegit Dominus ante mundi constitucionem, qui nondum eratis nisi predestinati.

Et est notandum quod predestinacio nil aliud est quam gracie vel glorie **[6v[1]:]** preparacio sc. gracie in presenti et glorie in futuro. Unde Augustinus super illo verbo [Joh. 15,16]: *Elegi et preelegi.* O presbiter sive sacerdos, nota sic te Deus elegit. [Luc. 16,2:] *Redde racionem villicacionis tue.* Quid vel quod in hoc seculo elegeris, unde Deus ulcionem a te requirit, quia scriptum est [Luc. 12,48]: *Cui plus donavit, plus requiretur ab illo.*

O veneranda sacerdotum dignitas, si digne et sacerdotaliter vixeritis, intra quorum manus velut in utero virginis filius Dei incarnatur. O celeste misterium quod per vos pater et filius et spiritus sanctus tam mirabiliter operantur, ut uno eodem momento idem Deus, qui presidet in celo, in manibus vestris est sacrificium. Gregorius: Super hoc tam insigni privilegio stupet celum, miratur terra, veretur homo, horrescit infernus, contremiscit diabolus, veneratur [veretur?] angelica celsitudo.

Quid ergo retribuam Domino pro omnibus, que retribuit mihi verbi gracia. Iste qui creavit me, dedit mihi creare se. Qui me creavit sine me, creatur me ante me. Quid ergo retribuam Domino pro tam singulari dono sacerdocii mihi impenso, quod est datum optimum et donum perfectum, quasi dicat: Nescio nisi duo minuta sc. corpus et animam, corpus in

servicium et animam in laudem. Unde Ps. [145,2]: *Lauda, anima mea, [Dominum]* etc.

**[6v²:]** Considerate igitur inenarrabilem vestre excellencie dignitatem, quod vos Deus non solum pre cetero genere honoravit sed et pre cunctis creaturis, quas ad laudem et gloriam nominis sui creavit. Unde Dominus [Jer. 1,10]: *Ego constitui te super gentes et regna* ut evelles peccati maculam et edifices corda hominum penitenciam agere volentium, et disperdas errores et plantes virtutes in animabus vivificandis. Unde Dominus [Joh. 15,16]: *Ego vos elegi* de mundo *et posui vos* ad graciam, *ut eatis* volendo *et fructum afferatis* fideliter operando, *et fructus vester maneat* in eterno congregando.

Bernardus: Nullus carior Deo est quam fructus animarum, pro quo mortem sustinuit filius Dei. Augustinus: Quis enim in omnibus hominibus Deo lucratur animas, quis eas per baptismum regenerat, quis eas per confessionem et penitenciam revocat et revocatas sacramento eucaristie sacrosancte cibat, quasi dicat: Nullus nisi sacerdos. Malachias [2,7]: *Labia sacerdotum custodiunt scienciam* sc. Dei, quia angelus Domini exercituum est, angelus in conversacione, angelus in divinarum graciarum accione, angelus in ardore caritatis, angelus in subjeccionis humilitate, salva reverencia angelorum quorum infinitus est numerus. Dico quod majores estis quam angelis et precellitis dignitatem eorum largo modo loquendo, quod numquam alicui angelorum tradidit Deus, quod datum est unicuique sacerdotum, cum hoc dixit [Mat. 16,19]: *Quecunque ligaveris super terram etc.*

**[7r¹:]** Nota due claves sunt sc. sciencie et potestatis date a Domino beato Petro et ceteris hominibus et non omnibus, sed solis sacerdotibus suis. Licet enim solus Deus peccata remittit, tamen vel raro sine suis ministris sc. sacerdotibus, quod potest probari per leprosos quos tamen Dominus mandasset dicens [Luc.17,14]: *Ite ostendite vos sacerdotibus* et humiliter obedite, *et dum irent mundati sunt*. Probari eciam potest per Lazarum, quem cum Dominus suscitasset a mortuis, dixit discipulis suis [Joh.11,44]: *Solvite eum et sinite abire.*

Et quare Dominus non solvit eum a vinculis cordis, qui solverat eum a vinculis mortis, et quare non misisset Mariam et Martham ejus sorores solvere, vel judeos cognatos ejus qui erant ei propinquiores debito naturali quam discipuli Domini. Per hoc evidenter patet et probatur quod solis sacerdotibus data est potestas a Domino ligandi atque solvendi. Ecce quanta Dei benignitas et sacerdotum dignitas, quia ipse Dominus quandoque per malos bonum operatur et hoc ideo, ne

claves ecclesie ab infidelibus vilipendantur, quod si aliquid sacerdotes non habent ex merito, tamen habent ex officio dignitatis, et si quis sacerdotum indignus sit, quod absit, hoc sibi non tibi. Capitulum.

Ecce quanta potestas vobis sacerdotibus data est, quia lingue vestre facte sunt claves celi. Bernardus: O quantam dignitatem contulit vobis Deus, quanta prerogativa ordinis sacerdotalis pretulit vos regibus terre, **[7r$^{2}$:]** pretulit hunc ordinem omnibus hominibus, immo ut altius loquar, pretulit vos angelis, thronis et dominacionibus. Sic enim non angelos sed semen Abrahe apprehendit ad faciendam redempcionem. Sic non angelis sed hominibus sc. solis sacerdotibus corporis et sanguinis sui commisit consecracionem. Nota quod in quinque verbis sacerdotes stantes ad altare et dicentes [1.Cor. 11,24-25]: *Hoc est enim corpus meum*, quibus verbis Dominus dedit vim conficiendi in cena prelatis vel lanceacione[9]] sanguine et aqua de suo latere profluente dicebatur: *Hoc facite quotienscunque sumitis in meam commemoracionem* sc. ob mei amoris memoriam, quem exhibui vobis in cruce passus pro vobis. Bernardus: Tunc celi celorum aperiuntur, et ipse Christus qui est in sinu patris, mox venire dignatur in manibus sacerdotis, cui virtutes celorum deserviunt, et panis in altari in verum corpus Christi et vinum in ejus sanguinem convertitur et transmutatur et sub modica forma panis totus velatur Deus verus et homo.

Unde Is. [45,15:] *Vere tu es Deus absconditus* sc. in hoc pane ut medicina sub nebula. Ps. [138,14]: *Mirabilia opera tua*, Domine sc. in hoc sacramento corporis et sanguinis tui, *et anima mea cognoscit nimis* sc. credendo firmiter. Cum ergo tante dignitatis sit sacerdos quod sit creator sui creatoris et totius creature, ipsum perdere vel dampnare inconveniens est. **[7v$^{1}$:]** Unde Isidorus: Sicut patrem interficere filium impossibile est, sic creatorem perdere creaturam inconveniens est. Sicut in ecclesia reliquie sanctorum, quorum anime in celis sunt, conduntur, sic ipse Deus requiescit in corpore digni sacerdotis. Unde Augustinus: Elegi et preeligi mihi cor digni sacerdotis in habitaculum dignum mee mansionis tamquam in vase vitreo. Licet vitrum sit de vili materia, tamen splendidius est auro et argento. Sic sacerdos prelucet dignior et major coram Deo omnibus hominibus regibus et principibus hujus mundi cum sua dignitate.

Unde honorandi sunt sacerdotes, quibus Deus tantam in mundo pre omnibus hominibus contulit graciam et honorem. Unde Dominus [Luc. 10,16]: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit*. Apostolus

[9] Evidently something has been skipped here

[Galat. 5,10]: *Qui vos conturbat* sc. indebite, *judicium portabit.* Unde Zacharias propheta [2,8]: *Qui vos tangit, offendit pupillam oculi mei.* Unde Dominus in Ps. [104,15]: *Nolite tangere christos meos,* quos eciam prophetas vocat, *et in prophetis meis nolite malignari.*

Legitur de Alexandro rege magno, quod cum venit Jherusalem ad expugnandum eam, occurrit ei sacerdos judeorum in ornatu pontificali. Quesivit rex quis esset, et dixerunt ei quod esset sacerdos altissimi Dei. Ipse vero rex descendens ab equo humiliter inclinando **[7v$^{2}$:]** honoravit eum. Item judei per eum optinuerunt graciam regis.

Quanto magis sacerdotes christianorum hujus temporis honorandi sunt, quia ipse Deus honoratur in ipsis, cujus camerarii sunt et ministri. Unde Salomon [1. Reg. 2,35]: *Dabitur illis* sc. sacerdotibus electum *Dei donum et sors in templo Dei altissimi.* Sors duplex sc. gracie et glorie. De sorte gracie Ps. [30,16]: *In manibus tuis sortes mee* sc. ordo et vita eleccionis. De sorte glorie unde Daniel 21$^{o}$ [10-11]: *Stabis in sorte tua in fine dierum*. Ecce [Sap. 5,5:] *computati sunt* sacerdotes *inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est* sc. sacerdotum. Merito igitur [Daniel 3,84] *gaudete et benedicite, vos sacerdotes Domini, Domino laudate et superexaltate eum in secula,* qui vos ad tantam gloriam elegit.

Venit filius Dei querere et non seducere, salvare et non dissipare sicut mali prelati de quibus Sapiencia [6,6?]: *Durum est judicium hiis qui male intrant, durius hiis qui postquam introierunt male vivunt, durissimum hiis qui male presunt.* Tres sunt questiones, quomodo intrasti, quomodo vixisti, quomodo rexisti. De primo [Mat. 22,12-13]: *Amice, quomodo intrasti non habens vestem nupcialem.* Si forte canonice intrasti, non per violencias, non per precium, **[8r$^{1}$:]** non per sanguineitatem, adhuc restat qua intencione, aut per caritatem aut per cupiditatem. Si propter Deum intrasti, facias que Dei sunt, sicut qui venit ad forum faciat propter illa, propter que venit. *At ille obmutuit,* quia non precavit sibi de hac questione. Quia oculus ejus non erat simplex sc. intencione, ideo totum corpus erat tenebrosum. Unde Dominus: *Mittite eum in tenebras exteriores.*

2$^{a}$ questio fit per Isaiam [22,16-17]: *Tu quis es,* quasi: Quis hic, qualiter vixisti in ecclesia tua? Si nescis reddere sequitur: *Apportari te faciam sicut gallus gallinaceus,* qui major est aliis, et majores in ecclesia Dei jam nil faciunt sed minores.

3$^{a}$ questio fit per Jeremiam [13,20]: *Ubi est grex tua, qui datus est tibi in pecus inclitum* sc. valde gloriosum et, ne credas Deum dubitare de aliqua ove, dicit [Jer.33,13]: *Adhuc transibunt per manum numerantis.*

Non enim solum pro vobis sed pro singulis subditis oportet reddere racionem, et [Sap. 6,6] *durissimum judicium erit omnibus qui presunt*.

Tria sunt quibus diabolum optime vincimus sc. ardens spiritus meditacio, carnis mortificacio et acuta oracio. De primo Ps. [38,4] dicit: *In meditacione mea exardescet* **[8r$^{2}$:]** *ignis*, quo fugem diabolum fulgura coruscantem, maxime si meditacio sit de passione Christi. De 2$^{o}$ apostolus [1.Cor. 9,27]: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo*. De 3$^{o}$ dicit Augustinus: Oracio humilis divinum permeretur auxilium. Christus dicit ad prelatum speculatorem: Dedi te domui Israelis sc. laicis.

Unde valde necesse est ut sint lucidi pastores, quia nemo potest in speculo speculari lutoso. Christus est sol, pastor debet esse luna. Luna enim non habet lumen nisi a sole. Ita sacerdos non debet recipere decorem a mundo, sed tamen a Christo. Item sacerdos qui pro nummis celebrat, videtur dicere cum Juda [Mat. 26,15]: *Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam*. Ergo nephas est vendere Dominum suum. Cogita quid primus servus venditor seipsum suspendit. Judas enim nummos misit in templum. Pejores sunt clerici qui denarios, pro quibus cantant, mittunt in tabernam sc. in ventrem suum. Judas semel Christum vendidit et de hoc penituit, et tu forte multociens **[8v$^{1}$:]** vendidisti et non penites. Cave ne desperans teipsum suspendas.

Bernardus: Venient ante tribunal judicis, audietur pupillorum accusacio, gravis allegacio, quorum vixerunt stipendiis et non diluerunt eorum peccata. Vidi Dominum dicentem [Joh. 21,17]: *Pasce, pasce*. Sed non dixit: Vende, vende. Item O bone Jhesu, videtur contra conspicasse universitas populi christiani. Nam illi in persecucione sunt primi, qui in ecclesia videntur gerere principatum. Si quis de populo deviat ille solus perit, sed princeps multos perire facit, si eciam non obest quantum potest.

Rogo ergo te ut fugias omnem vanitatem, ne in futuro condempneris per veritatem. Tanto utique gravius cades ab alto, quanto excellencius polles dignitatis officio. Item Bernardus: O Domine, pastores tui mutati sunt in tonsores agni in luposi defensores in dissipatores. Qui debent esse sobrii, quotidie sunt ebrii, qui prelati pilati, qui casti incesti, qui sacerdotes seductores. Nonne tamen repetitum est Petro [Joh. 21,17]: *Ama me, pasce oves meas* quasi dicat: Nisi me perfecte diligas plus quam te, tua et tuos, et intromittas te de cura ista, nec tu sacerdos et maxime pastor pro ovibus, pro quibus effusus **[8v$^{2}$:]** est sanguis meus.

Bernardus: Non debet aliorum ducatum suscipere, qui non vult alios bene vivendo preire. Nullus itaque vilipendit officium sicut clerici. Fabri et agricole mane surgunt non autem dormiunt ipsi usque ad meridiem. Bernardus: Ve vobis sacerdotibus miseris, proditoris sociis, qui Christum iterum sc. quantum in se est, crucifigunt et sanguinem testamenti pollutum ducunt, qui manibus pollutis, oculis impudicis, ore ve[ne]nato, corde impudico, dum ad reverendum sacramentum irreverenter accedunt, angelos assistentes offendunt, et de seculari medicina sibi miserabiliter acquirunt eternam dampnacionem. Cavete vobis, prelatuli, voratores ut cattuli, mortem non attenditis qui favorem venditis, nummi dantur, procuratores licet parvuli sc. ideote, irregulares excommunicati, grasite [grassati?] ebriosi, lusores, numquam casti, semper incesti, ve vobis, ve vobis et semper ve. Capitulum.

Dominus transiens de hoc mundo ad patrem ecclesiam, quam suo sacratissimo sanguine redemit, fratribus suis sc. sacerdotibus suis regendam commisit dicens [Joh. 16,28]: *Exivo a patre et veni in mundum. Iterum relinquo mundum et vado ad patrem.* Vos oves meas custodite, pro quibus sanguis meus effusus est. Quanta sit **[9r[1]:]** dignitas sacerdotalis officii et ordinis, audiamus et videamus. Quantocunque sit aliquis bonus, tamen non potest conficere corpus Christi nisi ordinatus fuerit, ut officii sacerdotalis exhibeat ministerium. Dei autem est officium tribuere benediccionis. Unde Augustinus: Sacerdotes non propria virtute benedicunt, sed quia Christi figuram gerunt et propter eum, qui in ipsis est, benediccionis tribuunt plenitudinem. Est enim sacrum et celeste misterium quod per vos pater et filius et spiritus sanctus mirabiliter operantur.

Credimus autem quod post Deum non sit tanta gracia et potestas sicut est vestra. Unde Bernardus: Super potestatem vestram et tam insigni privilegio vestro stupet celum, miratur terra. De quibus supra. Idem: Bone, dulcissime et piissime Jhesu, ut sacerdotes qui sunt ut vermiculi et pulvis et cinis, te presentem habere mereantur in manibus, pre oculis, qui totus et integer sedes ad dextram patris, qui unius hore momento a solis ortu usque ad occasum, ab aquilone usque ad austrum, presto es, Domine.

Certe non ex debito non ex merito eorum, sed ex voluntate tui beneplaciti preparasti te in dulcedine tua pauperi, Deus, sc. sacerdoti. Hec est vera celestis indulgencia, **[9r[2]:]** hec est cumulata gloria, hec est vera superexcellens gracia sacerdotem Deum tenere in manibus. Nullis angelorum nullis archangelorum nullis spiritibus, sed hominibus non

omnibus, sed tamen ordini vestro commissam esse, credimus, celebracionem tanti misterii ut consecratus in sacerdotem prorsus idipsum conficiat in altari, quod Christus in festo paschali confecit manibus suis.

In altari quippe sacerdotum ore et manibus conficitur corpus Christi, non creatur non nascitur, sed quod totum in dextra patris est, totum in manibus est, totum in manibus, totum in ore sumentis, unus in multis sc. unus in diversis. O sacerdos, tu es sacer dux, sacra dos, sacrum dans, per portacionem, sacra dos in participacione corporis et sanguinis Christi, sacrum dans pro Deo exemplum vivendi ceteris, ut amplius movearis, immo ut magis incalescas in amore tui redemptoris. Voluit Deus ut jugiter celebretur per totum ministerium, quod semel offerebatur in mundi precium, et perennis illa victima viveret in memoria et semper erit in gloria patris.

Unde Moises rogavit quondam Dominum dicens [Exo. 33,13]: *Ostende mihi teipsum, Domine, verum*, sed tibi non solum se ostendit, sed in manibus tuis se totum tradidit. Delectari ergo debes, o tu sacerdos, et gaudere in sacramento altaris, in cujus confessione fidelis minister, **[9v$^1$:]** si fueris, invenis in medio patrem, filium et spiritum sanctum, astantibus ex omni latere supernis eucaristie ordinibus, sacramentum per nobile misterium superexcellenti gloria.

Videt et sentit sacerdos filium Dei fratrem suum esse amantissimum, cujus veraciter carnem et sanguinem tenet. Unde Ps. [21,23]: *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Videt et sentit spiritum sanctum a patre procedentem et filio, videt domesticum sc. filium esse socium, factorem et dispensatorem suum, quia ipse est vere consolator vere penitentium et advocatus omnium in se sperantium. Videt eciam et sentit spiritualiter angelos et omnem celi celorum senatum sibi applaudentem et, ut concivis eorum ascribi mereatur, inhiantem.

Ibi celebratur familiare colloquium inter Deum et Moisen amicum suum sc. fidelem ministrum. Pensa igitur jugiter, amplexare suaviter, repone fideliter, quid audis, quid agis, quid legis, quid tenes. Calix sepulchrum, patena lapidem superpositum, corporale sudarium, subtractoria corporalia linteamina, quibus involutus fuit Christus, significat. Hostiam quam vides, non est panis sed caro et sanguis ejus, qui pependit in cruce pro mundi vita. Jam oculis tuis **[9v$^2$:]** vides panem angelorum qui nescit putrescere, non vadit in recessum sed ducit te in excelsum. Illuc adducit te, unde retraxit imaginem. Hoc itaque sacramentum ab eterno in celo propositum et diabolo penitus superlatum,

prophetis quibusdam revelatum, sollicitudini et sanctitati vestre est traditum et per omnia donatum. Quis vidit talia, videant oculi ne mirentur, quia omnia sicut voluit fecit.

O sacerdotes, quantum in elevacione manuum vestrarum capita regum inclinantur, et reges et regine vobis munera offerunt, in ecclesia vos patres confitentur et expectant vos intercessores. In premium privilegiati amoris datum et dictum est Petro [Joh. 21,17]: *Pasce oves meas.* In singularitate potestatis oblatum et dictum est apostolis [Mat. 18,18]: *Quodcunque ligaveritis super terra etc.* Pensate ergo quantum est hoc maximum sc. si ad ligacionem angelorum ascensus hominum exspectaretur, quantum ergo est si ad arbitrium hominum ascensus inclinatur angelorum.

Audite vestri officii dignitatem, cautelam et conscienciam, ut dixit [Joh. 15,16]: *Elegi vos etc.* Officium ut cum dixit: *Eatis.* Cautelam ut cum dixit: *Fructum afferatis.* Conscienciam ut cum dixit: *Fructus vester maneat* in eternum. **[10r$^1$:]** Ut dictum est [Marc. 16,15]: *Ite in universum orbem etc.* Electi ergo estis ut eatis, ergo ite. Periculosum est vobis stare, periculosum est sedere, peremptorium est vobis jacere. Capitulum.

Recordor me legisse quod accidit in Burgundia. Cum sacerdos quidam veniret ad synodum, transiens per medium nemorem obviam ei venit diabolus in forma hominis transfiguratus, quem cum salutasset, tradidit ei literam quandam clausam tradendam episcopo et universis rectoribus in ista synodo congregatis. Quam cum aperuisset episcopus, in provincia fecit legi. Tenor autem illius litere erat: Iste [Nos?] rectores tenebrarum, rectoribus ecclesiarum salutem: Mandamus vobis quod multum diligimus vos, quia quodcunque vobis committitur ad infernum cum magnis glomeracionibus destinatis.

Item alibi dictum fuit episcopo perverso a Christo Domino: Quoniam [quomodo?] reduces mihi animas quas cum pravo exemplo dampnificasti. Timeant clerici ministri ecclesiarum, qui in terris sanctorum res quas possident, tam iniqua gerunt mente et consuetudine ut stipendiis, que sufficere debent, minime contenti sunt. Quibus egeni sustentari deberent, impii sacrilegi sibi detinent, **[10r$^2$:]** et in usus superbie et luxurie victum pauperum consumere non verentur, duplici iniquitate peccantes sc. quod aliena diripiunt et sacris in suis vanitatibus et turpitudinibus abutuntur. Heu hodie non pascunt pastores oves sed semetipsos, propter quod comminatur eis Dominus in dampnacionem. Ezechiel xliii$^0$ [34,2]: *Ve pastoribus Israel, qui pascebant seipsos,* et oves a pastoribus non pascuntur, a quibus pasci deberent.

Unde Bernardus: Bonitas querit amabilem, sciencia discibilem, disciplina mutabilem. Sciencia et disciplina bonitatem attrahit, sciencia corrigit, disciplina pascit. Debet autem quilibet prelatus et rector, religiosus et clericus, qui aliis preest, sollicitus esse quomodo Deo placet in puritate sciencie. Bernardus: Manducare spiritualiter corpus Christi est passionis et redempcionis ejus recolere sacra beneficia ad sumendum suaviter in consciencia et recolendum fideliter in memoria. Augustinus: Quotidie corpus Christi sumere non laudo, nec vitupero. Hoc est signum sepe communicandi, cum de percepcione hujus sacramenti timor **[10v$^{1}$:]** servilis minuitur, et incendium caritatis plus augmentatur. Sed per hoc aliqui retrahuntur, cum de communione devocionem et consolacionem singularem non ita percipiunt, prout eis beneplacitum foret, et hii magis sua quam Dei sui querere videntur. Capitulum.

O inenarrabilis sanctitudo manuum sacerdotum, o felix exercitium, o mundi vere gaudium, ubi imma summis junguntur, cum Christus tractat Christum, sacerdos Dei filium. [Prov. 8,31:] *Tibi delicie sunt esse cum filiis hominum.* Unde Petrus in canonica [1.Pet. 2,9]: *Vos estis genus electum, regale sacerdocium, gens sancta, populus acquisicionis.* Augustinus: Vos estis genus, inquit, electum non solum eleccione temporalis prelacionis sed et, spero, eleccione eterne predestinacionis. Unde apostolus [Eph. 1,4]: *Elegit eos ante mundi constitucionem,* qui nondum erant nisi predestinati. Augustinus: Quomodo elegit eos ante mundi constitucionem, qui nondum erant nisi predestinandi. Gregorius: Predestinacio nil aliud est quam gracie presentis preparacio et glorie future predestinacio.

Augustinus: $4^{or}$ enim requiruntur proprie ad preparacionem gracie presentis et predestinacionem glorie future. Primum est voluntas tribuentis $2^{um}$ **[10v$^{2}$:]** est libertas voluntatis $3^{um}$ est predestinacio non existentis $4^{um}$ est meritum accipientis. Alioquin nec gracia in presenti nec sequeretur gloria in futuro. Unde apostolus [Rom. 8,29-30]: *Quos prescivit, hos predestinavit conformes fieri imaginis filii Dei* sc. sacerdotes in tanti[?] misterio. Idem: *Quos predestinavit hos et vocavit, et quos vocavit hos et justificavit, quos justificavit illos eciam magnificavit.* Glosa: In predestinacione est gracia, in vocacione potencia, in justificacione leticia, in magnificacione gloria. Unde, vos sacerdotes, estis genus electum. Sequitur Capitulum.

Augustinus: O presbiter sive sacerdos, sicut Deus te elegit et preelegit, redde racionem villicacionis tue, in quam que vel quod tu in hoc seculo eligeris, dum Deus eleccionem [racionem?] a te requiret. Non

est dubium dicere an sacerdos sit angelus an diabolus. Si vixerit in castitate corporis et anime et humiliter, est angelus. Si autem vixerit econtrario, est pejor diabolo, et hoc est horribile valde malis presbiteris. O considerate vestre dulcissime dignitatis excellenciam, quia Dominus vos ditavit pre omnibus creaturis. Honorandi sunt quippe sacerdotes quibus Dominus tantam in mundo pre omnibus contulit graciam et honorem. Capitulum.

**[11r$^1$:]** Sapiencia [5,5]: *Ecce computati sunt* sc. sacerdotes *inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum* sc. sacerdotum. Merito ergo [Daniel 3,84] *gaudete et benedicite, vos sacerdotes Domini, Deo. Laudate et superexaltate eum in secula*, qui vos ad tantam dignitatem et graciam elegit, et gracias agite ei pro tantis beneficiis presentibus preteritis et futuris et pro temporalibus, spiritualibus et eternalibus, et rogate suppliciter dicentes: Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis per immensam graciam tuam in presenti, et presta ut cum omnibus nobis commissis et omnibus fidelibus et cum omnibus sanctis angelis tuis in futuro in regno celorum confiteamur nomini tuo sancto et letemur in laude tua in eternum. Amen.

Dominus noster pontifex de vestibus sacerdotalibus misticam[?] et summus sacerdos camisiam induit in almo utero sc. beate virginis. Ministri vero judeorum dederunt ei amictum alapis contextum, Herodes albam quando illu[su]m alba veste indutum, ministri Pilati cingulum quando flagellis ceciderunt eum. Dederunt ei alaphas, quando ligaverunt eum ad columpnam, stolam **[11r$^2$:]** sputis contextam, casulam quando induerunt eum purpura dicentes [Mat. 27,29]: *Ave rex judeorum.* Lanceam pro baculo, crucem pro sede episcopali, spineam coronam pro infola, clanum in pedibus pro sandaliis, clanos in manibus pro annulo et cyrothecis.

Sicque ornatus pontifex noster primo templum aspersit, missam Domini cantavit [Mat. 27,46]: *Helij, helij.* Postea indulgenciam dedit dicens [Luc. 23,34]: *Pater, dimitte illis, quia nesciunt etc.* Prelati temere credunt sibi cuncta licere. Credidit et Caiphas omne nephas sibi phas. Ve misero mundo Ve primo Veque 2$^0$ Ve per pontificum dedecus horrificum, pontifices muti de jure suo male tuti, quamvis cornuti non audent cornibus uti.

Explicit stella clericorum anno Domini mcdliiii sabbato post vincula sancti Petri per me Petrum Mathie hora quasi 2$^a$ ante vesperas in hospicio Boiardi pro tunc temporis locati ripensis studiosius compilata.

ve misero mundo, ve primo, veque secundo
ve per pontificum dedecus

**Verba Jheronimi de signis ante judicium**[10]

Incipiunt xv signa ante diem judicii. Prima die erigit se mare in altum xl cubitis super altitudine montium et erit quasi murus et omnes aque similiter. 2[a] die descendunt ad ima ita ut summitas ejus vix conspici potest. 3[a] die in equalitate erunt sicut ab inicio. 4[a] die pisces et omnes marine belue congregabuntur super aquas et dabunt mugitus ad invicem, quarum cognicionem nemo scit nisi Deus. 5[ta] die ardebunt ipse aque ab ortu solis usque ad occasum. 6[a] die herbe et arbores sanguineum rorem dabunt. 7[ma] omnia edificia destruuntur. 8[va] bellabunt lapides ita ut unaquam pars se dividat atque collidat adversus alteram. Nona die erit terre motus, qualis non fuit ab inicio mundi. Decima die omnes montes et valles convertantur in planiem, et erit equalitas terre. Xi[a] die omnes homines exibunt de cavernis suis et current quasi amentes, et non potest alter alteri respondere. Xii[a] die congregabuntur omnia ossa mortuorum et surgunt usque ad ora sepulchrorum. X3[a] die cadent stelle et signa de celo. X4[a] die moriuntur omnes homines, ut simul resurgant cum mortuis. Xv[a] die ardebit omnis terra usque ad inferni novissima. Post hec signa erit dies judicii.

Vincencius scribit in speculo historiali miraculum quod sequitur de domina, quod quidem miraculum contingebat urbis Rome.

---

[10] The same signs f 224v

## De narracionibus[11]

Familiaritas matris ad filium nimis est periculosa**.** De miraculis beate virginis. Rome quedam nobilis mulier de viro filium conceptum tenerrime diligebat et affectuose nutriebat, quem jam adolescentem factum non ab amplexu et osculo nec eciam a lecto repellebat. Quid plura. Amor carnalis sive naturalis in corruptelam convertatur, et pro marito in remotis peregrinante filius admittitur. Conceptoque fetu mater misera corde et corpore angustiatur. Spe tamen venie noluit desistere ab oracionibus, jejuniis et vigiliis et eleemosynis, sicut prius facere consueverat. Tandem natum occulte puerum occultare volens peccatum addidit peccato et puerum miserum vix natum suffocavit et in latrinam projecit.

Demon autem volens eam eternaliter et temporaliter confundere assumpto habitu clerico imperatori et optimatibus civitatis Rome dixit: Audite incredibile dictum et crudelem actum. Mulier ista, quam sanctam reputatis, sceleratissima et crudelissima est, nam de proprio filio conceptum filium propriis manibus trucidavit et in latrinam projecit. Quibus mente consternatis non credentibus sed potius illam supra modo commendantibus, ait demon: Veniat et examinetur, et ignis paretur in quo, si convicta fuerit, vivens incendatur. Sin autem ego in eo comburer.

Illa ergo quesita venit, cui imperator et omnes alii surrexerunt, et in sede juxta imperatorem sedere est permissa. Cui imperator ait: Hic novus propheta qui nunc Romam habet, in multis **[12r$^2$:]** et magnis causis, de quo multum dolemus, te accusat. Confitere ergo et purga te a crimine objecto. Acceptis igitur ad respondendum induciis recedens ab imperatore, toto corpore provoluta cum inenarrabili cordis contricione et lacrimarum abundancia totam peccatorum suorum historiam exposuit summo pape romanorum. Cujus contricionem prospiciens eam mirabiliter confortavit. Solam dominicam oracionem ei injunxit adjungens ut specialiter ad beatam virginem recurreret, quod devote fecit.

Statuta igitur die cum familiaribus curiam intrans ab imperatore et populo reverenter est accepta. In medio sedet, omnibus est spectaculum facta. Tunc ore omnium clauso aureque aperta imperator ait clerico: Ecce quam accusasti. Si quid contra eam habes, narra. At ille intuens mulierem mirabatur, que hec esset, dixitque demon: Non est hec quam accusavi. Hec enim est sancta et mater Maria Jhesu ei astitit et custodivit. Tunc omnes in stuporem versi frontes suas signo sancte crucis

[11] From Arnoldus de Leodeo: Alphabetum narracionum

munierunt, quod diabolus non sustinens quasi fumus evanuit, et mulier sic liberata a macula consciencie et fame coram populo invenit nomen grande: Ipsam beata virgine protegente. - Hoc valet ad devocionem beate virginis et cordis contricionem et demonis.

**[12v$^1$:]** Furtum non potest celari. Ex legenda sancti Patricii. Quidam vir vicini sui ovem furatus est et comedit. Cum autem sanctus Patricius pluries hortaretur ut satisfaceret quicunque ille esset, et nullus comparuit, quodam die dum totus populus in ecclesia esset, precepit in virtute Jhesu Christi ut in cujus ventrem ovis transisset, coram omnibus balatum daret, quod et factum est. Et reus egit penitenciam, et alii a furto sibi caverunt. Ad Domini Jhesu Christi preceptum.

Honores parentibus non exhibentes puniantur. Cesarius. Juvenes quidam de Mosella natus, Henricus nomine, matrem simplicem hujusmodi decepit. Da mihi, inquit, omnia bona tua ut eorum gracia mihi uxorem ducere valeam honestiorem, et ego tibi providebo honestissime. Mater annuit et ei omnia bona sua resignavit. Sponsa introducitur et mater expellitur, quia cum degerit et plangerit quotidie, ille suas aures obscuravit. Die quadam cum uxore in mensa sedens et matris vocem ad ostium pulsantis audivit et ait: Ecce ubi diabolus clamat. Ibique in cista repositus erat pullus coctus, qui ante eos erat intromissus. Mater supplicavit filio ut sui misereretur, que statim cum multorum turbine verborum est expulsa.

Tunc ait mater puero: Refer pullum. Puer vero cista aperta non in scutella **[12v$^2$:]** pullum sed serpentem invenit complicatam. Qui territus quod viderat nunciavit. Postquam mittitur puella, et rediens eadem se vidisse ait. Ille autem cum indignacione surgens ait: Si diabolus esset, ego eum tollam. Ut autem se in cistam inclinavit ad levandam scutellam, serpens collo ejus insiliens circa guttur ejus se colligando duplicavit, cum comedente comedebat. Et quotiens subtrahebantur ei cibaria vel adhibebantur aliqua, quibus deponi posset, instrumenta, ita collum ejus strinxit ut intumescente facie oculi de sedibus suis moverentur. Xiii annis et amplius sic vixit, ad diversa sanctorum limina ductus in carruca, quem mater pene ejus compatiens sequebatur. - Ad parentes. De filiis parentibus decipientibus.

Horas beate virginis devote dicentibus apparet in hora mortis. Cesarius. In Hispania in quodam domo cisterciensis ordinis juvenis

monachus in obsequio beate virginis fervens et devotus, ita quod in horis ejus decantans morosus et intentus erat, et non solum in singulis versibus sed in singulis verbis memoriam ejus habuit. Sicque horas ejus cum maximis laboribus continuaret, quod cum annos sedecim fecisset in ordine est infirmatus ad mortem. Et a servitore suo instanter requisitus dixit: Domina nostra me visitavit, et die septimo sim ad Dominum **[13r[1]:]** migraturus. Et addidit: Quia pre cunctis mortalibus mihi intentius servivisses, faciam tibi quod nulli feci. Et brachiis suis super collum meum extensis osculum mihi dedit. Septimo ergo die sicut predixit ad Dominum migravit, apparente Dei genitrice cum multitudine virginum. - Ad Marie devocionem.

Hospitalitas regnum temporale confert. Ex legenda beati Germani. Dum beatus Germanus in Britannia predicaret et rex ei hospicium denegasset, bubulcus regis reversus a pascivis acceptam prebendam in palacio ad tugurium proprium deferens, vidit beatum Germanum cum sociis fame et frigore laborantem. Quos in domo sua benigne recepit et unicum vitulum, quem habebat, eis occidit. Post cenam sanctus ossa vituli in corio colligens ad preceptum suum sine mora vitulus surrexit. Sequenti die regi occurrens, quare ei hospicium negavit petenti inquirit. Tunc rex vehementer accrevitus respondere non potuit. Germanus igitur de Dei mandato bubulcum et uxorem ejus venire fecit et universis stupentibus regem constituit, et dominatur rex genti britorum.

Infamatur aliquis sine culpa. Heraclides. Cujusdam presbiteri filia virgo a quodam corrupta et impugnata crimen istud mentiendo cuidam lectori imposuit. Requisitus ille super hoc a episcopo et presbitero partem puelle negavit. Episcopus autem iratus verbis contumeliosis **[13r[2]:]** ipsum mendacem asseruit. Tunc clericus: Ego in consciencia mea dico, si vis nunc audire, quod ego hoc crimen non commisi. Quo dicto statim gradu lectoris est privatus, et ei petenti ista uxor datur, quam monasterio commendavit. Et cellula sibi facta Deum gemitibus et lacrimis oravit ut veritatem manifestaret. Appropinquante autem die partus cepit ista per vii dies dolore intolerabili vexari, et cum jam comedere nec bibere vel eciam dormire posset et mortem vicinam et dampnacionem videret, cepit horribiliter clamare: Ve mihi misere, quia dupliciter ad hoc periculum veni. Primo quia virginitatem perdidi $2^{o}$ quia crimen factum imposui lectori. Fecerunt oraciones pro ea ut pareret, sed nihil profuerunt. Mandat episcopus lectori ut pro ea oret. Sed ille nunciis

nihil respondit. Tandem veniente episcopo ad lectorem et dicente ei: Solve quod ligasti. Orante illo statim peperit. Sicque ab hac infamia lector est purgatus. - Ad culpam false alicui impositam.

Infirmitas corporalis aliquando de superbo facit humilem. Jacobus de Vitriaco. In episcopatu parisiensi clericus per parochiam ferens aquam benedictam in domo cujusdam militis nihil poterat habere **[13v[1]:]** nisi convicia et maledicta. Contigit autem ipsum militem infirmari. Veniente igitur clerico cum aqua benedicta rogavit eum humiliter ut pro eo rogaret et oraret, et eleemosynas fecit ei dari. Cui clericus dixit: Unde hoc, domine, quod sic conversus estis, qui multa convicia multoties mihi dedistis, et nunc rogatis ut pro vobis orem. Cui miles: Nonne videtis quod ego infirmor in uno pede? Tunc clericus: Oro ergo Deum ut idem contingat vobis in alio pede. Cui miles: Quid dicitis, clerice? Respondit clericus: Tu fuisti leo quando eras sanus. Nunc autem factus es agnus propter bonum tuum. Ego hanc oracionem faciam. - Ad cognoscendum Deum.

Infirmitas propria patienter debet sustinui. Gregorius in dialogo. Quidam Servulus nomine, pauper rebus meritis autem dives, hic usque ad finem vite sue in lecto jacebat paraliticus. Qui numquam de lecto surgere potuit, numquam manum ad os ducere potuit, in latus aliud se declinare non potuit. Habuit ad serviendum sibi matrem cum fratre, et quidquid poterat ex eleemosynis eorum accipere, pauperibus erogavit. Scripture sacre sibi codices emerat, quos sibi a religiosis in suo hospicio susceptis legi faciebat. Factum est ut juxta modum suum sacram scripturam disceret, qui literas penitus ignorabat. Cumque jam morti se proximum cognovisset, peregrinos, quos in hospicio susceperat, ammonuit ut surgerent et psallentes ipsius obitum exspectarent, et ipse moriens cum aliis psalleret. **[13v[2]:]** Voces aliorum compescuit dicens: Tacete. Numquid audistis quales voces resonant in celo. Et dum ad easdam laudes tenderat, sancta ista anima carne est soluta. - Hoc valet ad patienciam et finem mortis.

Iracundus eciam visibiliter punitur. Cesarius. Quedam puella divitum parentum filia ita iracunda fuit ut ubicunque esset, semper lites et rixas concitaret et beatam se reputabat. Nullus flagella lingue sue evadere potuit. Tandem defuncta est et in atrio ecclesie sepulta est. Mane autem ad ecclesiam venientes populi videbant tumbam ejus quasi fumum

ejus eructuantem. Qui territi tumbam aperientes et terram ejicientes medietatem corporis sui superiorem usque ad umbilicum consumptam invenerunt, alia parte inferiori integra remanente ad signandum, quod virgo fuit, sed nimis iracunda. - Ad malam linguam.

De sancta Katerina. Katerina faciem suam velavit ab eo, qui illam cognoscere noluit. Cum quidam beate Katerine multum esset devotus et ipsius adjutorium crebrius invocavit, per processum temporis memoriam beate Katerine virginis totaliter perdidit et ab ejus invocacione cessavit. Qui in oracione positus vidit multitudinem virginum ante se transeuntium, inter quas vidit unam aliis speciosiorem. Cum sibi appropinquasset, faciem suam velavit et velata facie ante eum transivit. Cum autem ille admirans ejus splendorem quesivit que esset, una sibi dixit: Hec est beata virgo Katerina, quam olim solebas cognoscere. Nunc autem **[14r[1].]** quia eam cognoscere non vis, coram te velata facie quasi incognita pertransit.

De sancto Laurencio. Laurencius accusat facientes sibi injuriam. Ex miraculis beate virginis. Quidam judex Stephanus Rome erat, qui munera libenter accipiens multorum judicia libenter pervertebat. Hic tres domos ecclesie sancti Laurencii et unum hortum sancte Agnethe violenter abstulit et ablata injuste possedit. Accidit autem ut moreretur et ante judicium Dei duceretur, quem sanctus Laurencius currens ad eum cum nimia indignacione accessit et tribus vicibus brachium ejus durissime strinxit, et dolore nimio cruciatur. Beata Agnes cum aliis virginibus in eum respicere noluit sed faciem suam ab eo avertit.

Tunc judex super eum sentenciam ferens dixit, quia aliena subtraxit et munera accipiens in loco Jude proditoris tradatur. Idem autem Stephanus ad beatum Laurencium et beatam Agnetam accessit, quos in mundo licet parum dilexit, petiit ut pro eo veniam precabantur. Illis vero et beata virgine Maria pro eo orantibus concessum est a judice ut anima ejus ad corpus rediret et ibidem xxx diebus penitenciam ageret. Accepit ergo insuper a beata virgine in mandatum ut Ps. [118,1]: *Beati immaculati in via, qui ambulant etc.* singulis diebus diceret. Cumque ad corpus redisset, brachium ejus erat ita lividum et adustum ac si hoc in corpore passus esset, quod signum in eo extitit. Immo adjunxit: Male igitur ablata restitues et penitenciam ages. Die xxx[a] migravit ad Dominum.

**[14r²:]** Leonis pape. Ex miraculis beate virginis. Leo papa in ecclesia beate Marie majoris in die resurreccionis dominice missam celebrabat. Dum autem fideles per ordinem communicarent, et quedam matrona manum ejus osculata fuisset et ex hoc vehemens carnis temptacio in eum insurrexit, vir Dei in semetipsum severissimus ultor insurgit et eadem die manum se scandalizantem occulte amputavit et a se rejecit. Propterea murmur oriebatur in populo cur summus pontifex more solito divina non celebrabat. Tunc Leo ad beatam virginem se convertit et ejus providencie totaliter se commisit. Tunc illa continuo sibi astitit et manum suam suis sanctissimis manibus restituit et reformavit, jubens ut procederet et sacrificium filio suo immolaret. Leo ergo omni populo, quid sibi contigerat predicavit et manum restitutam omnibus ostendit.

De leproso. Nobilis comes Campanie Theobaldus cum magna devocione tuguria leprosorum visitabat. Ante ejus castrum leprosus manebat, cujus domum quotiens transibat, intrans leprosi pedes lavabat et eleemosynam dabat. Post hoc ignorante comite leprosus defunctus est et sepultus. Contigit autem comitem per dictum tugurium transire et ipsum tugurium intrare. Non leprosum invenit sed in habitu leprosi Deum invenit. Cui solita **[14v¹:]** exhibens officia maximam in corde suo sentit dulcedinem. Cui exeunti dixerunt quidam: Domine, iste leprosus mortuus est et in tali loco sepultus. Quo audito vir fidelis egit Deo gracias, cui presentialiter servire meruit, cui pluries servivit in membris suis. - Ad humilitatem.

Luxuria multa mala facit. Insensata est femina quedam in quendam clericum pulchrum adeo ut ei diceret: Si meis amplexibus uti volueris, omnia mea tua erunt. Quo pluries recusante ista eum coram judicibus de oppressione accusavit. Misso ergo eum [eo?] per judicem in locum dampnatorum, ista vero stimulante carnis luxuria ab eo se simulans virum per scalam ascendit deorsum, se precipitavit ad mixtionem illum sollicitans, sed non profuit. Quo cognito judices innocentem extrahentes tamquam magum et maleficum in ignem miserunt, qui cum arderet ut ista patentibus costis pulmo videretur, Ave Maria cunctis audientibus decantavit. Mox unus mulieris cognatus tirionem[?] illius ori immittens, dixit: Ego auferam oraciones istas. Et suffocavit eum. Cujus ossa in campo sepulta multa miracula fecerunt, et super ejus tumbam ecclesia est fabricata. - De causa false illata alicui.

Maria Magdalena devotos ad penitenciam ducit. Ex legenda lombardica. Clericus quidam Stephanus nomine de Flandria in tantam inanitatem scelerum ceciderat, quod omnia exercens flagicia nullum bonum facere poterat vel audire. **[14v²:]** Ad beatam tamen Mariam Magdalenam devocionem habuit vigilias ejus jejunans et festum ejus celebrans. Ipsi igitur ejus tumulum visitanti apparuit beata Maria Magdalena tamquam formosa mulier sed lugubres habens oculos et ait: Cur, Stephane, indigna meritis mei facta rependis? Cur labiorum meorum instancia non moveris ulla compunccione? Ex quo enim devocionem ad me habere cepisti, pro te Deum instanter exoravi. Surge igitur et confitere. Non enim te deseram, donec Deo fueris reconsiliatus. Iste ergo mox tantam graciam infundi sensit quod seculo renuncians religionem introivit et vitam sanctam finivit. In cujus morte Maria Magdalena visa est circa feretrum cum angelis stetisse, animam ejus quasi columbam candidam in celum sustulisse. - Ad devocionem sanctorum in celis.

De sancta Maria virgine. Maria incarceratos liberat. Ex miraculis ejus. Quedam mulier vidua habebat filium, quem tenerrime diligebat. Qui ab inimicis capitur et incarceratur. Mater ejus que beate Marie multum devota fuit, pro liberacione filii sui intimis precibus exorabat, vidensque quod non proficeret et ecclesiam, in qua sculpta erat imago beate virginis, intravit et coram imagine stans ipsam sic alloquitur dicens: Virgo beata, pro liberacione mei filii te sepius rogavi et me non exaudis. Igitur sicut filius mihi est ablatus ita tuum tibi afferam et obsidem pro filio meo in custodiam ponam. Et imaginis puerum in gremio sedentem tollens abiit et in linteo mundissimo in arca sua reposuit et observavit, bonum obsidem pro filio **[15r¹:]** suo habere gaudens.

Sequenti ergo nocte beata virgo juveni apparuit et januam carceris aperiens ad matrem ejus remisit, dixitque ei: Fili, matri tue dices quod reddat mihi filium meum, ex quo habuit suum. Qui ad matrem rediens qualiter eum beata virgo liberavit narravit. Ista vero multum gaudens puerum imaginis ad ecclesiam retulit dicens: Domina, gracias refero vobis quia filium meum mihi reddidistis, et ecce vestrum reddo vobis. - Ad captivos.

Marie salutacio fantasma facit cessare et demones fugare. Cuidam recluse malus angelus in specie boni angeli sepius apparens tandem dixit

ei quod venerat eam remunerare, propter quod illa gaudens confessori suo dictas appariciones revelacionesque revelavit. Qui sicut vir prudens dixit ei: Dic ei ut ostendat tibi beatam virginem Mariam. Quod cum fecisset dic Ave Maria. Quod cum ista peteret ab illo, respondit: Non indiges videre eam, sufficit tibi presencia mea. Et ista instante diabolus formans corpus pulcherrime virginis et ei ostendit. Tunc ista genua flectens dixit Ave Maria, et statim fantasma disparuit. - Ad decepcionem demonis.

Marie imago aeris fugat infeccionem. Beatus Gregorius papa contra infeccionem aeris, que Rome multis fuit causa mortis, fecit solempnes fieri processiones et imaginem genitricis Dei, quam beatus Lucas egregius pictor formasse dicitur beate virgini, ante processionem portari fecit. Et ecce tota aeris infeccio imagini cedebat ac si ante eam fugeret, et **[15r2:]** mira serenitas in aere facta est, et juxta dictam imaginem audite sunt voces angelorum canentium: Regina celi letare, alleluia, quia quem meruisti portare, alleluia, resurrexit sicut dictus, alleluia. Statim beatus Gregorius subjunxit: Ora pro nobis Deum, alleluia, etc. - Ad beatam virginem Mariam.

Martini sepulture interfuit Ambrosius. Ex legenda ejus. Eodem die quo beatus Martinus obiit, sanctus Ambrosius episcopus missam celebraturus super altare inter propheciam et epistolam obdormuit. Et cum eum nullus excitare presumeret et subdiachonus nisi ipso annuente epistolam legere non auderet, transactis duarum vel trium horarum spaciis excitaverunt eum dicentes: Hora preterit et populus lassus expectat. Jubeat dominus noster ut clericus epistolam legat. At ille: Nolite turbari. Frater enim meus Martinus ad Dominum migravit. Ego enim funeri obsequium prebui. Ultimam oracionem vobis me excitantibus complere non potui. Tunc illi diem et horam nominantes invenerunt beatum Martinum ad Dominum migrantem. - Ad sepulturam.

Mensura semper debet esse justa. Cesarius. In episcopatu coloniensi vidua quedam cervisiam braxare solebat. Et igne totam villam tandem incendente et ad domum ipsius veniente, vasa quibus **[15v1:]** mensuraverat cervisiam ementibus ante ostium domus sue ponens sic ait: Juste et misericors Deus, si hiis vasis recte mensuravi, precor ut in hac hora necessitatem meam respicias et mihi parcere digneris. Si autem mensuris aliquem decepi, volo ut comburatur hec domus mea. Mira fides

femine, mira misericordia Dei. Cunctis videntibus et stupentibus Deus flammas compescuit ab ejus domo. - Ad fidem habendam.

Miles malus per veram contricionem salvatur. Cesarius. Miles quidam ab inimicis est occisus, qui cum moriebatur tantum hec verba dixit: Domine, miserere mei. In cujus morte quidam obsessus est liberatus, quem cum post paucos dies demon atrocius vexerat. Interrogatus quare hoc faceret, respondit: Multi in morte congregati fuimus talis militis, sed quia nihil obtinuimus vindicabo me amplius in isto. Requisitus de causa dixit: Iste miles tantum tria verba in ultimo mortis articulo enarravit, per que nostram potestatem evasit. - Ad veram penitenciam.

Miles punitur et salvatur. Cesarius. Miles quidam in Saxonia indutus vestibus novis et scarleticis quadam die equitans rusticum cum curru obvium habuit cujus vestimenta cum ex luto rotarum aspergeret, ipse utpute superbus et tyrannus iratus extracto gladio homini pedem amputavit. Qui postea **[15v$^2$:]** Deo miserante de peccatis dolens ordinem cisterciensem intravit, et post paucos dies cicatrix ad instar fili coccinei orta est in eodem pede et loco, ubi rustico pedem amputavit. Et paulatim cepit putrescere et ex eo vermes scaturire. Tunc ipse repletus gaudio ait: Modo de venia spero quia signum Job in corpore meo video. Sicque in magna contricione spiritum reddidit. - Ad punicionem et conversionem.

Minucione aliquando perditur sciencia prius habita. Cesarius. Clericus quidam bone et sufficientis literature cum sanguinem in vena minuerit, sic omnes sciencias literarum perdidit ut eam per sanguinem amisisse videtur. Litteras ab ista hora non cognovit, latini sermonis nec unum verbum poterat intelligere nec proferre. Nec tamen privatus erat sensu omnium aliarum rerum. Quod multis exposuit. Quidam suasit ei dicens: Anno revoluto eadem die et hora iterum te minuas et forte subtracta recipies. Quod cum fecisset pristinam scienciam recuperavit. - Ad minucionem et quomodo ex ea deperditur sciencia.

Misericordia Dei omnibus est parata[12]. Magister Alexander episcopus medoviensis in postillis suis. Quidam scolaris bononiensis degens sceleribus deditus vidit in campo magno, ubi erat constitutus, tempestatem sibi imminentem. Fugiebat ad domum quandam et pulsabat

[12]Almost the same story f. 200v

ut intraret. Cui hospita respondit: Ego sum justicia que hic habito. Tu qui non es justus, hic intrare non possis. Tunc **[16r$^1$:]** eo ad aliam domum pulsante hospita respondit: Ego veritas hic habito. Tu qui veritatem non diligis, hic non intrabis. Tunc pulsante eo ad 3$^{am}$ domum dictum est ei: Ego pax hic habito. Sed quia non est pax impiis, hic non intrabis. Verumtamen ego cogito cogitaciones pacis et non affliccionis. Consulo tibi ut fugias ad sororem meam, que hic juxta me habitat, que omnibus miseris subvenit. Pulsante eo ad ostium dixit hospitata: Ego sum misericordia que hic habito. Si me vis habere et ab imminente tempestate salvari, vade ad domum fratrum predicatorum in Bononia ibique salvaberis. Predictus ergo scolaris illis visionem per ordinem recitavit et habitum petiit et accepit. - Ad conversionem.

Missa prodest multum. In diocesi greciopollicana quidam dum in quadam rupe argentum foderet, subito rupis cecidit et omnes extinxit. Unus tamen eorum subtus in sinu quodam ipsius rupis mortem evasit. Inde tamen exire non valuit. Uxor autem illius ipsum mortuum estimans omni die missam pro eo celebrare faciebat, panem et urceum vini et candelam omni die pro eo offerebat. Cui diabolus invidens per tres dies in forma humana apparuit continue et, quo tenderet, requisivit. Cui, cum illa causam itineris exponeret, ille: Noli frustra vexari, quia jam missa celebrata est. Ista autem missam tribus diebus intermisit. Quidam autem in predicta rupe fodiens vocem quandam audivit et subtus dicentem: Plane percutias, quia capiti meo imminet magnus lapis. **[16r$^2$:]** Cum autem iste tremeret et ad audiendam hanc vocem plurimos convocasset, iterum fodit et similem vocem audivit, quem omnes circumstantes sanum de rupe extraxerunt. Et suscitantes quomodo tamdiu ibi vixisset, ait: Qualibet die tribus exceptis fuit mihi oblatus panis unus et urceus vini et candela accensa. Quod uxor ejus audiens et vehementer exultans agnovit, quod de oblacione sua fuerat sustentatus, et quod diabolus eam decepit ne illis tribus diebus missam cantari faceret. - Ad oblaciones.

Monachus in habitu suo debet mori. Cesarius. In quadam abbatia cisterciensis ordinis monachus in infirmitate nimia afflictus cucullam exuens et scapulare induens sic mortuus est. Deportatusque in oratorium monachis psalmos legentibus ille in secreto se erigens abbatem vocari fecit. Territis fratribus fugientibus abbas venit. Cui iste: Confiteor vobis quod sic sine cuculla mortuus sum. Ergo cum putarem libere paradisum intrare, beatus Benedictus dixit mihi: Quis es tu? Ego dixi: Ego sum

monachus cisterciensis ordinis. Dixit: Nequaquam. Si es monachus, ubi est habitus tuus? Sine eo huc intrare non vales. Supplicantibus autem pro me quibusdam permissus sum redire ad corpus, ut habitu a te recepto illic merear intrare. Quo audito abbas cucullam reddidit, qua induta expiravit et paradisum intravit.

**[16v[1]:]** Monialis debet esse in omnibus patiens. Ambrosius. Quedam bona matrona rogavit quandam abbatissam ut unam monialem sibi concederet, que cum ea per aliquod tempus remaneret. Que ei concessit unam que in omnibus ei et tote familie dulciter et benigne serviebat et neminem offendebat. Elapso anno abbatissa dominam predictam et monialem visitavit. Cui domina dixit: Reducate monialem vestram, quia nil circa eam possem lucrari. Tunc misit unam virginem sed litigiosam et iracundam et contra dominam murmurantem et eam explorantem et multos turbantem. Elapso anno abbatissa visitans matronam audivit ab ea: Optimam dedistis mihi monialem. Volo quod numquam a me recedat, nam tantum lucrata sum isto anno per istam, quantum per aliam perdidi anno transacto.

Mors omnia facit relinquere. Libro de dono timoris. Quidam rex Lotoringie juvenis esset in extremis, respiciens palacium suum et domos suas multas dixit: O Domine Deus, quam contempnendus est mundus iste. Ecce ego qui tot habui palacia, hospicium nescio, quo hac nocte debeo ire, vel quis me hospicio debet recipere. - Ad contemptum mundi.

Mortis certitudo, quantumcunque defertur, multos inducit ad bonum. Libro de dono timoris ad penitenciam. Quidam magne literature philosophus deditus mundi vanitatibus audiens in matutinis de longa vita patrum primitivorum, et quod semper in fine dicebatur: Et mortuus est. Cogitavit eciam quod sic eveniret ei, quamdiu viveret, et ex hoc **[16v[2]:]** contempsit mundum, intravit ordinem predicatorum, ubi factus est magister in theologia Parisius et magister magne auctoritatis et civilitatis. - Ad contemptum mundi.

Mortis memoria inducit hominem ad penitenciam. Libro de dono timoris. Cum quidam miles flagiciosus nullam penitenciam sibi injunctam a papa Alexandro vellet complere, dedit ei annulum suum ut pro penitencia portaret tali condicione, quod quando eum respiceret, cogitaret de morte sua. Quod cum pluribus diebus fecisset, rediens ad

papam dixit quod paratus esset quamcunque penitenciam facere. - Ad penitenciam.

Mortui aliquando monent vivos pro eis ablata restituere. Cesarius. Miles quidam nomine Fredericus de Kelle apparuit cuidam civi, de cujus naribus fumus et flamma procedebant, tectus pellibus ovinis et molem terre gestans in humeris. Cui civis: Estis vos dominus Fredericus? Respondente isto: Ego sum. Subjunxit: Unde venistis, et quid significat ista que video? Ego, inquit, in maximis penis sum. Pelles istas cuidam vidue subtraxi, quas modo ardentes sentio. Similiter partem cujusdam agri mihi venditam injuste, cujus nunc pondere premor. Sed si filii mei ista restituerint, penam meam multum alleviarent. Sicque evanuit. Audientes autem filii verba patris ab illo maluerunt eum in penis manere quam predicta restituere. - Ad restituenda ablata.

**[17r$^{1}$:]** Mures eciam aliquando hominem invadunt. Ex cronicis. Tempore Henrici 3$^{iii}$ imperatoris dum quidam potens sederat in convivio, repente a muribus est circumvallatus, et omnes alios relinquentes hunc solum persequntur. In navi ponitur ut mures evadat, sed in aquam salientes navem corrodunt. Tandem cum nusquam esset ei refugium, ad terram reductus totus a muribus est consumptus. - Ad vindictam.

Nicolai confessoris. Ex miraculis ejus. Judeus quidam miracula beati Nicolai audiens imaginem ejus in domo sua pingi fecit, cui omnia sua custodienda commisit. Quo absente fures venerunt et omnia asportaverunt. Rediens iste et hoc inveniens imaginem cepit exprobrare et flagellare. Et ecce beatus Nicolaus in silva latronibus apparens et corpus suum flagellatum eis ostendens minatur eis suspendium, nisi cito res ablatas restituant, ipsum asserens Nicolaum in cujus custodia judeus omnia posuerat. Territi latrones omnia referunt et miraculum exposuerunt, confitentur ipsi, et judeus iste baptizatur. - Ad fures et ad bonum custodem.

Novicius debet semper in devocione proficere et non tepescere. Ex vitis patrum. Quidam volens intrare religionem dixit hoc tantum matri sue, que cum vellet eum avertere, non acquiescebat. Sed dicebat: Volo salvare animam meam. Cum autem intrasset et bene se haberet et ferventer in primordiis, postmodo cepit tepescere et paulatim laxari. Cum autem factus fuisset dissolutus, egrotus factus **[17r$^{2}$:]** in extasi raptus ad

judicium, ubi matrem jam defunctam invenit, que videns eum dixit: Quare huc venisti, fili, et tu huc nobiscum ad judicandum venisti, et ubi est quod dicebas: Volo salvare animam meam. Ad hanc confusus et obtumescens rediit ad primitivum fervorem et dicebat: Si non possim matris sue [mee?] improperium sustinere, quomodo potero Christi et omnium sanctorum et angelorum. - Ad Christi amorem et fervorem.

Oblacio non debet fieri nisi de bono. Jacobus de Vitriaco. Quidam rusticus male solvens decimas et raro in altari offerens nisi in solempnitatibus et tunc denarium falsum offerens, venit autem cum aliis in die pasche ad communionem. Sacerdos autem, qui [cui?] bene obviaverat et semper falsum denarium offerebat, aliis corpus Christi recipientibus rustico dedit unum falsum denarium in ore suo. Quem ille masticans denarium invenit, quem obtulerat, et obstupuit. Celebrata missa cum lacrimis accessit ad sacerdotem et ait: Domine, peccatis meis exigentibus hodie mihi accidit, quod hostia mutata est in falsum denarium. Cui sacerdos: Sine causa non accidit tibi hoc. Dic mihi quid feceris. Cui iste cum confusione et rubore ait: Confiteor peccatum, quia avaricia me tenente offerebam falsum denarium, aliis offerentibus bonos. Ad quem sacerdos: Hoc est judicium tuum, quod dixisti. Propter hoc loco eucaristie falsum denarium reperisti. Et ita facta **[17v$^{1}$:]** restitucione postquam promisit quod monetam bonam offeret et decimas juste solveret. - Ad oblacionem.

Oracio eciam dampnatos ad vitam et penitenciam revocat. Petrus Damianus. Mortuus quidam monachus in ecclesia jacens dum missa pro eo celebraretur, et dum dictum fuisset Agnus Dei, ecce subito mortuus surrexit et maledicta et blasfemias cepit in Deum evomere, crucem sanctam conspuere et ad Dei genitricem ignominosis obprobriis lacerare et dicebat: Quare me psallitis et offertis? Ego enim sum dampnatus et in flammis tartareis constitutus. Tunc monachi toto corde pro eo orantes exutis vestibus se verberantes et cito illum desperantem vident ad se redire et Deum laudare, demonem abnegare, crucem adorare et penitenciam flagitare. Confessus est autem et laudavit benedicens Deum et usque in alterum diem vixit et in sancta confessione migravit. - Ad confessionem.

Oracione revocatur dampnatus ab inferis. Ex gestis beati Gregorii. Beatus autem Gregorius cum quodam tempore ante palacia beati Trajani

transiret, recordatus clemencie ejus amarissime flere cepit et diu ante altare sancti Petri flens oravit, donec vox ad eum diceret Trajanum precibus ejus a penis infernalibus esse liberatum. Sed decetero caveret ne pro alio infideli dampnato orare presumeret. - Ad compassionem.

**[17v$^2$:]** Ornatus immoderatus causa est exultacionis demonum. Cesarius. In ecclesia quadam curatus mulierem quandam variis ornamentis contextam ante ostium ecclesie videns, in cujus vestimentorum cauda, quam post se trahebat longissimam, vidit multitudinem demonum qui erant nigri ut ethiopes, parvi ut glires, manibus plaudentes et sicut pisces intra sagenam clausi calcantes, conspexit. Eamque ibidem stare jussit, populum advocavit, demones ne fugerent adjuravit et ut populus hoc videre possit precibus a Deo impetravit. Videns ergo mulier se ob vestimentorum superbiam sic a demonibus delusam et domum rediens vestimenta mutavit, et tam ipsi quam aliis hec visio facta est occasio humilitatis. - Ad superbiam.

Pauper humilis ditabitur et pauper superbus prosperabitur [pauperabitur?]. Jacobus de Vitriaco. Duo fuerunt pauperes unus humilis et alter superbus. Sed humilis, ubicunque segetes tricabantur, cum cyrotheca petebat triticum, et illi nemo negabat sed singuli cyrothecam implebant, et sic in brevi factus est dives. Alius semper cum magna bursa et sacco petens triticum, cunctis territis sacci magnitudine nihil recipiebat et sic omni die magis efficiebatur pauper. - Ad humilitatem et superbiam.

Penitencia perfecta delet peccata et nihil formidat. Cesarius. Monachus quidam apostata primo de nigro ordine et ultimo cisterciensi fugiens omnibus carnis voluptatibus et aliis **[18r$^1$:]** immensis flagiciis se dedit. Tandem inspirante Deo ordinem et habitum cisterciensem resumpsit. Mox ad penitenciam convolans confessionibus assiduis, lacrimis, oracionibus et jejuniis insistebat, omnibus vere penitencie formam prebuit et exemplum. Tandem infirmatus est ad mortem et in agone modo psallens modo cantans modo Dei genitricem salutans, presentibus autem abbate et fratribus sic ait: Reverendi patres, ego peccator et penitens. Testes vos mihi apud Deum esse cupio sincere mee confessionis et vere penitencie, et si Deus mihi vitam dederit, paratus sum ad omnem satisfaccionem, tormentum, laborem subire. Nil durum, nil difficile, nil impossibile vere penitenti. Sic vero compunctus et

penitens inter hec verba felicem reddidit spiritum, visique sunt angeli ad eum venisse et eum cum magno gaudio detulisse. - Ad apostatam de claustro fugientem.

Perseverancia. Perseverandum est in bono. Johannes Anachoreta. Fuit vir quidam pessimam vitam ducens, qui compunctus intra quoddam sepulchrum se recludens peccata lacrimis abluebat. Semper prostratus ad celos nolebat oculos levare nec nomen Dei nominare, sed in solis gemitibus perdurabat. Venerunt autem in sepulchro quidam clamantes dicentes: Quid facias hic, flagiciosissime, postquam omni spurcicia et impuritate satiatus es, et jam vires non sufficiant ad facinora, tu vis pudicus et bonus videri. Tedeat nos quia quasi unus ex nobis es, et alius tibi non debetur locus quam nobiscum, et per tempus quod tibi superest, sicut cepisti, **[18r$^2$:]** voluptate frueris. Quid aliud passurus esses in inferno, quam quod nunc pateris? Iste autem tacitus jacebat, quod videntes demones eum acerrimis verberibus cedebant, quod $2^o$ et $3^o$ fecerunt in tantum ut semivivum eum relinquerent, clamantes demones et dicentes: Vicisti. Et ultra non comparuerunt. - Ad firmam penitenciam.

Petrus mortuum suscitavit. Ex legenda ejus. Mulier quedam in Flandria, cum jam tres pueros [mortuos] peperisset, rogavit beatum Petrum ut eam juvaret. Cum autem $4^{um}$ puerum peperisset mortuum, ipsum accipiens et totum dans beato Petro, ecce, qui fuerat mortuus, apparuit vivus. Et cum ordinatum fuisset ut in baptismo Johannes vocaretur, sacerdos nesciens quid diceret, Petrum eum nominavit, quod nomen remansit ei.

Preceptum indiscretum nocet subito [subdito?] inobedienti. Cesarius. Monachus quidam cisterciensis ordinis defunctus cuidam apparuit, et requisitus est ab eo de statu suo. Respondit: Numquam credidissem Deum fuisse ita districtum, nec minima observat. Et subjunxit: Deus ignoscat prelatis vestris, quia multis et magnis sepe nos subjiciunt penis. Valde enim precepta illorum ligant, quando enim aliquid indiscrete precipiunt, et subditi hoc minus intendunt vel parvipendunt, futuro judicio reservatur. - Ad obedienciam indiscretam.

**[18v$^1$:]** Predicacio. Predicandum est sincere propter Deum. Cesarius. Quidam premonstratensis ordinis in officio predicacionis mortuus est. Socio suo apparuit, a quo cum requisitus de statu suo

respondit: Cum morier, circumdederunt me demones, quorum unus dicebat: Numquam bene servasti ordinem tuum. Alius autem dixit: Numquam sincere predicasti propter Deum. Et intellexi quod uterque verum diceret, et fere desperabam eo quod non erat qui pro me responderet. Et ecce Christus manu tenuit me dicens: Sequere me, quia tu predicasti me. Mox fugierunt. Christum secutus sum ad gloriam, nullam tamen aliam penam excepto isto timore passus sum. - Ad predicacionem propter Deum.

Promissio. Promissum debet solvi. Petrus Alphonsus. Dives quidam saccum mille talenta et serpentem aureum continentem amisit, quem pauper invenit. Alia die preco clamavit: Qui talem censum invenit, reddat, et in graciis centum talenta habebit. Pauper ergo malens minus habere sine peccato, licet uxor sua contradiceret, censum reddidit et promissum petiit. Sed dives, ut promissum non solveret, proposuit quod duo fuerunt in sacco serpentes aurei. Pauper vero negavit. Devenit autem ad regem, et omnes stabunt pro divite, pauper solus erat dissolutus. Cui misertus quidam philosophus consiliarius regis dixit regi: Rex, multum est credendum isti diviti, quod duos **[18v$^2$:]** amiserat serpentes. Ex altera parte, si iste pauper non esset bonus et verax, totum retinuisset, quia totum occultum erat. Voca ergo divitem et dicas ei, et ex quo dicit se duos amississe serpentes, tunc iste saccus non est suus. Sed fac clamare per preconem de illo cum duobus serpentibus. Tunc dives videns quod baculo suo percutiebatur, recognovit regi quod ipse dixerat duos ibi fuisse serpentes, cum tamen unus esset tantum, quia pauperi promissum nolebat solvere. Cui rex promissum pauperi solvere compellebat. - Ad decepcionem.

Proprietas. Proprium non debet habere religiosus. Cesarius. Monachus quidam cisterciensis ordinis ad mortem infirmatus confessus est abbati suo. Quo facto et corpore Christi in ore suo posito masticare vel deglutire non potuit, licet eodem die unam gallinam integram comedit. Ipso autem cito defuncto inventi sunt circa eum quinque solidi non argentei, sed erei. Sicque apparuit quare corpus Christi sumere non valuit. - Ad eucaristiam.

Prosperitas presens est aliquando signum future adversitatis. Ex dictis beati Ambrosii. Quadam vice dum beatus Ambrosius Romam pergeret et in quadam villa Tuscie apud quendam divitem hospitatus

fuisset, eum de statu suo **[19r[1]:]** requisivit. Cui iste respondit: Status meus, domine, semper felix fuit et glorious, nam divicias, servos, filios et nepotes possideo et omnia semper ad votum habui, nec aliquid adversum mihi evenit. Quo audito Ambrosius vehementer obstupuit et sociis suis dixit: Surgite, eamus quia Dominus non est in loco isto. Festinate ne nos divina ulcio apprehendat hic. Cum igitur fugerent et aliquantulum processissent, subito se terra aperuit et hominem istum [cum] universis ad se pertinentibus ita absorbuit ut inde nullum vestigium remaneret. Quod cernens Ambrosius dixit: Ecce fratres, quam misericorditer parcit nobis Deus, cui hic adversa tribuit, et quam severe irascitur homini illi, cui semper prospera elargitur. In eodem autem loco fovea quedam profundissima fuit, que usque in presentem diem est testimonium. - De ulcione Dei.

Puer desponsavit imaginem beate viginis. Ex miraculis virginis. Pueri clerici ludum pile exercentes, quorum unus antequam ludebant, habebat annulum in manu sua quem ei puella quedam amore carnali dederat. Timens ne forte assidua pile percussione frangeretur, divertit se ad ecclesiam ut alicubi reponeret. Ingressus est ecclesiam et imaginis pulchritudinem admirans genu flexo eam salutavit devote et addidit: Vere pre omnibus formosior est illa quam ista, que mihi annulum **[19r[2]:]** dedit. Ideo ei renuncio teque deinceps amare volo, ita tamen quod tu eciam me sic. Et annulum digito imaginis imposuit, et imago quasi condignum approbans digitum constrinxit. Quo viso puer stupore perterritus aliis vocatis premissa enarravit. Postmodo autem imagini est mentitus, uxorem duxit. Sed prima nocte nupciarum beata virgo inter ipsum et uxorem suam media recumbens apparuit, annulo digitum pretendens et de infidelitate eum arguens. Excitatus querebat palpitando imaginem et non inveniens credidit esse fantasma. Sed postea apparens comminando ei ipsum exercuit et evigilans relictis omnibus nocte in heremum recessit, ubi ei devote usque in finem vite sue servivit. - Ad beatam virginem.

Religiosus non debet se in potu exercere. Petrus Damianus. Quidam vir sanctus prostratus in oracione in parasceve raptus est usque in diem pasche. Qui reversus ad se dixit quod vidit quendam religiosum magne penitencie suffocatum a diabolo in potu, in quo solebat se exercere, trahi ad judicium. Sed occurrente beato Nicolao, cui devotus fuerat, adjudicatus est penis gravissimis in purgatorio. - Ad gulam exercendam.

**[19v[1]:]** Religiosus inobediens aliquando miserabiliter punitur. Cesarius. Abbas quidam videns quod cuidam monacho infirmo carnes essent necessarie, precepit ei ut carnem comederet. Sed iste nimis pertinax precipienti non acquievit. Ut autem Deus meliorem ostenderet obedienciam quam stultorum victimas, iste inobediens mox in rabie versus in agrum cucurrit, ubi canem mortuum reperiens ejus carnes fetentes avidissime comedit, et quia in carnibus deliquerat in carnibus est punitus. - Ad preceptum superioris et obedienciam.

Reliquie sanctorum sunt honorande. Cesarius. Cum in quodam monasterio ordinis cisterciensis haberentur duo corpora de societate xi milium virginum, et propter quandam guerram supra testudinem ecclesie fuissent reposita et ibidem diu neglecta. Theca, in qua jacebant, sic terribiliter concusserat quod ab omnibus poterat audiri. Sed eciam sacriste idem sonus apparuit et dixit se de longinquo velle recedere. In matutinis in quadam nocte solempni toto conventu presente et vidente ante altare tunc dicte virgines inclinantes per quoddam hospicium [ostium?] ecclesie, quod semper erat clausum, recesserunt. Accedentes monachi ad thecam sive scrinium, in quo dicta corpora posuerunt, et illud aperientes nihil ibi reperierunt. Stupefacti Coloniam miserunt[?] Dictis monachis sunt reperta. - Ad honorem reliquiarum.

Remunerat Deus aliquando bona a peccatoribus facta. Cesarius. Miles quidam raptor et predo **[19v[2]:]** ad mandatum imperatoris Frederici captus est et suspensus. 3[a] die post suspensionem alius miles equitans prope patibulum et videns illum dixit famulo: Deus, quam pulcher fuit homo iste. Respondente illo: Domine, consanguineus vester est. Vir ille nobilis accedens proprius ut ipsum deponeret et sepeliret, iste de patibulo dixit: Deponite me, adhuc ergo vivo. Depositus ergo sic ait: Modicum obsequii ego peccator impendi Deo, propter quod misertus est mei. Singulis diebus tres oraciones dominicas cum totidem Ave Maria sancte trinitati dicere consuevi, angelica salutacione premissa, quinque vero oraciones cum quinque Ave Maria ad honorem quinque vulnerum Christi quotidie dixi. Simili modo unum paternoster dixi angelo, cui commissus sum, et eodem modo unum ad honorem corporis Jhesu Christi quod conficitur per totum mundum. Quare[?] in fine vite mee sanctum viaticum percipere merear, et quod Dominus prestabit mihi suam misericordiam. Unde rogo ut vocatis mihi sacerdotem. Qui cum venisset,

confessione premissa communicavit moxque spiritum emisit. - Ad devocionem ad Deum.

Sacerdoti curato imputatur defectus subditorum. Cesarius. Fuit quidam sacerdos curatus luxurie et comesacionibus vacans animas sibi commissas negligens, qui cum mortuus esset, parochiani ejus in locis infernalibus eum ceperunt accusare et dicere: Tibi commissi fuerimus, tu nos neglexisti, et cum peccaremus, nec nos verbo nec exemplo revocasti. Tu occasio nostre dampnacionis fuisti. Post hoc iste in puteum cadens numquam comparuit. - Ad curam animarum.

**[20r$^1$:]** Sacramentum altaris devote celebranti quandoque apparet in specie pueri. Cesarius. Monachus quidam cisterciensis ordinis in die natali Domini in quodam altari privato celebrans cum multa devocione et lacrimis, jam non speciem panis sed infantem tam pulcherrimum vidit, cujus amore succensus et pulchritudine delectatus complexus est eum. Timens tamen moram propter circumstantes super corporale reposuit. Ille vero, ut missa perfici possit, formam sacramentalem sumpsit. - Ad devocionem in missa.

Sciencia nigromancie est mors anime. Cesarius. Duo juvenes apud Theletum studebant in nigromancia. Unus illorum ad mortem infirmatur, rogavit eum alter ut ei infra xxx dies appareret, quod iste concessit. Isto vero mortuo post xxx dies socio suo apparuit, a quo est requisitus de statu suo. Qui respondit: Ve mihi, dampnatus sum propter scienciam, quam didici, diabolicam. Consulo autem tibi ut eam dimittas. Qui ejus consiliis acquiescens ordinem cisterciensem intravit. - Ad nigromanciam.

Servicium. Servire Deo utile est.[13] Libro de dono timoris. Rex quidam habuit prepositum, qui fideliter ei servivit. Cum autem infirmatus esset ad mortem, visitaretur a rege, et offerret ei rex si quid ei vellet. Ille ait: Volo ut me liberetis ab hac infirmitate, que me multum affligit. Respondente autem rege quod libenter faceret, si posset, sed non poterat. Subjunxit ille: Et ego promitto illi, qui me potest liberare, quod si hoc fecerit, ammodo serviam ei et non homini. Quod et factum est. - Ad infirmum.

[13]Almost the same story f. 319v

**[20r$^{2}$:]**Silencium aliquando aliquis imponit sibi in penam. Ex gestis $2^{di}$ philosophi. $2^{dus}$ philosophus cum adhuc adolescens in scolis audisset omnem mulierem esse incontinentem. Tandem in philosophia profectus in patriam suam remeavit more peregrini, baculum et peram circumferens, longam comam capitis gerens cum barba prolixa. Hospitatus autem in domo sue matris nec ab ea nec ab aliquo est cognitus. Volens ergo probare si verum esset, quod de mulieribus audiverat, uni ex ancillis decem aureos promisit, si persuaderet matri. At illa consentiens ancille vespere autem facto fecit eum ad se introduci. Cumque illa estimaret se cum illo carnaliter debere commisceri, iste ipsam velut propriam matrem amplectens inter ubera illius dormivit usque mane. Mane autem facto illo surgente mater ait: Ut quid me temptares, cur fecisti? Qui ait: Nequaquam, domina mater, neque enim dignum est me illud vas maculare unde exivi. Ego enim sum secundus filius tuus. Quo audito confusionem suam non ferens exanimata est. Secundus vero sciens quod per loquelam suam mors matris contigisset, hanc a se in posterum exigit penam, ne amplius loqueretur, et sic ad mortem sile ncium servavit. Unde postmodo Adriano imperatori eum salutanti non respondit et cum eo, quia loqui nolebat, duceretur ut decapitaretur, et si loqueretur eum dimitteret. Spiculatoreque hoc **[20v$^{1}$:]** faciente et dicente: O Secunde, quare morieris? Loquere et vives. Ille vitam suam parvipendens mortem tacitus expectabat cervicem extendens et gladium suscipere paratus. Quem spiculator ad imperatorem reducens ad sentenciam capitalem est judicatus. - Ad silencium servandum.

Sortilegium. Sortilegiis non est fides adhibenda. Libro de dono timoris. Quedam mulier sortilega ad mortem infirmabatur. Monebatur a filia sua quod confiteretur et sacramenta peteret. Qua renuente vocavit filia vicinas suas ut ei hoc suaderent, quibus monentibus ista respondit: Non moriar ita cito. Illis autem affirmantibus: Immo ecce jam moriemini, ista subjunxit: Certa sum quod non moriar ante quinque annos. Illis autem querentibus, quomodo hoc sciret, dixit: Hoc anno prima die Maji cuculus mihi respondebat quinque vicibus cantans cukcuk, et ideo scio quod per quinque annos vivam. Cito postmodo sine sacerdote et sacramento mortua est. - Ad decepcionem mortis.

Suffragia a bonis facta multum valent. Ex legenda lombardica. Miles quidam defunctus alteri militi vivo apparuit dicens: Noli suspicari malum de aliquo et condonaris mihi, si quid in te peccavi.

Interrogatusque de statu suo dixit: Variis penis affligor, sed oraciones facias fieri pro me. Querenti autem illo an a tali sacerdote vellet illas fieri oraciones, iste nihil respondens. Deinde querens an ab isto heremita **[20v[2]:]** vellet illas fieri, respondit: Utinam iste pro me oraret. Quod cum facturum promiserat, ille subjunxit: Et ego dabo tibi quod ab isto die usque ad duos annos tu eciam morieris. Sicque ille disparuit, et miles vitam in melius mutavit et in Domino obdormuit. - Ad apparicionem defuncti post mortem suam.

Suffragia non prosunt dampnatis secundum legacionem[?]. Cesarius. Sacerdos quidam pro quodam principe defuncto tam in missis quam in oracionibus suis cum multis lacrimis orabat. Cui apparens quidam sanctus ait: Quare tantum laboras pro isto homine dampnato? Nihil enim ei prodest quia anima ejus in profundo inferni est dimersa. Respondente sacerdote: Domine, multa bona fecit mihi. Sanctus subjunxit: Cessa orare pro eo quia anno integro, antequam sepeliretur, mortuus erat, cujus corpus malignus spiritus loco anime vegetabit. - Ad orandum pro dampnatis.

Testamentum usurarii in morte factum valet. Cesarius. Quidam usurarius dives infirmatus ad mortem vocato quodam abbate confessus penitens testamentum tale fecit: Domine, si vultis respondere pro anima mea, omnia que habeo vobis tradam, ut de illis quid vobis videtur faciatis. Qui annuens omnia bona sua ad abbaciam deportari fecit. Abbas autem usuras plenarie restituens plurimas eleemosynas faciens residuum in usus fratrum convertit. Cum autem fratres circa corpus psallerent, ecce 4[uor] teterrimi spiritus ex parte sinistra circumstabant, quibus visis fratres omnes territi fugierunt excepto uno **[21r[1]:]** sanctiore. Et ecce 4[or] albi angeli in dextra parte qua demones se ordinaverunt. Mox unus demonum dixit [Ps. 35,2]: *Dixit injustus ut delinquat in semetipso, non est timor Dei ante oculos ejus.* Hoc in isto homine impletum est. Alius dixit: *Quoniam dolose se egit, inveniatur iniquitas ejus ad odium.* 3[us] dixit: *Verba ejus iniquitas, noluit intelligere ut bene ageret*. 4[tus] ait: *Iniquitatem meditatus est in cubili suo, astitit omni vie non bone, maliciam non odivit.* Tunc simul omnes dixerunt: Si Deus justus est et verba ejus vera sunt, homo iste noster est. Responderunt autem angeli. Primus ergo dixit: *Domine in celo, misericordia tua et veritas tua usque ad nubes.* 2[us]: *Justicia tua sicut montes Dei, judicia tua abissus multa.* 3[us] subjunxit: *Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.* Sicque

confusis demonibus animam contritam deportaverunt. - Ad usurarii contricionem.

Timeri debet judicium ultimum. In vitis patrum. Quidam frater interrogavit abbatem dicens: Dic mihi unum bonum verbum. At ille: Vade et cogit a sicut latro in carcere, ubi est judex querens, in expectacione pene sue plorat, sic monachus et quicunque fidelis [cogitet] quomodo ante tribunal Jhesu Christi poterit stare et omnium actuum suorum racionem reddere. Si sic meditatus semper fueris, salvus eris. - Ad ultimum judicium.

**[21r²:]** Vanitas est semper fugienda. Ex dictis patrum. Quidam monachus Constantinopolim temporibus Theodosii imperatoris habitabat in parva cella foris civitatem. Audiens imperator solus perrexit, et non cognovit quod esset imperator. Festinavitque et misit aquam et sal et bucellas, et comederunt pariter. Tunc dixit ei: Ego sum Theodosius imperator et ob devocionem tui veni huc. Beati estis vos qui securi et liberi estis de necessitatibus seculi, tranquilla et quieta perfruimini vita. In regno meo dego et sine sollicitudine numquam cibum capio. Et ita egressus est ab eo. Eadem vere nocte cepit famulus intra se cogitare dicens: Non solum de populo sed eciam de palacio quamplurimi exemplum imperatoris secuti ad modum vie venturi sunt, et honorem mihi tamquam servo Dei deferre non cessabunt. Timeo ne malignus spiritus me surripiat. Eadem vere nocte perrexit in Egyptum ad sanctos patres in heremum. - Ad vanam gloriam et laudem imperatoris.

Usura rii aliquando visibiliter demonstrantur. Cesarius. In civitate Metensi defunctus est usurarius avarus, qui cum morti appropinquaret, supplicavit sue uxori ut crumenam denariis plenam juxta se poneret in sepulchro. Quod cum illa fecisset, quidam sepulchrum aperientes duos buffones invenerunt, unum in ore crumene, alium in pectore. Ille denarios cum suo ore de crumena extrahebat et cordi ejus immittebat ac si diceret: Nonne pecunia satiabimus cor tuum insatiabile. Quibus visis illi timore percussi crumenam rejicientes fugierunt. - Ad penam et dampnacionem.

## De doloribus Marie

**[21v[1]:]** *Videte si est dolor similis sicut dolor meus.* Tren. 1[,12]. Semel fuerunt tres scolares Parisius stantes simul in una camera, qui se amore mirabiliter dilexerunt. Cumque diu fuissent simul, tandem oportuit quendam repatriare. Cumque amaritudine horribili torqueretur, dixerunt inter se quod quilibet unum bonum verbum proponeret, quod quasi jocale perpetuum quilibet sua memoria retineret. Primus dixit: Major dolor qui potest esse, est recessus amicorum ab invicem, quod probo quia numquam mei cordis intima tam durus dolor penetrat sicut iste recessus, quo vestra presencia ammodo frustrabor. 2[us] dixit: Major dolor de mundo est recessus anime a corpore, quod sic probo: Nam recedentibus amicis adhuc remanet homo, et permanent veri amici, et potest homo alios amicos acquirere, sed omnia ista cessant. 3[us] dixit: Major est recessus Dei ab homine, quia quamvis anima a corpore recedat, potest tamen sibi melius esse cum Deo in paradiso, sed recedente Deo omnia alia perduntur. Hic dictis ab invicem abierunt.

Spiritualiter per istos tres socios intellige Christum, Mariam et Johannem evangelistam, qui se inter omnes morientes fortius dilexerunt. Sed postquam in vita se multum dilexerunt, tandem oportebat eos ab invicem separari, quia Christus in suam patriam debuit transmeare. Et quia necesse erat eos dividi, dolor maximus erat inter illos et specialiter in Maria. Unde dixit filio morienti: Magnus dolor est separacio amicorum, et ecce istum sustineo quia amicus meus sc. filius meus dilectus tam crudeliter a me hodie separetur.

**Exempla**

Major **[21v[2]:]** dolor est separacio anime et corporis quam patior, quia plus vellem animam a corpore separari, quam quod animam meam pertransiret gladius passionis filii mei. Maximus dolor est quando Deus recedit ab homine, et ecce hoc sustineo quia tam crudeliter filium meum Deum et hominem perdo. Ergo omnes 3[s] dolores lassata sustineo. Quis ergo dolor potest esse tantus. Bene ergo dixi: Videte etc. - Et tantum de illo.

Quidam rex regnavit[14] qui pulchram filiam habebat, quam multum dilexit.[15] Que post deorsum regis regnum accepit, quia unica erat relicta.

[14] Probably from Gesta Romanorum where the stories usually begins with“ XX regnavit, qui...“

[15] The same story with the opposite end f. 156v

Hoc audiens quidam dux tyrannus ad eam venit et multa ei promisit, si sibi consentiret. Illa vere seducta est per eum et deflorata facta. Post defloracionem flevit amare, tyrannus vero eam ab hereditate sua expulit. Illa vero expulsa gemitus et suspiria emittebat, et in via publica singulis diebus sedebat ut a transeuntibus eleemosynam peteret. Cum una die sic flendo sederet, quidam miles generosus juxta eam equitando venit. Videns ejus pulchritudinem captus est in oculis ejus et ait: Karissima, quid est tibi? At ista: Filia regis unica sum et post patris mei deorsum jure hereditario regnum habui, sed per quendam tyrannum sum seducta et deflorata, et post hoc privavit me hereditate mea. At miles: Utrum placet tibi esse sponsa mea? Que ait: Eciam, domine, hoc desidero omnino. Qui ait: Fidem tuam mihi trade, quod nullum alium accipies preter me, et ego **[22r[1]:]** contra tyrannum illum pergam, bellum dabo et terram tuam acquiram. Si vero in bello mortuus fuero et hereditatem tibi acquiro, non aliud peto nisi arma mea sanguinolenta tecum custodias in signum amoris. Si vero aliquis ad te veniet ut in uxorem te ducat, cameram tuam intres, in qua arma mea pendent, et ea diligenter respice et mei memoriam habeas quomodo propter tuum amorem vitam meam amisi. At ista: Domine, firmiter hoc promitto. Absit ut nobilem vitam tuam amittas. Armavit se et contra tyrannum perrexit.

Audiens hoc dux toto conamine se contra eum opposuit, et ad invicem pugnabant. Miles vero obtinuit victoriam et caput ejus amputavit, tamen in bello vulnus mortis recepit et hereditatem puelle acquisivit et 2[a] die est defunctus. Puella per multos dies mortem ejus planxit. Arma ejus sanguinolenta pendebant in camera ejus, et sepius visitavit ea, et quotiens vidit ea amare flevit. Multi nobiles ad eam venerunt ut eam in conjugem acciperent et multa promiserunt. Sed cum unumquemque audisset, antequam responsum daret, cameram solebat intrare et arma diligenter inspicere et in seipsa dicere: O domine, mortuus es pro amore meo et hereditatem meam mihi restituisti. Absit hoc a me ut umquam alteri consociam me. Deinde foris exibat et omnibus hoc responsum dabat: Votum Domino feci numquam viro copulari. Illi hoc audientes recesserunt, et sic toto tempore vite sue remansit in castitate.

**[22r[2]:]** Karissimi, rex iste est pater celestis, filia tam pulchra est anima ad Dei similitudinem creata, cui regnum paradisus dabatur. Sed per suggestionem ducis sc. diaboli illud amisit, per eum deflorata, quando de pomo comedit. Deinde sedebat in platea sc. in mundo, ubi [Gen. 3,19] *in sudore vultus ejus etc.* Que a transeuntibus eleemosynam

petiit sc. cum electis Dei graciam Dei expectabat. Miles qui per eam equitavit, est filius Dei, qui humiliter mundum istum intravit et humano generi compatiebat, cum homo firmiter in baptismo promisit nullum alium virum preter ipsum accipere, et ideo armavit se armis humanitatis et bellum contra diabolum pro te dedit. Victoriam obtinuit, tamen vulnus pro te accepit et hereditatem nostram nobis acquisivit. Fac ergo tu sicut puella: Arma sanguinolenta in camera cordis tui habeas sc. memoria tua recta debet esse semper de Christi passione, quam pro te sustinuit. Et si alique temptaciones venerint per diabolum, mundum aut carnem, curre ad passionem Christi. Recole quomodo pro te et tuo amore mortem sustinuit in cruce et hereditatem tuam sc. regnum celeste acquisivit, et sic temptaciones superabis et vitam eternam obtinebis, quam concedat nobis Deus. - Et tantum de illo.

**[22v[1]:]** De beata virgine miraculum. Legitur de normanno flagitioso homicida, quem hostes sui invenientes in declivo montis decollaverunt, cujus caput devolvunt in vallem trunco in monte superius remanente. Clamavit caput horribiliter in hec verba: Virgo Maria, da veram confessionem. Hoc multo tempore capite clamante unus hostium currens ad villam proximam sacerdotem adduxit, quo veniente caput portatum ad corpus statim ei compaginatum est. Mox sacerdos interrogavit causam tanti miraculi. Cui ille: Audivi adhuc juvenis, quicunque feriam 4[am] vel sabbatum in honorem beate virginis jejunaret, non careret confessione in morte precibus beate virginis. Quod ut audivi, feci in vita mea, licet nihil aliud boni feci. Hoc dicto mox spiritum exalavit absolucione prius accepta. Job ix.

Quidam juvenis temptatus graviter a luxuria advocavit diabolum vovitque ei vitam et animam suam ut perverteret voluntatem unius monialis, ut secum luxuriaretur. Postquam autem eam diabolus temptasset, ad juvenem rediit dicens: Non valeo ipsam ad illicita inducere, quia quotiens eam tempto totiens tendit cor suum et me confundit. Sed ego habeo unum socium astutiorem me. Ipse temptabit eam. Cum autem monialis graviter temptaretur et fere devicta fuit, procidit ante imaginem beate virginis dicens: O beata virgo Maria. Debeo jam carere virginitate mea et meo **[22v[2]:]** longo labore? Que statim meritis beate virginis habuit divinam contricionem et incepit cogitare intime de Christi passione et beneficiis ejus et de immensa castitate beate virginis Marie. Et sic devicit temptacionem diaboli.

In diocesi monasterensi fuerunt duo sacerdotes vicini et fratres, sicut ait Rabanus, qui vero singulares parochias habebant. Quorum unus dicebatur Haymo, alter vero Petrus. Sed Haymo erat bibulus et gulosus, qui multo tempore ut jumentum computrescit in sordibus luxurie, quem eciam episcopus suus ab officio divino sepius suspendit propter hoc et alia infinita flagicia. Nec tamen se correxit, sed diurnis se maliciis immiscuit et conjunxit se concubine manifeste. Frater vero suus bonis pollebat moribus studiis theologie deditus et fratris crimina abhorrebat. Quadam autem vice cum predictus Haymo cum sua concubina in lecto pausaret, tonitrus de celo cum ingenti fragore cecidit et subito ambos extinxit. Audiens frater ejus sciens eum perditum, vehementer eum lugebat dicens: Heu, frater mi, quia male vixisti ideo penas sustinuisti.

Et ecce 3[a] nocte post hoc, cum dixisset matutinas et in cimiterio suo deambularet, vidit leenam igneam mire magnitudinis cum clamore valido ad se **[23r[1]:]** venientem, que et fratrem suum in dorso portabat et cum cauda ejusdem bestie ei insolubiliter colligatum. In humero autem ejus sedebat horribiles buffones ipsum corrodentes et sine intermissione caput ejus hinc et illinc vertentes orique ejus virus igneum inspuentes. In pectore eciam ejus habebat symeam igneam, que cordis sui intima mortiferis dentibus ignitis laniavit.

Petrus ergo territus et signo crucis munitus dixit: Heu, heu, frater mi, quia turpiter vixisti, igitur turpes socios habere meruisti. Judicium Dei justum est ut in inferno per tormenta penarum, que fuerunt in mundo per oblectamenta culparum, quia scriptum est [Sap. 11,17]: *Per que homo peccat, per hec et torquetur*. Hec ergo leena est mea concubina, symea filia, buffones filii, per quos Deum offendere non curavi, et ideo ab hiis torquebor in eternum.

Cumque Petrus dolorem fratris dampnati ineffabilem cerneret, pre timore obmutuit. Cui Haymo ait: Indica mihi, frater, vivit ne aliquis adhuc in mundo? Respondit Petrus: In hoc vero triduo numerum viventium diminutum non cognosco. Et ille: Quid de triduo loqueris? Tricentis annis, ut estimo, in inferno mansi, et tot anime sine intervallacione ad eum descenderunt, quot cadunt gutte in diebus imbrium super **[23r[2]:]** terram. Tres anime tamen, una unius agricole, altera unius monachi et 3[a] Florini ruspensis ecclesie episcopi ductus ad superna migraverunt.[16] Hiis dictis miserabilis iste Haymo et consortes

[16] The same story of solely 3 saved souls f. 220r, f.293Av f. 297v

sui abierunt, unde venerunt. Et Petrus in bonis operibus perseverans feliciter in Domino obdormuit.

Quidam sanctus vidit in spiritu quendam mortuum in vita sua nimis luxuriosum portari a $4^{uor}$ demonibus ante principem suum, multitudine demonum assistente, et dixit princeps: Iste in multis annis in meo servicio fuerat. Ideo dignum est ut post mortem bajuletur. Missusque est in sartaginem igne, sulphure et pice bulientem, et post hoc ait princeps: Educite et ponite eum in lectum ut sudat post balneum, et tunc ponitur super ardentem craticulam pro culcitra, et alia ignita craticula superponitur ei pro torali. Postea princeps ait: Satis sudavit. Date ei bibere nunc post sudorem. Et traditus est ei ciphus veneno et igne plenus, quo hausto dixit iste dampnatus: Heu, quod unquam natus sum homo in mundo. Post $2^{um}$ haustum ait: Abnego auxilium Dei et omnium creaturarum. Post $3^{um}$ haustum dixit, licet renitens: Abnego suffragium Marie virginis et Jhesu Christi filii ejus et omnium **[23v$^{1}$:]** sanctorum angelorum Dei. Respondit princeps: Hoc satis est dictum, et hoc est quod a te audire volui. Et precepit demonibus: Jam monstratis ei hospicium suum sempiternum, et tunc aperuit se os putei infernalis, in quod dimisso capite ipsum projecerunt. - Ecce merces luxurie.

Quidam homo fuit, quem unicornus impugnabat, qui in arbore fugiens timidus sedebat. Unicornus autem deserens ipsum observabat. Ipso autem ibi moram faciente pre fame et siti incipit deficere. Respiciens autem huc et illuc vidit duo poma, que dum cupiens arripere, foveam profundissimam visus est in qua, si poma tangeret, caderet. Ipso ibi sedente et pre fame deficiente et fructum respiciente propter profunditatem fovee non audente eam tangere, videbantur ei duo animalia, unum nigrum et alium album, arboris radices rodentia. Et eo magis timuit quia si de arbore descenderet, unicornus ipsum continuo devoraret. Si quiete sederet, pre fame deficeret. Si poma tangeret in foveam caderet, et si diu ibi viveret. alia duo animalia arboris radices consumerent. Exposicio: Iste homo [est] quilibet vivens super terram, **[23v$^{2}$:]** unicornus mors, arbor presens vita, duo poma presens delectacio, fovea infernus, duo animalia dies et nox.

Due sorores erant simul habitantes, quorum una erat in omnibus studiosa et valde devota, altera vero nimis lasciva et in servicio Dei desidiosa. Contigit autem eandem ingredi viam universe carnis. Illa vero

cum multum Dominum pro ipsa deprecaretur, quia metuens eam fore dampnatam. Post xxx dies apparuit ei in maxima gloria et vultu splendidissimo, et expavescens de tali splendore et obmutuit. Tandem ad se reversa quesivit, quenam esset. Et respondit: Ego sum ista quondam soror tua. Et dixit ad eam: Unde tantam graciam a Deo consecuta es? Respondit: Licet in mea vita semper fueram lasciva et in servicio Dei desidiosa, tamen frequenter ibam ad ecclesias querens dedicaciones pro indulgenciis, que in tantum mihi profuerunt quod gloriam a Deo sum consecuta. Et mihi superarent indulgencie, quod tricente anime per eas sunt mecum redempte. Hiis dictis ista disparuit, et illa de cetero magis devote indulgencias quesivit.

**[24r[1]:]** Quidam vir valde dives in infirmitate positus vocavit sacerdotem volens confiteri, et ita factum est. Et dum omnia peccata sua fuerat confessus, solum unum retinuit et dicebat se nullo modo posse confiteri, et dum sacerdos ipsum sepius super hoc ammoneret et redargueret, nihil profecit. Post hoc abiit et attulit corpus Domini dicens: Precor te, Domine Jhesu Christe, quem in manibus meis habeo, ut ostendas in homine isto tuam potenciam ad ejus salutem et tuam laudem. Mox infirmus clamavit, et viderunt diabolum aperte recedentem a viro, qui tenebat ipsum per gulam, ut non posset dicere quod vellet. Qui post hoc ait: Fodite in isto muro et invenietis magnam pecuniam, et istam dabo pro anima mea. Cum hoc factum fuisset, finivit vitam in magna contricione.

Quidam episcopus tali fervebat amore fidei ita quod maxime gaudebat, quod tractare potuit filium Dei in sacramento altaris, et tali amore accensus quotidie celebravit missam. Cui Deus tantam graciam dedit ut nocturnis temporibus eo legente horas canonicas digiti, cum quibus sacramentum tractavit, splenduerunt ut carbunculus, et alio lumine materiali non indiguit.

Quidam comes in partibus Marsilie, qui ob veneracionem **[24r[2]:]** corporis dominici singulis diebus, quotquot potuit, audivit missas. Cumque infirmaretur ita ut quidquid gustaret, statim rejiceret. Cum autem sacerdos ei communicare deberet, dixit se propter vomitus periculum non auderet suscipere, rogans ut sacerdos cum ipso sacramento pectus suum in modo crucis consignaret, hoc sibi sufficere asserendo. Cum autem sacerdos hoc faceret, apertum est pectus ejus, et

sacramentum ingreditur animamque sanctam tunc egredientem usque in celum comitatur.

Quidam magnus peccator desperans de misericordia Dei stetit in ecclesia et respexit ad imaginem beate Marie virginis cogitans intra se: Ista vocatur mater misericordie, sed ve mihi, quia non sum dignus misericordia ejus, et sic recessit ad januam ecclesie. Imago autem beate virginis clamans post ipsum ait: O homo, non recedas a filio meo. At iste: Non sum dignus misericordia. Respondit beata Maria: Si acquiescis consiliis meis, misericordiam consequeris. Vade igitur et fac confessionem pro peccatis tuis, et sic vult tibi remittere omnia peccata tua. Qvod et factum est.

## [In die] Bartholomei apostoli[17]

*Arcta est via, que ducit ad vitam, et pauci inveniunt eam.* Mat.vii°.[7,14]. Beatus Matheus videns beatum Bartholomeum hodie intrasse vitam eternam, ostendit nobis viam per quam intravit, ut sequamur vestigias ejus si ad vitam volumus intrare. Dicit sic: Arcta est via, que ducit etc. Circa ista verba possumus notare, quod filius Dei in sua predicacione ostendit nobis duplicem viam: Prima est lata et ista ducit ad infernum. 2ª est arcta et illa ducit ad regnum celorum, et illam debemus tenere. Prima via dicitur lata ideo, quia multi sunt qui per eam ambulaverunt et quotidie per eam ambulant, quia Lucifer cum suo exercitu, quando depulsus fuit de celo, per eam ambulavit.

Per eam ambulaverunt sodomite, quando v civitates cum hominibus et omni substancia dimerse fuerunt. Per eandem viam ambulaverunt, qui per diluvium absorti perierunt. Dicitur eciam lata, quia multi per eam hodie et quotidie ambulant sc. judei, gentiles et heretici. Item christiani per eam ambulant sc. tria genera hominum sc. gulosi. Luc.[16,22]: *Mortuus est dives et sepultus est in inferno etc.* Item invidi per eam ambulant. Sapiencia 2°[,24]: *Omnis qui invidet, similis est diabolo, qui per invidiam hominem precipitavit.* Basilius: Sicut rubigo ferrum sic invidia animam, in qua nascitur, corrumpit. Dominus dicit de discipulis suis. Joh. xiii°[13,35]: *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dileccionem habueritis ad invicem.* Econtra dicit diabolus: Si discordiam ad invicem habueritis.

Item omnes usuratores. Augustinus: Ve illis qui vivunt, ut augeant res perituras et eternas amittunt. Idem: Pecunia per usuram acquisita est quasi mola asinaria fune amoris collo usurarii ligata, trahens eum ad infernum, ut ergo diceret cum Zacheo Luc. xix°[19,8]: *Si quem defraudavi, reddo quadruplicem.*

Nullum peccatum usura deterius. Versus: Omnia vero vicia dimittit, quando senescit, preter avaricia, que sola senescere nescit. Primo superbia hominem dimittit [hominum dimittitur?] per humilitatem, invidia per dileccionem, accidia per devocionem, gula per moderacionem, luxuria per castitatem. Sed avaricia sive usura durat ad mortem. Et ideo ista via merito dicitur esse lata quia multi, ut dixi, per eam ambulant et omnes isti per eam vadunt, sicut quando fur videt quod

[17] From the sermons of Peregrinus Polonus

ligatus est et condempnatus ibit ad patibulum. Sic omnes supradicti ibunt ad infernum.

Sed alia est via que ducit ad celum, et ista est arcta. Per istam viam ambulavit filius Dei descendens de celo mortem patiendo propter hominem. Per eandem viam ambulavit sanctus Bartholomeus, cujus hodie festum colimus, similiter et omnes apostoli post Christum. Tu ergo, si vis ambulare per hanc viam, tene doctrinam quam Thobias docuit filium suum: Primo ut Deum toto corde diligeret. 2$^{o}$ ut parentes honoraret. 3$^{o}$ ut pauperibus eleemosynam daret. Qualiter, certe si multa habes, da abundanter, et [Thob. 4,7] *ne avertas oculos tuos a paupere, tunc nec Deus avertat oculos suos a te.* Et quia hanc **[25r:]** doctrinam tenuit, merito per eandem viam ambulavit sc. ad celum. De hac via dicitur Is. xxx$^{o}$ [30,21]: *Hec est via, ambulate in ea, nec divertite de ea, nec ad dextram, nec ad sinistram.*

Magnam misericordiam facit, qui erranti viam ostendit, maxime in nocte in terra hostili et tempore guerre. Errantes sunt peccatores. Rom. 3$^{0}$[,23]: *Omnes peccaverunt et egent gracia Dei.* Joh. 3$^{o}$ [1.Joh. 1,8]: *Si dixerimus, quod peccatum non habemus etc.* Cum omnes sumus peccatores sicut dicitur Is. 4$^{o}$ [53,6]: *Omnes sicut oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit.*

Nox est peccatum ad instar nimis frigidum sc. infrigescens dileccionem, item obcecans racionem faciens ipsam ineptam ad bonam operacionem. Terra hostilis est mundus, in quo principatur diabolus, sed tempus guerre est tempus vite, quia nunc [Galat. 5,17] *caro concupiscit adversus spiritum et spiritus adversus carnem.* Imus igitur in nocte et in terra hostili et in tempore mortales sumus. Ideo predicator verbi Dei maximam misericordiam facit errantibus et in tantis periculis constitutis, quando viam salutis ostendit. Unde magnum meritum apud Deum et coronam acquirit. Is. 5$^{o}$ [Jacob 5,20]: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore vie sue, salvabit animam ejus a morte, et operit multitudinem peccatorum.*

Ita beatus Bartholomeus fecit. Nam ipse multos ad fidem Christi convertit sua predicacione, et propterea per viam arctam intendebat sc. mortem patiebatur propter Christum sub rege Astyage, quia fratrem ejus Poliminum regem eciam una cum uxore sua cum ii pueris eorum et omni populo sibi subjecto et suo imperio ad fidem Christi convertit, ut habetur in passionali, et require illud ibi etc.

## Bonaventura de quibus. Que sunt tenenda a quolibet sacerdote ante missam

**[25v:]** Quisquis ad altare Christi vis sacrificare,
cor prius exterge, sic mundior ad sacra perge,
in Domini mensa quid tractes, sedulo pensa,
vivere sive mori confert quod porrigis ori.

Venerabilis dominus Bonaventura, sacrosancte romane ecclesie cardinalis et sacre theologie doctor, opus compilavit infrascriptum, in quo docet que sunt tenenda et habenda a quolibet sacerdote ante missam, quorum primum est: Propter vanam gloriam, propter verecundiam, intencionis discussio ne propter timorem celebratur, propter consuetudinem, propter placenciam hominum. Omissis, que facere potuit, corde. Generalis contricio commissis, que facere non licuit, et ore super consuetis et sepe confessis, et opere que non iterare debuit. Pura et vera notabilibus confessio communibus criminibus super ignoratis. Quid intendat principaliter in missa augmentum dileccionis, inseparabilitatem unionis Dei, accelleracionem visionis. Quid intendat facere in missa: Deum per lacrimas placare, utrum mortem Christi et caritatem rogare velit, totam ecclesiam adjuvare. In canone presbyter hec tria habeat: Diligenciam ad conficiendum, reverenciam ad tangendum, corpus Christi devocionem ad sumendum. Hec tria ideo sacerdos habeat, quia fiunt ibi magna in verbis, majora in signis, misse maxima in intencione.

Item predicta tria habeat propter continenciam excellentis corporis, excellentioris anime Christi, excellentissime divinitatis.

## Hic presentatur tabula de negligenciis sacerdotum

Ut negligenciis sacerdotum circa sacramentum in missa evenientibus celebrantes sciant occurrere, debent hoc scriptum perlegere et lecturam memorie commendare.

Si sacerdos ante consecracionem corporis et sanguinis Christi morte vel gravi infirmitate occupetur, non oportet officium misse suppleri per alium. Si vero post consecracionem contingat, alius inceptum officium perficiat incipiens ubi iste dimisit. Si sacerdos meminerit, postquam incepit consecracionem, se aliquid comedisse vel bibisse, debet nihilominus procedere et officium misse perficere et postea penitere. Item si recordatur se post ceptam consecracionem in consciencia aliquid peccatum eciam mortale habere, peniteat corde cum proposito confitendi et satisfaciendi. Item si meminerit se excommunicatum esse post ceptam consecracionem, habeat propositum petendi absolucionem. Si ante consecracionem hoc contingit, tutius est dimittere quam perficere, nisi gravissimum scandalum timeatur. Item si musca vel vermis ante consecracionem in calicem ceciderit vel venenum immissum fuerit, effundatur ac loto calice aliud vinum infundatur. Si autem aliquid istorum post consecracionem acciderit, debet musca vel vermis caute capi et diligenter lanari et comburi, et ablucio et cineres cum reliquiis debent [conservari]. Si autem venenum affuerit sacramento, non sumatur ne calix vite vertatur in mortem. Sed diligenter in vasculo apto cum reliquiis debet conservari, et ne sacramentum maneat imperfectum, loto calice de veneno aliud vinum infundatur, et denuo resumens consecracionem sanguinis perficiat sacramentum.

Item si ante consecracionem sanguinis tamen post consecracionem corporis percipiat vinum non esse in calice vel aqua, debet statim apponere et consecrare. Et si postquam dixerit verba consecracionis sanguinis, percipit quod aquam non apposuit, procedat nihilominus et peniteat. Si vero post consecracionem sanguinis tamen ante sumpcionem corporis viderit vinum deesse, debet aquam effundere et infundere vinum cum aqua et resumere officium a verbis consecracionis sanguinis. Si vero hoc videtur post corporis sumpcionem, debet apponere alteram hostiam. Iterum cum sanguine consecranda, quam sumat iterum cum sanguine non obstante, si prius sumpsit aquam que erat in calice, quia sacramentum majoris ponderis est quam quod percipitur sumi a jejunis.

Item si sacerdos retulit se non dixisse aliquid eorum, que dicere debuit, non tristetur in mente, sed procedat devote. Sed si constat ei quod

omisit aliquid de forma consecracionis, debet **[26v:]** resumi. Forma autem consecracionis est hec [1.Cor. 11,24-25]: *Hoc est corpus meum.* Forma autem consecracionis est hec: *Hic enim calix sanguinis mei,* novi testamenti et eterni.

Item si propter frigus hostia sacramenti ceciderit de manibus sacerdotis in calicem, nihil mutetur vel reiteretur, sive sit ante sive post hostie fraccionem. Item si stillaverit de sanguine super tabulam terre affixam, cum lingua lambetur et tabula radatur et comburatur rasura, cujus cinis cum reliquiis conservetur, et sacerdos per xxxx dies penitebit. Item si stillaverit super linteum una gutta, sorbeat si poterit, et per 4^or^ dies penitebit. Si due vel tres gutte per novem dies penitebit. Si 4^or^ per viginti dies et linteamen vel palla, ubi stilla tetigit, tribus vicibus lavetur calice superposito et aqua ablucionis juxta altare recondatur.

Item si quis propter ebrietatem vel voracitatem eucaristiam evomuerit, vii dies penitebit. Item qui non custodit sacramentum, ita quod mus vel aliud animal comederit, per xxxx[a] dies penitebit. Idem faciat ex cujus negligencia hostie consecrate putrefierint. Item predictis autem diebus penitens debet jejunare et a communione abstinere. Pensatis tamen condicionibus persone addere potest vel minuere superior de penitencia dicta. Hoc tamen in omnibus est observandum, quod ubicunque manent species panis, ibi est sacramentum. Et ideo cum summa reverencia sumendum est et servandum, et illa, in quibus inveniuntur, comburenda sunt et in sacrario recondenda etc.

Hec tabula corpore juris est extracta ad direccionem novellorum sacerdotum. Locis et capitulis pretermissis gracia brevitatis.

Mens mea sit roas rogito presente beata [?]
vos cum devota.....scripta mea

*Hay fratre gudh giordh*

## Visio Tundali

Anno Domini m$^{o}$cxlix$^{o}$, qui fuit annus 2$^{us}$ expedicionis Jherusalomorum Conradi regis romanorum et annus 4$^{us}$ Eugenii pape, in quo anno ipse papa de partibus Galliarum Romam reversus est, in quo eciam anno sanctus Malachias in Clarevalle defunctus est, visa est hec visio.

Due sunt metropoles in Hibernia, Ardinacha septentrionalium hibernensium, australium Cafelensis, de qua ortus fuit vir quidam Tundalus nobilis genere, crudelis accione, forma corporis egregius, fortitudine robustus et de salute anime sue nihil sollicitus. Graviter ferebat si quis ei breviter de salute anime sue loqueretur, ecclesiam negligebat, pauperes Christi nec videre volebat, scurris et histrionibus pro vana gloria distribuebat quidquid habebat. Hic cum multos haberet amicos sibi sodales, inter eos habebat unum, qui commilicionis debito trium equorum debitor erat. Hic cum statutum prestolaret terminum transacto tempore illum convenit, qui cum bene receptus ab eo, perendinaret tribus noctibus, cepit tractare de ceteris rebus. Qui cum iste responderet se modo ad manum non habere, quod petebat, iratus recedebat. Debitor autem eum mitigare cupiens rogavit eum ut priusquam recederet, secum cibum sumeret. Recedit et securi deposita, quam in manu tenebat, cibum sumere cum isto cepit. Statimque percussus invisibiliter manum, quam extenderat, replicare non potuit ad os suum. Exclamare cepit terribiliter suamque securim, quam **[27r$^{2}$:]** deposuerat, uxori socii commendavit dicens: Custodi meam securim, quia ego morior.

Statimque corruit corpus ejus exanime ac si numquam animam habuisset. Assint omnia signa mortis. Accurrit familia, tollitur cibus, exclamant armigeri, plorant hospites, corpus extenditur, pulsantur signa, accurrit clerus, mirantur populi, totaque civitas subita boni militis morte turbatur. Ab hora x$^{a}$ in iiii$^{a}$ feria usque in eandem horam in sabbato mortuus sic jacuit. Calor tamen modicus in sinistra pariete pectoris diligenter palpitantibus sentiebatur, et ideo eum subterrare noluerunt. Post hoc resumpsit spiritum et debili flatu quasi per unius hore spacium respirare cepit. Mirantibus omnibus debili intuitu circumspicere cepit. Interrogatus si vellet communicare innuit sibi afferri corpus Domini, quod cum sumpsisset et vinum bibisset, cepit in graciarum accione Dominum laudare et dicere: O Deus, major est misericordia tua quam iniquitas mea, licet magna sit nimis. Quantas ostendisti mihi tribulaciones multas et malas, et conversus vivificasti me et de abissis

terre me iterum reduxisti. Quod cum dixisset, statim sub testamento omnia, que habebat, dispersit et dedit pauperibus, et se signo crucis signari precepit, et pristinam vitam funditus se relicturum novit et cuncta, que **[27v$^1$:]** passus fuerat, narravit dicens:

Lxxxix. De aspectu demonum et angeli, qui deduxit eum, sequitur. Cum anima mea corpus exuerit et illud mortuum esse cognosceret, reatus fui, consciencia cepit formidare, et quid faceret nesciebat. Timebat quidem, sed quid timeret ignorabat. Volebat ad corpus redire sed intrare non poterat, foras exire sed ubique pertimescebat. Igitur flens et plorans et tremebunda et quid ageret nescia, in nullo confidens nisi in misericordia Dei, tandem vidit ad se venientem tantam immundorum spirituum multitudinem ut non solum totam domum et atrium domus, sed eciam vicos et plateas civitatis implererent, et circumdantes miseram animam dixerunt: Cantamus huic misere anime debitum mortis canticum, quia filia mortis est et cibis ignis inextinguibilis, amica tenebrarum et lucis inimica. Et conversi ad eam stridebant dentibus in ipsam et ungulis propriis pre furore nimio genas teterrimas laniabant dicentes: Ecce, misera anima, populus quem elegisti, cum quibus visura[?] intrabis in infernum, nutrix scandali, amatrix discordie, quod et nos amamus. Quare non superbis modo, quare non adulteraris, quare non fornicaris? Ubi est vanitas tua et vana leticia, ubi risus immoderatus, ubi fortitudo tua, qua plurimis insultabis? Quare modo non innuis oculis, non teris pede, non digito loqueris, non pravo corde machinaris malum, sicut facere solebas in levitatibus et letacitatibus tuis? Cum hec **[27v$^2$:]** et similia dicerent, vidit alonge venientem quasi stellam lucidissimam, in quam statim infatigabiles fixit intuitus sperans se aliquid solacium per eam percepturam.

Erat autem angelus ejus, qui cum appropinquasset proprio eam salutasset nomine dicens: Ave, Tundale, quid agis? Videns autem istum speciosum juvenem nimis et audiens se proprio nomine salutatum, pre timore simul et gaudio sic respondit: Heu, domine pater. [Ps. 17,6:] *Circumdederunt me dolores inferni, preoccupaverunt me laquei mortis.* Cui angelus: Modo vocas me dominum et patrem, quem semper tecum habebas et numquam tali nomine dignum me judicabas. At ista: Domine, ubi umquam te vidi aut ubi umquam dulcissimam vocem tuam audivi? Ad quam angelus: Ego semper te sequebar a nativitate tua quocunque ibas, et numquam meis consiliis acquiescere volebas. Et extendens manum in unum immundorum spirituum, qui pre ceteris ei malediciis

insultabat, ecce, inquit, iste cujus voluntati et consilio obtemperabas, sed aderit tibi misericordia Dei, quam tamen non meruisti. Esto igitur secura et leta, quia patieris pauco de multis, que merueras. Sequere me et quecunque tibi monstravero, memoria illud tene quia iterum ad corpus reverteris. Tunc ista ultra modo perterrita relicto corpore suo, supra quod steterat, accessit propius. Demones hoc audientes et mala, que minabantur, se non posse inferre audientes, blasfemaverunt Dominum **[28r[1]:]** injustum esse dicentes, quia non reddebat, quod promiserat unicuique secundum sua. Igitur post hoc in semetipsos insurrexerunt, et plagis quibuscunque poterant se mutuo percutiebant, et nimio fetore relicto cum ingenti tristicia et indignacione recesserunt.

Angelus autem precedens dixit ad animam: Sequere me. At ista respondit: Heu, domine mi. Si precesseris, isti retro me capient et eternis ignibus me tradent. Ad quam angelus: Ne timeas, quia plures nobiscum sunt quam cum illis. [Rom. 8,31:] *Si Deus pro nobis, quis contra nos.* [Ps. 90,7:] *Cadent a latere tuo mille et decem milia a dextris tuis, ad te autem non appropinquabunt.* Verumtamen oculis tuis considerabis et retribucionem peccatorum videbis. Hiis dictis profecti sunt.

Sequitur de valle horribili et ponte angusto. Cumque longius simul pergerent nullumque preter splendorem angeli lumen haberent, venerunt ad vallem terribilem et tenebrosam valde et opertam mortis caligine. Erat autem profunda et carbonibus ardentibus plena, operculum ferreum habens spissitudinis sex cubitorum ardore nimio ipsos carbones superabat ardentes. Cujus fetor omnes, quas huc usque passa fuerat anima tribulaciones superabat. Super istam laminam descendebat multitudo miserarum animarum, et illic cremabantur donec ad modum cremis in sartagine liquescerent et, quod erat gravius, per predictam laminam colabantur, sicut colari solent cera per pannum, et iterum in carbonibus ignis ardentibus renovabantur ad tormentum. Hec **[28r[2]:]** erat pena patricidarum, fratricidarum, homicidarum, vel facto vel consensu. Sed post hanc penam, inquit angelus, ducentur in majores. Tu autem, quamvis homicida sis, modo tamen istam non patieris.

Post hoc venerunt ad montem mire magnitudinis et horroris magni et vaste solitudinis, qui transeuntibus angustum valde prebebat iter. Ex una parte illius montis erat ignis putridus, sulphureus et tenebrosus. Ex altera parte nix glacialis et ventus horribilis. Erat mons iste tortoribus plenus, qui furcas habebant ferreas ignitas et tridentes acutissimos, quibus ungulabant animas transire volentes et ad penas trahebant et

pernices de nive et grandine mittebant eas in ignem et econtrario. Hec est, inquit angelus, pena insidiatorum et perfidorum. Post hoc anima ista pre timore pedetentim angelum sequens venit ad vallem profundam et putridam nimis et tenebrosam, cujus profunditatem ipsa quidem anima videre non poterat. Sonitum tamen sulphuri fluminis et ululatum patientium in eo audiebat. Fumus vero de sulphure et cadaveribus, unde surgebat fetidus, qui superabat omnes penas, quas prius viderat. Ibi erat tabula longissima de uno monte in alium montem porrecta in modo pontis super vallem extensa, que mille passus habebat in longitudine, in latitudine pedem unum. Quem pontem nemo nisi electus transire poterat. De hoc ponte vidit anima ista multos cadere et unum solum presbiterum illesum pertransire, **[28v[1]:]** qui erat peregrinus portans palmam et indutus alba stola et primus ante intrepidus pertransibat. Angelus autem timentem consolans animam dixit: Ne timeas, ab hac siquidem pena liberaberis sed aliam patieris. Et precedens tenuit eam et ultra pontem duxit illesam dicens: Hec est, inquit, vallis horribilis in pena superborum.

De bestia monstrosa et terribili capitulum. Precedente autem angelo profecti sunt per viam tenebrosam et tortuosam et difficilem valde, et cum multum laborarent in eundo per tenebras, vidit anima a longe bestiam incredibili magnitudine et horrore intolerabilem, que major erat omnibus monstribus quos prius viderat. Oculi ejus quasi colles igniti, os ejus valde patens et apertum videbatur posse capere juxta milia hominum armatorum, habebat autem in ore suo duos parasitos gigantes versis capitibus valde incompositos, quorum unus habebat caput sursum ad superiores dentes prefate bestie et pedes deorsum ad inferiores, alius vero econtrario. Et erant quasi columpne in ore ejus, qui os illud in similitudinem trium portarum dividebant. Flamma inextinguibilis ex ore isto exiebat, que in tres partes per istas tres portas dividebatur.

Contra illam flammam anime dampnande intrare cogebantur. Fetor quoque incomparabilis ex ore ipso exiebat, et planctus multitudinis de ventre ejus per idem os **[28v[2]:]** audiebatur. Intus erant multa milia virorum et mulierum dira tormenta luentium. Ante cujus os immundorum spirituum multitudo cogentium animas intrare stabat, eas antequam intrarent multis plagis et verberibus affligentes. Cumque anima Tundali diu aspexisset tam horribile monstrum, nimis exterrita dixit ad angelum: Domine, quare illuc appropinquas? Ad quam angelus: Iter nostrum aliter explere non possumus. Hoc tormentum non possunt vitare nisi electi.

Hec bestia vocatur Achons et devorat omnes avaros. De hac scriptum est [Job 40,18]: *Absorbebit fluvium et non mirabitur et habet fiduciam, quod influat Jordanis in os ejus.* Hii vero qui in ore ejus et inter dentes apparent contrapositi, gigantes sunt, et suis temporibus in secta sua nulli tam fideles fuerunt. Et cum hoc dixisset angelus, accedens propius antecedebat animam et stetit ante bestiam. Anima vero licet nolens sequebatur, et cum simul starent ante bestiam, angelus disparuit et anima misera sola remansit. Demones autem circumdederunt eam ut canes rabidi et flagellatam traxerunt secum in ventrem bestie. Quanta vero ibi passa sit, vultus ejus et morum conversio postea indicavit. Passa est ibi morsus et laceraciones canum, ursorum, leonum, serpentum et animalium aliorum innumerabilium incognitorum et monstruosorum ferocitatem et demonum ictus in ardore ignis, asperitatem **[29r[1]:]** frigoris, fetorem sulphuris, caliginem oculorum, fluctum lacrimarum ardentium, stridorem dentium, copiam tribulacionum. Ibi se misera anima de preteritis accusabat et pre nimia tristicia et desperacione genas proprias lacerabat, et cum se putaret ibi eternaliter dampnatam nescia quo ordine extra bestiam se esse sensit. Et cum longius a bestia jaceret debilis, aperiens oculos vidit prope illum, qui antecedebat, angelum lucis. Tunc ista gaudens licet afflicta multum laudavit Dominum de sua misericordia. Angelus autem tetigerit istam et confortavit eam.

De stagno tempestuoso et ponte periculoso. Euntes inde longius viderunt stagnum amplum valde et tempestuosum, cujus fluctus elati[?] modo permittebat cernere celum. Ibi erat plurima multitudo bestiarum terribilium mugentium ut animas devorarent. Per stagni lacum pons multum angustus erat et longus usque ad duo miliaria, latitudo ejus erat unius palmi. Longior erat et angustior quam pons superior. Eratque tabula ista plena clanis ferreis acutissimis insertis, qui omnium transeuntium pedes perforabant. Omnesque bestie ad illum pontem conveniebant ut cibum inde sumerent sc. animas, que transire non poterant.

Erant autem bestie tante magnitudinis ut magnis turris assimilarentur. De ore ipsarum exibat ignis tam vehemens ut stagnum ipsum a **[29r[2]:]** cernentibus bulire putaretur. Vidit autem ibi animam quandam in ponte valde plorantem et se multis criminibus accusantem, eratque pondere magnorum manipulorum frumenti onerata et hunc pontem cogebatur transire. Et quamvis plantas clanis perforatas nimis doleret, magis tamen timebat in stagnum cadere et in ora patentia

bestiarum. Querenti Tundalo quid hoc esset, dixit angelus: Ista pena specialiter tibi condigna est et tui similibus furtum perpetrantibus vel magnum vel modicum. Non tamen eodem modo patiuntur, qui in minimis et qui in magnis deliquerunt, nisi illud modicum sacrilegium fuerit. Sacrilegii autem reus est qui vel rem sacratam vel de loco sacrato aliquid furatur, maxime vero rei sunt qui sub habitu religionis delinqunt.

Hunc pontem oportet te transire et vaccam indomitam tecum ducere et illesam mihi ultra pontem reddere, quia vaccam compatris tui aliquando furatus es. Ad quem Tundalus: Domine, nonne ego illam reddidi? Reddidisti, inquit, sed quoniam istam abscondere non potuisti. Et ideo non plenum patieris supplicium, quia minus est malum velle quam perficere, licet utrumque malum sit ante Dominum. Et hiis dictis ostendit ei angelus vaccam indomitam. Tundalus, vellet nollet, tenuit vaccam et eam quibuscunque minis poterat instigare conabatur ad pontem. Bestie vero mugientes veniebant et cibum suum de ponte expectabant.

**[29v[1]:]** Tundalus cepit iter agere, vacca autem nolebat eum sequi. Cum stabat Tundalus cadebat vacca, et cum stabat ista cadebat Tundalus. Et sic versa vice modo cadendo modo stando venerunt usque ad medium pontis. Cumque illuc venissent, viderunt quendam qui portabat manipulos tritici. Sibi venit obviam, qui rogavit animam Tundali, que vacca ducebat, ne sibi pontem preoccuparet, et Tundalus similiter illum rogavit ut iter suum eum complere siniret, quod jam medium perfecerat. Neuter non dico reverti, sed nec respicere retro poterat. Sicque stantes et plorantes pontem plantarum suarum sanguine cruentabant.

Cumque ita diutius starent, nescientes quomodo uterque alterum se pertransisse, Tundalus autem angelum suum, quem retro reliquerat, ante se stantem vidit, qui dixit ei: Bene venias. De vacca amplius non cures, quia nihil amplius ei debes. Cumque Tundalus ostenderet pedes suos diceretque, quod amplius ire non potuisset, respondit angelus: Meminisse enim debes quam veloces fuerunt pedes tui ad effundendum sanguinem, et ideo contricio et infelicitas in viis tuis. Et tangens eum sanavit eum. Et sic precessit. **[29v[2]:]** Et cum diceret Tundalus: Domine, quo imus modo? respondit angelus: Quidam tortor teterrimus nostrum expectat adventum, cujus hospicium non possumus preterire, quod hospicium semper est plenum hospitibus. Sed hospes iste adhuc alios hospites ad supplicium desiderat invenire.

De furno flamminonio capitulum. Cumque irent per loca tenebrosa et arida, apparuit eis domus aperta maxima quasi quidam mons arduus pre nimia magnitudine rotunda quasi furnus. Flamma inde exibat que per mille passus animas, quas invenire poterat, comburebat. Quod videns Tundalus dixit ad angelum: Ecce, appropinquamus ad portas mortis. Quis me miserum liberabit? Cui angelus: Ab ista quidem exteriore flamma liberaberis sed ipsam domum, unde procedit, intrabis.

Et cum propius accederent, viderunt carnifices cum securibus et cultris et bisacutis et dolabris et falcibus et forcipibus acutissimis et fossoriis et ceteris instrumentis, quibus animas excruciare vel decollare, scindere vel truncare poterant, in medio flammarum stantes et sub manibus eorum multitudinem animarum hec omnia sustinentium. Quod videns Tundalus dixit ad angelum: Obsecro, domine, si placet, ab hoc solo me libera supplicio, et ceteris, que post hec occurrerint, me tradi concedo. Cui angelus: Hoc est majus supplicium omnibus, que attenus vidisti. Sed **[30r[1]:]** adhuc videbis unum majus. Intra istud supplicium, quia canes rabidi te expectant.

Tundalus autem tremens et pre angustia deficiens rogavit ne intraret. Sed non profecit. Demones autem videntes eum sibi concessum circumdederunt eum et magnis conviciis exprobrantes cum supra predictis instantis in frusta[?] descripserunt. Dominus hujus domus dicebatur Fistrinus, in qua erat gemitus, tristicia et fletus et stridor dentium, lentus ignis extrinsecus et intrinsecus vastum incendium. Aviditas cibi inexplebilis ibi erat, nec satiari poterat nimietas gule. Verenda loca doloribus cruciabantur permaximis, pudenda ipsa putredine corrupta videbantur stature vermibus, et in ipsa verenda virorum ac mulierum non solum secularium, sed eciam religiosorum dire quedam intrabant bestie. Ibique anima Tundali se juste pati talia fatebatur. Sed quando Deo placuit, nesciens quo ordine se extra tormenta esse cognovit.

Sedebat autem in tenebris et in umbra mortis et videns angelum suum dixit: Heu, domine mi, ubi est quod audimus [Ps. 32,5]: *Misericordia Domini plena est terra*. Respondit angelus: Hec sentencia multos decipit. Deus enim licet sit misericors est tamen justus. Multa judicat sed plura condonat. Tu juste passus es quidquid passus es. Sed tunc gracias ages, quando videbis que tormenta per misericordiam Dei evaseris. Si Deus cuncta dimitteret, cur homo justus esset, et si supplicia non pertimesceret, **[30r[2]:]** qualiter peccare timeret vel a voluptatibus suis averteret, et quid opus esset ut confessi peniterent, si Deum non timerent. Peccatoribus in corpore penitenciam non agentibus misericorditer a Deo

parcitur, sed tamen pro suis meritis puniantur. Justis quoque pro suis excessibus corporale commodum in corpore tegentibus juste tollitur. Sed bona eis sine fine mensura misericorditer cum angelis reservantur.

Multa mala opera condonat Deus, nullum tamen opus bonum ab eo irremuneratum relinquitur. Nemo enim liber est a peccato, nec enim infans unius hore. Multi tamen liberantur a pena, ut eos non tangat umbra mortis. Ideo autem justi qui penas non patiuntur, post mortem ad videndum tamen illas ducuntur ut visis tormentis, a quibus per Dei graciam liberantur, magis inardescant in amorem Dei et in laudem creatoris sui.

Sic econtrario anime eternis suppliciis digne prius ducuntur ad sanctorum gloriam ut visis premiis, que sponte deseruerunt, magis postea doleant. Nullum enim tam grave supplicium est quam a Dei et consorcio sanctorum sequestrari. Ideo iste presbiter, quem primum pontem secure transire vidisti, ductus est ad supplicium, ut visis penis ardentius laudet illum qui vocavit eum ad gloriam suam. Nam fidelis et prudens servus inventus est et ideo accipiet coronam vite, quam repromisit Deus diligentibus se. Sed quoniam nondum **[30v$^{1}$:]** omnia mala vidimus, properemus.

De bestia alata et stagno congelato. Precedente igitur angelo vidit Tundalus bestiam ceteris, quas ante viderat, longe dissimilem, duos pedes et duas alas habentem, collum longissimum et rostrum ferreum et ungulas ferreas, de cujus ore flamma inextinguibilis eructabat. Sedebat autem hec bestia super stagnum glacie condensum et devoravit animas, que in ventrem ejus per supplicia redigebantur ad nihilum, et iterum projiciebat eas in stagnum glacie congelatum. Ibique renovabantur iterum ad tormentum. Impregnabantur vero omnes anime tam virorum quam mulierum, que descendebant in stagnum, et ita gravide prestolabantur ipse ad partum. Intus autem mordebantur in visceribus more viperino a prole concepta. Sicque vegetabantur misere in unda frigida mortui maris glacie congelata.

Cumque tempus esset ut parerent, clamantes replebant inferos ululatibus et sic serpentes pariebant. Pariebant autem non solum femine sed et eciam viri, et hoc non per membra, que natura constituit tali officio convenientia, verum per brachia simul et pectora exiebantur quasi erumpentes per membra cuncta bestie habentes capita ardentia et ferrea et rostra acutissima, quibus ipsa, unde exibant, corpora laniabant. In caudis autem suis habebant eedem bestie multos **[30v$^{2}$:]** aculeos, qui

quasi hami retro retorti ipsas, a quibus exibant animas, pungebant. Bestie namque iste nolentes exire, cum caudas suas non possent secum trahere in ipsa corpora, unde exibant, rostra sua ardentia et ferrea retorquere non cessabant, donec ea usque ad nervos et usque ad ossa arida consumerent, et sic simul conclamantes stridor glacierum inundantium et ululatus animarum sustinentium talem penam et mugitus bestiarum exeuntium ab eis perveniebant ad celum.

Erant enim in omnibus diversis membris et digitis diversarum bestiarum capita, que ipsa membra mordebant usque ad nervos et ossa. Habebant eciam linguas vivas in modo aspidum, que totam palatum et eciam arterias consumebant usque ad pulmones. Verenda quoque ipsa virorum ac mulierum erant in similitudine serpentum, qui inferiores partes ventris lacerabant et ipsa viscera inde studebant abstrahere. Tunc ait angelus: Hec est pena monachorum, canonicorum, sanctimonalium ceterorumque ecclesiasticorum, qui mentiri Deo per tonsuram et habitum noscuntur, qui linguas suas exacuerunt sicut serpentes, et membra sua non cohibuerunt ab immundis operibus. Hanc penam sustinebunt, qui immoderata luxuria pollunt **[31r$^1$:]**se, et ideo istam sustinere te oportet. Hiis dictis rapuerunt eam demones cum impetu et dederunt bestie devorandam. Cum autem post predicta tormenta esset in partu vituperarum, affuit ei angelus lucis et tangens eam sanavit et se sequi precepit. Preter fulgorem autem angeli nullum lumen habebant. Pergebantque per loca terribilia et multo precedentibus diriora, via valde angusta et quasi de cacumine altissimi montis tendente in precipitum. Quanto autem plus descendebat ista anima tanto minus reditum ad vitam sperabat.

De valle fabrorum. Dixit autem Tundalus ad angelum: Domine, quo imus? Respondit angelus: Hec via ducit ad mortem. Et anima: Quid est ergo, quod scriptum est [Mat. 7,13]: *Lata et spaciosa est via, que ducit ad mortem, et multi sunt qui intrant per eam.* Tamen neminem preter nos hic videmus. Respondit angelus: Non de hac via dictum est hoc, sed de impudica et illicita et seculari vita que ducit ad istam. Euntes autem longius et ultra modo laborantes venerunt ad vallem fabrorum. Ibique viderunt fabricas, in quibus maximus audiebatur luctus.

Tunc ait angelus: Tortor iste vocatur Vulcanus, per cujus ingenium corruerunt plurimi et ab ipso cruciantur. Domine, inquit anima, si debeo pati ejus supplicium? Debes, ait. Quo dicto precedebat eam. Illa autem **[31r$^2$:]** plorans sequebatur eum. Et ecce tortores cum ignitis forcipibus,

angelo sancto nihil dicente, ceperunt illam et projicierunt in caminum ignis ardentem, et sic sufflantes follibus, sicut solet ferrum in fornace examinari, ita exanimabant eam, donec ad nihil redigerentur anime, que ibi patiebantur. Cumque ita liquefierent ut nihil aliud nisi aqua appareret, jugulabantur tridentibus ferreis et posite super incudem percutiebantur malleis, donec vicene vel tricene vel centene in unam massam redigerentur et tamen, quod est gravius, nec sic perirent. Desiderabant enim mortem et invenire non poterant.

Loquebantur autem tortores ad invicem dicentes: Numquid sufficit? Et alii in alia fabrica respondebant: Projicite nobis ut videamus si sufficiat. Et projiciebant et alii capiebant eas in forcipibus ferreis antequam terram tangerent, et sicut primi ita et ipsi eas ignibus tradebant. Et ita misere modo huc modo illuc projiciebantur et ubique comburebantur, donec simul pelles et carnes et nervi et ossa in favillam redigerentur et flammam ignis. Post multas passiones affuit Tundalo advocatus suus et apprehendens eum de medio faville dixit: Quomodo vales? Numquid fuerunt tibi tam dulcia carnis oblectamenta ut pro eis tot et tanta mala debeas sustinere? Iste penitus respondere non poterat, quia post tantum supplicium non habebat vires **[31v$^{1}$:]** ad loquendum.

Tunc angelus ait: Confortare, quia Dominus deducit ad inferos et reducit. Quamvis enim magna fuit que huc usque passa es, majora tamen sunt, a quibus per Dei misericordiam liberaberis. Et addidit: Omnes, quos superius vidisti, judicium Dei expectant, sed hii qui adhuc sunt in inferioribus jam judicati sunt. Adhuc enim non pervenisti ad inferos inferiores. Et more solito tangens eam et confortans precessit.

De puteo inferni. Cumque simul pergerent et incedentes sermocinarentur, ecce subitus horror et frigus intolerabilis et fetor intolerabilis et tenebre prioribus incomparabiles tribulacioque angustia animam Tundali invaserunt, ita ut omnia fundata terre viderentur sibi contremiscere. Et angelo precedenti compulsa est dicere: Heu, domine mi, quid est quod pre solito stare non possum? Quo dicto non potuit se movere pre nimia formidine. Et ecce angelus cito disparuit, et eum videre non potuit et statim cepit desperare. Non est enim, inquit, sapiencia, non est sciencia, nec opus, nec racio apud inferos, quo ista properabat.

Audivit autem clamores et ululatus mire multitudinis et tonitrum tam horribile ut nec parvitas nostra potuerit capere nec lingua ejus enarrare. Circumspiciens ergo si quomodo videre posset de unde venerat,

vidit **[31v²:]** fossam quadratam quasi cisternam, qui puteus putridam flamme et fumi emittebat columpnam, que columpna extendebatur usque ad celos. Et in ipsa columpna erat multitudo maxima animarum et demonum more favillarum cum flamma ascendentium et in nihilum redacte. Iterum cadebant cum demonibus in fornacem usque in profundum.

Quo viso anima Tundali volebat se retro retrahere, sed non valebat pedes a terra levare, et dum hoc sepius temptaret sed tamen facere non posset, nimio furore repleta in semetipsam exarcit et genas suas unguibus lacerans clamavit: Ve mihi, quare non morior, que me decepit demencia. Audientes demones hoc, qui cum flamma ascendebant, circumdederunt eam cum instrumentis, quibus animas ad tormenta rapiebant, dicentes: O misera anima penis et cruciatibus digna, unde huc venisti, nihil adhuc experta es. Adhuc vides dignum operibus tuis tormentum, de quo exire non poteris nec in eo perire, sed semper in cruciatu vivens ardebis sine refrigerio, sine lumine, sine consolacione, sine omni auxilio. Nullam deinceps misericordiam sperare poteris. Appropinquasti enim usque ad portas mortis, et infernis inferioribus sine mora presentaberis. Qui te huc adduxit, ipse te decepit. Liberet te, si potest, **[32r¹:]** de manibus nostris. Non videbis eum amplius. Adinvicem loquebantur: Quid amplius moramur? Trahemus eam et demus eam Lucifero devorandam. Et sic arma vibrantes minabantur illi mortem eternam.

Ipsi autem immundi spiritus erunt nigri sicut carbones, oculi eorum ut lampades ignis ardentes, dentes eorum nive candidiores, caudas habebant ut scorpiones, ungues ferreos acutos, alas ut vulturis. Interea affuit angelus Domini, qui fugatis spiritibus tenebrarum consolatus est ream suam dicens: Gaude et letare, filia lucis, quia misericordiam et non judicium consequeris. Penas quidem magnas videbis, sed eas non patieris. Veni ergo et ostendam tibi pessimum humani generis inimicum. Et precedens ad portas inferi dixit: Veni et vide. Scito tamen quod nullum lumen hiis, qui huc deputantur, lucet. Sed tu poteris eos videre, et ipsi non videbunt te.

De principe tenebrarum et sociis ejus in penis. Appropinquans autem anima vidit principem tenebrarum et profundum inferni. Que autem et qualia ibi viderit inaudita tormenta, si centum capita et in unoquoque capite centum linguas haberet, enumerare nullo modo posset. Ibi visus est princeps diabolus, qui magnitudine precellebat omnes bestias, quas ipse Tundalus ante viderat. Cujus quantitate corporis ipsa,

que viderat, anima nihil sciebat comparare. Erat ista bestia nigerrima sicut corvus formam habens humani corporis a pedibus usque ad caput, excepto quod plurimas habebat manus.

Habebat eciam caudam, habebat enim non minus mille manibus habebatque in longitudine quasi centum cubitos in grossitudine vero decem. Unaqueque manus digitos vicenos habebat, et digiti ejus habebant in longitudine centenas palmas in grossitudine vero denas. Habebat ungues lanceis militum grossiores et longiores et ipsos ferreos in pedibus totidem. Rostrum ejus nimis longum et grossum, cauda asperrima et longa ad nocendum animabus aculeis acutissimis preparata. Jacet autem illud horribile monstrum super cratem ferream suppositis ardentibus prunis ab innumerabili multitudine demonum follibus sufflantium. Circumdat autem ipsum tanta multitudo animarum et demonum, quod nulli credibile esset quod mundus tot animas parare posset a principio. Ligatus est autem hostis antiquus per singulas membrorum juncturas catenis ferreis et ereis ignitis et valde grossis. Cumque sic versatur in carbonibus et undique comburitur, nimia **[32v[1]:]** exardescens ira vertit se de uno latere in aliud latus, et omnes manus suas in istam multitudinem animarum extendit, easque repletas animabus constringit, sicut rusticus sitiens racemos comprimit ut inde vinum eliciat, in tantum ut nulla sit ibi anima, que tali constriccione non privetur capite aut pedibus vel manibus.

Et tunc suspirans sufflat et spargit animas in diversas partes jehenne, et statim eructuat puteus iste, de quo prediximus, fetidam atque horribilem flammam, et cum retrahit anhelitum suum, dira ista bestia retrahit ad se omnes animas, quas ante sparserat, et cum fumo et sulphure in os ejus cadentes devorat. Et quecunque manus ejus effugiunt ne stringantur, illas cum cauda sua percutit, et sic misera bestia percutiens semper percutitur et tormenta animabus ferens in tormentis omnibus super omnes cruciatur.

Tunc ait angelus ad animam: Hic est Lucifer princeps creaturarum Dei, qui versabatur in deliciis paradisi, qui si solutus fuerit, celum simul et terram usque ad inferos cuncta perturbaret. Hii autem qui cum eo sunt, partim sunt angeli tenebrarum partim filii Ade, et jam judicati sunt, et multos alios expectant, qui vel Christum negaverint, vel negantium opera fecerint. Passi sunt autem ea, que vidisti prius, minora tormenta et postea ducti sunt ad ista, de quibus tormentis nullus, qui semel ea intraverit, amplius exire poterit.

Hic sunt prelati, principes mali, de quibus scriptum est [Sap. 6,7]: *Potentes potenter tormenta patientur,* qui sc. non bene usi sunt potencia sibi a Deo data. Tunc ait anima ad angelum: Quare potencia non bonis datur, ut bene presint? Respondit angelus: Aut subditorum culpe hoc exigunt ut bonos rectores non habeant, aut ipsis bonis in hoc parcitur ut saluti animarum suarum melius provideant. Sic autem infelix princeps tenebrarum dictus est, non propter potenciam quam habeat sed propter primatum, quem tenet in tenebris. Omnes autem alie pene, quamvis sunt maxime, tamen hujus pro nihil computatur.

Ad hec anima: Certe verum est. Nam videre tamen locum istum magis me conturbat et fetorem ejus plus me sustinere gravat, quam pati omnia, que ante patiebar. Unde rogo, si potest fieri, ut hinc me subtrahas cito et hic me cruciari amplius non **[33r$^1$:]** permittas. Hic enim video multos cognatos et sodales et notos meos, quos mecum in seculo gaudebam habere socios, quorum hic consorcium multum abhorresco. Scio autem pro certo quod nisi mihi divina succurreret gracia, meritis meis exigentibus non minus ista patiar quam ipsi. Ad quam angelus: Veni, o felix anima, convertere in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Non enim hoc patieris neque amplius, nisi promerueris, ista videbis. Huc usque vidisti inimicorum Dei carcerem, ammodo videbis gloriam amicorum Dei.

De statu mediocriter bonorum et malorum capitulum. Conversa anima sequebatur angelum precedentem, et cum non longe pergerent, fetor evanuit destructisque tenebris lux apparuit fugatoque timore securitas rediit, et deposita tristicia anima ista repleta est gaudio et leticia, ita ut se tam cito mutatam miraretur et diceret: O domine, quomodo tam cito mutata sum? Cui angelus: Benedicta sis, ne timueris. Hec est enim mutacio dextri excelsi. Per aliam autem viam redire debemus in regionem nostram. Tu ergo benedic Dominum et sequere me. Euntes autem viderunt murum nimis altum, et infra murum ex ista parte, qua venerant, erat plurima multitudo virorum ac mulierum pluviam et ventum sustinentium, et erant valde tristes famem et sitem sustinentes. Lumen tamen habebant et fetorem non sentiebant.

Tunc ait angelus: Isti quidem fuerunt mali, sed non valde. Honeste vixerunt sed bona temporalia pauperibus non sunt largiti, et ideo per aliquot annos patientur pluviam et ventum, famem et sitem, sed post ducentur ad bonam requiem. Euntes paululum venerunt ad portam, que ultro aperta est eis. Quam cum intrassent, viderunt campum pulchrum et

odoriferum, floribus plenum, lucidum et satis amenum, in quo multe anime erant utriusque sexus exultantes, et nox ibi numquam fuit neque sol illic numquam occidit, et est ibi fons aque vive. Tunc ait angelus: Hic habitant boni, sed non valde, qui de cruciatibus erepti nondum merentur sanctorum consorcio conjungi. Fons iste vocatur vivens, sed qui ex hac aqua gustaverit, vivet in eternum nec sitiet ultra.

Et procedentes paululum viderunt laicos sibi notos, inter quos erant Concober et Donatus reges, **[33v[1]:]** quibus visis ait anima ad angelum: Domine, quid est hoc? Isti duo viri erant in vita sua nimis crudeles et inter se invicem multum inimici. Quo ergo merito huc venerunt? Respondit angelus: De hac inimicicia ante mortem penituerunt. Concober autem diu languit et votum vovit quod, si vixisset, monachus fieret. Donatus autem per multos annos in vinculis religatus omnia quecunque habuit dedit pauperibus, et ideo justicia ejus manet in seculum seculi. Et tu eciam narrabis viventibus omnia hec.

De statu Cormarti regis. Cum autem modicum procederent, viderunt domum mirabiliter ornatam, cujus parietes et omnis structura ex auro et argento erant et ex omnium lapidum preciosorum generibus, sed fenestre ibi non erant nec ostium. Et tamen omnes, qui intrare volebant, intrabant. Erat autem intus tam splendida ac si non dico unus sol, sed quasi ibi multi splenderent soles. Erat nimis ampla et rotunda et nullis columpnis fulta, et totum ejus vestibulum auro et lapidibus preciosis erat stratum.

Circumspiciens autem Tundalus vidit unum sedile aureum cum gemmis et serico et omnibus ornamentis ornatum et regem Cormartum in ipso throno sedere vestitum mirabilibus vestimentis et preciosis supra omne precium terrenum. Et cum staret **[33v[2]:]** admirans, venerunt plurimi cum muneribus in domum illam ad regem et offerebant singuli cum gaudio munera sua, et dum staret Tundalus diutius ante dominum suum regem Cormartum. Erat enim dominus suus in seculo. Veneruntque multi sacerdotes et levite solempniter induti sicut ad missam cantandam cum sericis casulis et aliis ornamentis valde preciosis, et ornabatur undique domus illa regia mirabili atque preciosissimo ornamento. Ponebant enim ciphos et calices aureos et argenteos et pixides eburneas super papillos et tabulas, et sic domus ista ornabatur ut si major gloria in regno Dei non esset, ista posset sufficere. Omnes ergo illi, qui ministrabant ante regem, venientes et genua flectentes dicebant [Ps. 127,2]: *Labores manuum tuarum quia manducabis. Beatus es et bene tibi erit.*

Tunc Tundalus ait ad angelum: Miror, domine, de tot ministris inter quos nec unum de familia sua recognosco. Ad hoc angelus: Non sunt isti de familia sua, sed pauperes Christi et peregrini, quibus rex bona sua largiebatur, et ideo per manus eorum tribuitur ei merces eterna. Tunc ait Tundalus: Domine, passusne est dominus meus aliqua tormenta post mortem? Passus est, inquit, et adhuc quotidie patitur et adhuc patietur. Exspecta ergo paululum et videbis, et cum paululum exspectasset, obscurata est domus et omnes habitatores ejus illicito consternati sunt.

Et rex consternatus **[34r[1]:]** exiit cum fletu, quem cum Tundalus sequeretur, vidit hanc multitudinem, quam ante intus viderat, expansis in celum manibus devotissime deprecantem Dominum et dicentem: Domine Deus omnipotens, sicut vis et sicut sis, miserere servi tui. Et respiciens vidit regem in igne usque ad umbilicum et ab umbilico sursum cilicio indutum. Hanc penam, inquit angelus, quotidie patitur per tres horas et per horas viginti et unam requiescit, et hoc ideo quia legitimi conjugii maculavit sacramentum, et ideo patitur ignem usque ad umbilicum. Cilicium vero portat, quia hic jussit interfici comitem juxta sanctum Patricium et privaricatus est jusjurandum. Exceptis hiis duobus cuncta ei crimina sunt dimissa. Sed jam ascendamus.

De visione glorie sanctorum. Et cum paululum processissent, viderunt murum nimis altum et nimis preclarum. Erat autem argenteus totus, splendidus et valde decorus, et cum nulla porta ibi appareret, Tundalus tamen nesciens quomodo intraverit et circumspiciens vidit choros sanctorum exultantium et dicentium: Gloria tibi Deus pater. Gloria tibi Deus fili Dei, Gloria tibi spiritus sanctus Deus.

Erant autem viri et femine vestiti candidis vestimentis et preciosissimis sine macula et ruga, jocundi et hilares, semper gaudentes et sanctam trinitatem laudantes. Candor autem vestimentorum sicut nix recens **[34r[2]]** erat percussa solis radio. Voces vero consonantes quasi musicum melos reddebant sonos. Claritas autem, jocunditas, amenitas et hilaritas, pulchritudo, honestas, sanitas, eternitas, unanimitas omnibus erat equalis et caritas. Odor illius campi, ubi erant isti, superabat omnia aromata et odoramenta. Tunc Tundalo ait angelus: Hec sunt gaudia conjugatorum, qui fidem conjugii servaverunt et familias suas in timore Dei bene et juste rexerunt et bona sua pauperibus et ecclesiis Christi communicaverunt, qui in judicio audituri sunt: [Mat. 25,34]: *Venite, benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi etc.*

Tundalus autem multum rogabat ut ibi maneret, sed non obtinuit. Post hec profecti sunt. Videbatur eis autem nullus labor in ambulando, et quocunque pertransibant, inclinatis capitibus et letis vultibus cum ingenti gaudio occurrebant et eam proprio nomine salutabant, et Deum, qui eam liberaverat, glorificabant dicentes: Laus tibi, Domine, rex eterne glorie. [Ez. 33,11:] *Qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.* Qui secundum misericordiam tuam ab inferni cruciatibus animam istam eripere dignatus es et sanctorum tuorum consorcio sociare. Cum autem plurimas turbas sic pertransissent, apparuit alius murus tam altus ut primus, sed de auro purissimo et preclarissimo, ita ut magis delectaretur quecunque vidisset anima **[34v¹:]** in solo nitore metalli, quam in omni gloria quam ante viderat.

Cumque simili modo intrassent istum ut primum, apparuerunt illis plurima sedelia de auro et gemmis et universis lapidum preciosorum generibus constructa et preciosissimis ornamentis cooperta, in quibus sedebant seniores viri et femine vestiti sericis et stolis candidis et variis et universis ornatibus, qualia nec ante viderat nec cogitare poterat. Et erat facies uniuscujusque splendida sicut sol splendens in meridie, et capillos habebant auro simillimos et coronas aureas iisdem gemmis ornatas. Sed et lectoria posita erant coram eis aurea, quibus superpositi erant libri aureis literis scripti. Et cantabant Domino alleluja cum novo cantico et tam dulci melodia ut cunctorum preteritorum oblivisceretur anima, que semel audiret voces eorum. Tunc ait angelus ad Tundalum: Isti sunt sancti qui pro testamento Dei sua corpora tradiderunt et in sanguine agni laverunt stolas suas. Et continentes qui de seculari vita ad Dei servicium conversi sunt, et qui semetipsos cum viciis et concupiscenciis crucifigentes sobrie et juste et pie vixerunt. Adhuc de eodem.

Cum autem Tundalus curiosius circumspiceret, vidit quasi **[34v²:]** castrum et papillones plurimas purpura et bisso et auro et argento et serico mira varietate confectas, in quibus cordas et organa et tympana et cytharas cum organistris et cymbalis canentes, cetera quoque omnium genera musicorum suavissimis sonis audivit continentes, et quesivit que hec essent. Cui angelus: Ista est religiosorum requies, monachorum et conversorum, canonicorum et sanctimonialium, qui promissam obedienciam hiis, qui presunt, hilariter et devote impendunt, et qui magis gaudent subesse quam preesse, qui voluntatem propriam relinqunt et aliene obtemperant, qui dum sunt in corpore celestia sapiunt, qui refrenant linguas suas non solum a malis, sed eciam a bonis propter taciturnitatis amorem.

Tunc ait Tundalus: Domine, si placet tibi, volo propius accedere et eos, qui intus sunt, videre. Placet, inquit, ut videas eos et audias, sed non intrabis ad eos. Isti autem fruentur presencia sancte trinitatis, et qui semel ad eos intraverit omnium immemor preteritorum ulterius non disjungitur a consorcio sanctorum, nisi forte virgo fuerit et conjungi mereatur choris angelorum. Et accedentes proprius viderunt utriusque sexus animas, quarum splendor et odor delectabilis, que assimilabantur angelis, et sonus suavissimus omnem gloriam, quam ante viderant, **[35r[1]:]** superabant. Omnia instrumenta nemine tangente sonos reddebant.

Sed hanc autem dulcedinem superabant voces ipsorum spirituum, quibus nullus labor erat in exaltacione vocum, nec labia videbantur moveri, nec manus ad instrumenta musica levare curabant. Item ad libitum cujusque melos reddebant. Firmamentum quod erat super capita eorum, multum splendebat, de quo catene pendebant auri purissimi virgulis argenteis intermixtis pulcherrima varietate contexte, de quibus ciphi et phiale et tintinabula et cymbala et lilia et sperule pendebant auree, inter quas multitudo maxima versabatur angelorum volantium et aureas alas habentium, qui levi volatu inter catenas volantes suavissimum atque eciam dulcissimum audientibus reddebant sonum.

Cum ergo Tundalus nimis delectatus vellet ibi stare, dixit ei angelus: Respice. Et respiciens vidit unam arborem maximam et latissimam frondibus viridissimam floribusque pulcherrimam omniumque generibus fructuum et frugum fertilissimam, in quibus frondibus aves multe diversorum colorum et diversarum vocum generibus cantantes **[35r[2]:]** et organizantes morabantur. Sub cujus ramis lilia et rose et cunctarum herbarum specierumque odoriferarum genera oriebantur, et sub eadem arbore viri multi et femine in cellis aureis et eburneis semper benedicentes et laudantes Dominum, et assimilabantur angelis pro universis beneficiis et donis suis, et habebat unusquisque coronam auream in capite suo mirabiliter ornatam et sceptrum aureum in manu sua. Et erant vestiti talibus vestimentis, quibus ante visi monachi. Tunc ait angelus ad Tundalum: Hec arbor typus est sancte ecclesie. Hii qui sub ea sunt, sunt constructores et defensores ecclesiarum, qui pro beneficiis, que sanctis ecclesiis largiti sunt, fraternitatem ipsorum consecuti sunt, quia per illorum commonicionem secularem habitum reliquerunt et religiose vixerunt.

Iterum de eodem. Cumque profecti fuissent, viderunt murum altitudine, pulchritudine et splendore ceterisque dissimilem. Erat namque

ex omnibus lapidum preciosorum generibus constructum variis coloribus metallis interpositis, ita ut habere videtur aurum pro semento. Lapides ejus erant chrystallus, chrysolitus, beryllus et jaspis, jacintus et smaragdus, saphirus **[35v[1]:]** et onichinus, topasius et sardis, chrysopassus et amethystus, turcatus atque granatus. Hiis et de similibus splendebat murus valde et mentes intuentium multum in se provocabat.

Accedentes igitur murum videre procul dubio [1.Cor. 2,9] quod *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, que preparavit Deus diligentibus se.* Viderunt ibi ix ordines angelorum et bonorum spirituum cum illis immixtorum, et audierunt ibi verba ineffabilia, que non potest homo, nec eciam licet homini loqui.

Dixitque angelus ad animam Tundali [Ps. 44,11-12]: *Audi, filia, et vide et inclina aurem tuam et obliviscere potenciam [populum] tuam et da [domum] pacem [patris], et concupuerit rex decorem tuum.* Ecce patet quanta sit amenitas, jocunditas, dignitas, sublimitas interesse choris angelorum et omnium sanctorum et, quod omne precellit gaudium, eum qui panis est angelorum et vita omnium sentire clementem et pium.

Ab isto autem loco, in quo stabant, non solum omnem quam ante viderant gloriam, verum et predicta supplicia videbant, et quod **[35v[2]:]** magis mirandum est, ipsum orbem terrarum quasi sub uno solis radio videbant, sicut scriptum est [Is. 33,17]: *Cernent terram delonge etc.* Non enim potest quequam creatura visum obtundere, cui semel concessum est omnium creatorem videre. Et miro modo, cum starent in eodem loco, in quo sc. prius steterunt, non se vertentes in aliquam partem cunctos tamen ex eodem loco ante et retro positos videbant. Non solum autem visus, verum eciam omnium rerum sciencia dabatur insolita, ita ut non esset ibi opus interrogare amplius aliqua, sed omnia sciebat ibi Tundalus aperte et integre quarum volebat.

De 4[or] episcopis quos Tundalus ibi cognovit. Cum autem ita esset ibi Tundalus, affuit ei sanctus Ruadanus confessor cum magna leticia salutans eum et amplectens intime caritatis visceribus ait [Ps. 120,8]: *Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum ex hoc nunc et usque in seculum.* Ego sum Ruadanus patronus tuus, cui jure debitor es sepulture. Et cum hoc dixisset stetit nil amplius dicens. Tundalus autem respiciens vidit sanctum Patricium hibernensium apostolum cum magna turba episcoporum inter quos 4[or] sibi notos.

Vidit enim Celestinum qui fuit archiepiscopus Ardinache, et Malachiam qui Celestino successit, qui racione[?] veniens **[36r[1]:]**

tempore Innocencii pape legatus et archiepiscopus est ab illo constitutus, qui omnia, que habere poterat, sanctis et pauperibus dividebat. Hic constructor extitit xliiii$^{or}$ cenobiorum monachorum, canonicorum, sanctimonialium, quibus omnia necessaria providebat et nihil omnino sibi retinebat. Ibique vidit Christianum lugdunensem episcopum, fratrem predicti Malachie uterinum mire continencie virum et voluntarie paupertatis amatorem et Duanensis civitatis antistitem virum simplicem et modestum, sapiencia quoque et castitate pre ceteris fulgentem. Hos 4$^{or}$ novit episcopos. Eratque juxta eos unum sedile mirabiliter ornatum, in quo nemo sedebat, et dixit Tundalus: Cujus est istud sedile et quare sic vacat? Respondit sanctus Malachias: Cujusdam de fratribus nostris qui nondum migravit a corpore. Hic sedebit, cum migraverit.

De reditu anime ejus ad corpus. Cum autem in hiis omnibus anima Tundali valde delectaretur, affuit angelus Domini, qui eam antecedebat et blande istam alloquens ait: Vidisti hec omnia? Et ista: Video. Domine, obsecro: Sine me hic esse? **[36r$^{2}$:]** Cui angelus: Debes ad corpus tuum redire et omnia, que vidisti, ad utilitatem proximorum memoriter retinere. Quo audito anima tristis et flens respondit: Domine, inquit, tanti mali egi ut relicta tanta gloria ad corpus redeam. Ad quam angelus: Hanc non merentur intrare nisi virgines, que corpora sua ab omni immundo tactu et corda sua ab omni immundo affectu custodiunt, et aduri magis pro tanta gloria quam coinquinari aliqua turpi concupiscencia volunt. Quod sc. tu noluisti facere et verbis meis credere et ideo non poteris hic manere. Revertere ergo ad corpus tuum et abstine te ab hiis, que ante faciebas. Consilium meum et auxilium tibi non deerit sed presentialiter atque fideliter tibi manebit. Et cum hec dixisset angelus, conversa anima statim sensit se mole corporis esse gravatam.

Nullum intervallum nec ullum temporis intercessit momentum. Sed in uno eodem temporis puncto in celis loquebatur ad angelum et in terris se sensit induere corpus suum. Tunc ipsa debilis corporales aperuit oculos et suspirans **[36v$^{1}$:]** nihilque dicens respexit clericos circumstantes et sumpsit corpus Domini cum graciarum accione. Et omnia, que habuit, dispersit et dedit pauperibus et signum sancte crucis vestimentis suis, quibus vestiebatur, superaffigi jussit. Cuncta que viderat que retinere poterat, nobis postmodo recitavit, bonam vitam nos ducere monuit verbumque Dei, quod ante nescierat, cum magna devocione et utilitate ac humilitate et sciencia predicabat. Nos autem,

quia vitam ejus imitari non possumus, hoc saltem ad utilitatem legentium scribere studuimus.

Auctoris[?]. Hec autem visio et huic similes apud doctores nostros calumpniam patiantur, et nullum penitus locum vel statum animarum esse ponentes medium inter purgatorium et paradisum, quamvis beatus Bernardus in quodam sermone de omnibus sanctis contrarium innuere videatur. Istud bene est extractum, compilatum et scriptum ex speculo historiali. Explicit.

## Antiphone et oraciones infrascripte in templo sancti sepulchri

**[37r[1]]** Antiphone et oraciones infrascripte in templo sancti sepulchri composite de locis et insignis passionis et resurreccionis Jhesu Christi, quas fratres minores legere solent coram peregrinis quando eos ducunt alicubi, ubi de salvatore nostro aliquid notabile gestum est, et quando monstrant eis loca et insignia passionis ejus. Nam primo ad sepulchrum coram imagine beate virginis incipiunt cantare: Ave regina celi etc. Deinde vadunt cum peregrinis processionaliter ad capellam beate Marie virginis et postea divertunt ad angulum, ubi habetur columpna flagellacionis, et demum ad alia loca et in quolibet loco psallant antiphonam et oracionem continentem articulos passionis et resurreccionis loci ejusdem.

Sequitur antiphona et oracio ad columpnam, ad quam Christus fuit ligatus: Aprehendit Jhesum Pilatus et ad columpnam ligatum fortiter flagellavit. Versiculus: Vere languores nostros ipse tulit. Responsum: Et dolores nostros ipse portavit. Oracio: Adeste nobis, Christe salvator, per tuam penalem flagellacionem et per tuum **[37r[1]:]** stillantem et aspersum sanguinem preciosum, ut omnia peccata nostra deleas nobisque tuam graciam tribuas et ab omni periculo et adversitate protegas et ad vite eterne gaudia perducas. Qui vivis etc.

In loco ubi Christus apparuit primo Marie Magdalene antiphona: Surgens Jhesus mane prima sabbati apparuit Marie primo Magdalene, de qua ejecit septem demonia. Versus: Noli me tangere. Responsum: Nondum ascendi ad patrem meum. Oracio: Benignissime Domine Jhesu Christe, alpha et omega, qui mane prima sabbati Marie Magdalene dulciter lacrimanti te affabilem jocundis confabulacionibus et vultu desiderabili prebuisti. Concede nobis indignis famulis tuis ut sanctissimam faciem tuam plenam gracia in celesti gloria meritis tue resurreccionis videre valeamus. Qui vivis etc. Ad carcerem Christi antiphona: Ego te eduxi de captivitate Egypti diverso pharaone in mari rubro, et tu me tradidisti carceri obscuro. Versus: Disrupisti, Domine, vincula mea. Responsus: Tibi sacrificabo hostiam laudis et nomen Domini invocabo. Oracio: Domine Jhesu Christe, decor angelorum et libertas mundi, qui pro nostra redempcione capi, ligari, incarcerari, alaphis cedi, flagellari et conspui voluisti, fac nos quamvis indignos famulos tuos penas **[37r[2]:]** et contumelias pro tui nominis gloria letanter suscipere et ad tue pietatis consorcium mereamur feliciter pervenire. Qui vivis etc.

Ad locum divisionis vestimentorum antiphona: Milites postquam crucifixerunt Jhesum, acceperunt vestimenta sua dantes unicuique militi partem. Versus: Diviserunt sibi vestimenta mea. Responsus: Et super vestem meam miserunt sortem. Oracio: Benignissime Jhesu Christe, qui pro nostra redempcione ab indignis peccatorum manibus non solum in cruce nudus suspendi et mori voluisti, sed tua sacratissima vestimenta partiri et donari permisisti, concede ut spoliati viciis, virtutibus ornati, tibi Deo nostro vivo et vero in celesti patria presentari mereamur. Qui vivis etc.

Ad locum invencionis sancte crucis antiphona: Orabat Judas: Deus, Deus meus, ostende mihi lignum sancte crucis, cumque ascendisset de lacu, perrexit ad locum, ubi jacebat sancta crux, alleluja. Versus: Hoc signum crucis erit in celo. Responsus: Cum Dominus ad judicandum venerit. Oracio: Deus, qui in preclara salutifera crucis invencione passionis tue miracula suscitasti, concede ut vitalis ligni precio eterne vite suffragia consequamur. Qui vivis etc.

Ad capellam sancte Helene antiphona **[37v$^1$:]** In hujus obtentu, Deus alme, nostris parce peccatis vicia remittens, quo tibi puri resonemus almum peccatoris hympnum. Helena Constantini mater Jherusalem petit. Versus: Ora pro nobis, beata Helena. Responsus: Ut digni efficiamur promissionibus Christi. Oracio: Deus, qui inter cetera potencie tue miracula eciam in sexu fragili virtutem recte intencionis corroboras, presta, quesumus, ut sancte Helene regine exemplo, cujus studio desideratum regis nostri lignum sancte crucis detegere dignatus es, que Christi sunt jugiter indagare atque consequi te favente mereamur per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Ad statuam coronacionis antiphona: Ego dedit tibi sceptrum regale, et tu meo capiti imposuisti spineam coronam. Versus: Posuisti, Domine, super caput ejus. Responsus: Coronam de lapide precioso. Oracio: Domine Jhesu Christe, qui humano genere condolens coronam spineam in tuo sacratissimo suscepisti capite et sanguinem tuum preciosum pro salute hominum effudisti, respice ad indignas preces nostras ut a te clementer exauditis **[37v$^2$:]** indulgenciam et remissionem omnium peccatorum nobis tribuas per tuam magnam misericordiam et pietatem immensam. Qui vivis etc.

Ad locum Calvarie primo cantatur hympnus: Vexilla regis prudenter fulget crucis. Deinde antiphona que sequitur: Ecce locus ubi salus mundi pependit, venite adoremus. Versus: Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi. Responsus: Quia per sanctam crucem tuam redemisti

mundum. Oracio: Domine Jhesu Christe, fili Dei vivi, qui hunc sacratissimum locum pro salute humani generis precioso sanguine tuo consecrasti, ad quem hora 3[a] duci voluisti ibique te veste spoliari a militibus permisisti ac demum hora sexta in cruce suspensus pro peccatoribus exorasti matremque dolorosam virginem virgini commendasti. Ad ultimum hora nona in manus patris clamans, orans et lacrimans spiritum tradidisti, et ibidem corpus tuum sanctissimum lancea perforari sustinuisti. Concede, quesumus, ut nos et omnes, qui tuo sacratissimo sanguine redempti sumus et tue passionis memoriam celebramus, ejusdem passionis beneficium consequi valeamus. Qui vivis etc.

Modo sequitur devote **[38r[1]:]** oraciones de quinque vulneribus Christi. Oracio: Jhesu bone, te deprecor pro pena nimis aspera et vulnere quod passus es pro me in manu tua dextra, ut mentem meam dirigas ad mores, affectus et opera, ut tibi soli serviam totus cum mente libera. Adoro te, piissime Jhesu Christe, qui redemisti me. Alia oracio: Jhesu dulcis, tibi supplico pro gravi pena vulneris quam in sinistra passus es manu pro nobis miseris, ut clementer indulgeas quidquid commisi sceleris per tactus immundiciam et pravitatem operis. Adoro te, piissime Jhesu, qui redemisti me. Oracio: Jhesu mitis, te deprecor per illud vulnus asperum, quod pedem clano cuspide tuum transfixit dextrum, ut gressus meos dirigas iter parando prosperum per mandatorum semitam et tuorum itinerum. Adoro te, piissime Jhesu, qui redemisti me.

Item oracio: Jhesu clemens, pro vulnere quod pendens in patibulo in sinistro dignatus es pede pati, postulo ut digneris absolvere ab omni me piaculo, quod per sinistra gradiens commisi in hoc seculo. Adoro te, piissime Jhesu, qui redemisti me. **[38r[2]:]** Oracio quinta: Jhesu pie, te postulo pro gravi illo vulnere quod fixum est per lanceam tibi in dextro latere, ut me ab omni criminis labe velis absolvere, que commisi nepharie verbo, visu et opere. Adoro te, piissime Jhesu, qui redemisti me. Item alia oracio: Pro me precor et pro populo te, Christe clementissime, auge piis justiciam, da munus venie ut mortis tue memores et passionis anxie nos a mundi miseria ducas ad regnum glorie. Amen.

Ad locum unccionis. Antiphona: Ungentum tuum effusum nomen tuum ideo adolescentule dilexerunt te nimis. Versus: Dilexisti justiciam et odisti iniquitatem. Responsus: Propterea unxit te Deus, Deus tuus pre consortibus tuis. Oracio: Dulcissime Jhesu Christe, qui in tuo sacratissimo corpore tuorum concedens devocionem fidelium, ut te

verum regem et sacerdotem ostendens inungi ab eisdem fidelibus voluisti. Concede **[38v¹:]** ut corda nostra unccione spiritus sancti valeant ab omni infeccione peccati quotidie preservari. Qui etc.

Ad sepulchrum Domini hympnus: Nam cenam agni providi et stolis albis candidi post transitum maris rubri Christo canamus principi, cujus corpus sanctissimum in ara crucis torridum, cruore ejus roseo gustando vivius[?] Deo protecti pasche vespere a devastante angelo erepti de durissimo pharaonis imperio. Jam pascha nostrum Christus est, qui immolatus agnus est sinceritatis azima caro ejus oblata est. O vere digna hostia, per quam fracta sunt tartarea, redempta plebs captivata, redit ad vite premia. Consurgit Christus tumulo victor redit de baretro, tyrannum trudens vinculo et reservans paradisum. Antiphona: Quem totus non capit orbis, hic uno saxo clauditur atque morte jam perempta inferni claustra ambiit. Versus: Surrexit Dominus de sepulchro. Responsus: Qui pro nobis pependit in ligno. Oracio sequitur: Domine Jhesu Christe, qui hora diei vespertina de cruce depositus in brachiis matris tue dulcissime, ut **[38v²:]** pie creditur, reclinatus fuisti, hora quoque ultima hoc sacratissimo monumento corpus tuum exanime contulisti et die 3ª mortalitate deposita gloriosus exinde resurrexisti. Angelos quidem ejusdem resurreccionis testes apparere jussisti ac Mariam Magdalenam lacrimabiliter te querentem primum in hoc loco tua presencia consolatus fuisti. Tribue, quesumus, ut nos et omnes, quos in oracione commendatos suscepimus, qui de tua passione et morte memoriam facimus, resurreccionis gloriam consequamur. Qui vivis etc. Explicit istud breve.

Multi sunt prelati sive sacerdotes nomine, sed pauci dignitate. Augustinus.

Hay free Gudh giord fforthy standh landh i waadh
non semper oleum

**Ex speculo humane salvacionis**[18]

In presenti capitulo videamus quomodo penas dampnatorum evadamus et ad gloriam beatorum feli citer pervenire valeamus. Qui enim ad gloriam beatorum pervenire desiderat, debet Deum ex toto corde diligere et sibi feliciter et fideliter servire, et quodcunque servicium noverit Deo esse graciosius et acceptius, in eodem servire debet sibi frequentius et diligentius.

Quidam homo Deo devotus in clausura sua residebat, qui Domino ex toto corde suo servire satagebat. Hic exorabat Dominum continuis precibus et devotis ut sibi revelaret, quid servicium sibi esset acceptius. Quadam vice vidit Dominum ad se venientem et magnam crucem in dorso bajulantem et sibi dicentem: Non poteris mihi graciosius et acceptius obsequium prestare, quam quod juves me crucem meam portare.

Qui respondens: Oro, inquit, Domine dulcissime, ut doceas me, quibus modis debeam tuam crucem bajulare. In corde, inquit Dominus per recordacionem, et in ore per crebram et devotam oracionem et graciarum accionem. In auribus per ferventem penarum audicionem, in dorso per proprie carnis tue assiduam castigacionem. Ut igitur eternam penam dampnatorum evadere valeamus et ad perpetuam gloriam beatorum feliciter perveniamus, salvatori nostro toto corde, ore et opere **[39r$^{2}$:]** gracias agamus et ad honorem passionis has oraciones dicamus.

[18] Exactly the same chapter f. 254v

## Evangelium Nichodemi

Tunc sequitur evangelium Nichodemi. Anno Domini xxii imperii Tiberii cesaris et Herodis thetrarce Galilee anno xix$^{o}$ principatus ejus, viii$^{o}$ kalendis aprilis, consulati Bassi et Tranquillini anno iiii$^{o}$, cccii$^{o}$ olympiadis, sub principibus sacerdotum Joseph, Anna et Caipha, 4$^{o}$ anno post crucem et passionem Domini, historia cujus est Nichodemus acta a principibus sacerdotum et reliquis judeis, mandavitque literis hebraicis.

De vocacione Jhesu ad Pilatum. Annas et Caiphas, Sabina et Tadai, Gamaliel et Judas, Juda et Neptalim, Alexander et Thiarus et reliqui judeorum venerunt ad Pilatum adversus Dominum Jhesum accusantes eum de multis accusacionibus malis dicentes: Istum Jhesum nos novimus, Joseph fabri filium de Maria natum, qui dicit se filium Dei esset et regem. Insuper et sabbatum violat et paternam legem nostram vult dissolvere. Dixerunt: Legem habemus in sabbato non curare aliquem. Iste autem claudos et surdos, curvos et paraliticos, cecos et leprosos **[39v$^{1}$:]** ac demoniacos in sabbato malis actibus curat. Dicit eis Pilatus: Quibus malis actibus? Dicunt ei: Maleficus est et in principe demoniorum Beelzebub ejecit demonia, et omnia ei sunt subjecta.

Pilatus ait: Non est licitum in spiritu immundo ejicere demonia, sed in virtute Dei. Dixerunt judei Pilato: Rogamus magnitudinem vestram ut jubeatis eum astare ante tribunal vestrum et audiatis eum. Advocans igitur Pilatus cursorem ait ei: Cum moderacione adduc Jhesum. Exiens vero cursor et agnoscens eum adoravit et facialem, quam ferebat in manu involuta, expandit eam dicens: Domine, super hoc ambulans ingredere civitatem, quoniam preses te vocat.

Videntes judei, quod cursor fecerat, clamaverunt ad Pilatum dicentes: Quare sub voce preconia jussit eum introire? Cursor iste adoravit eum et extendit facialem in terram coram eo. Advocans Pilatus cursorem ait ei: Quare hoc fecisti? Respondit cursor: Cum misisti me Jherusalem ab Alexandria, vidi Jhesum super asinum, et pueri hebreorum clamabant ossianna ramos tenentes in manibus suis et alii sternebant vestimenta sua coram eo dicentes: Salva nos, qui es in excelsis. **[39v$^{2}$:]** [Mat. 21,9:] *Benedictus qui venit in nomine Domini.*

Clamabant judei contra precursorem dicentes: Pueri hebreorum clamabant hebraice, tu autem, cum grecus sis, unde hebraicum nosci posses? Respondit cursor: Interrogavi quendam judeorum, quid clamabant, et iste mihi dixit. Dicit judeis Pilatus: Quomodo clamabant?

Dixerunt: Ossianna. Ait illis: Quid interpretatur Ossianna? Responderunt: O Domine, salvum me fac. Seu: O Domine, salva. Ait Pilatus: Ergo vos attestamini voces, quas pueri dixerunt. Quid igitur peccavit cursor? Et tacuerunt. Dixit iterum Pilatus cursori: Exi foras et quovis ordine introduc eum. Exiens cursor fecit ut prius et ad Jhesum: Domine, ingredere, vocat te preses.

De introductu Jhesu ad Pilatum. Cum autem Jhesus ingrederetur, capita signorum, que ferebantur a signiferis, curvata sunt ex se et adoraverunt eum.[19] Quod videntes judei clamabant contra signiferos. Quibus ait Pilatus: Non laudatis, quoniam ex se curvata sunt capita signorum et adoraverunt Jhesum. Viri contradicentes judei dicebant signiferos hoc fecisse. **[40r$^1$:]** Et ait Pilatus signiferis: Quare hoc fecistis? Responderunt: Nos viri pagani sumus et servi templorum. Quomodo potuimus adorare eum, sed signa curvaverunt se et adoraverunt eum. Dixit igitur Pilatus ad archisynagogos et seniores judeorum: Eligite ex vobis viros fortes, et teneant ipsi signa, et videamus si curventur. Elegerunt ergo xii viros fortissimos, qui tenuerunt signa et steterunt ante presidem. Dixit autem Pilatus cursori secrete: Duc Jhesum foras pretorium et introduc eum iterum quovis ordine. Exiens ergo foras pretorium cursor cum Jhesu et advocans Pilatus eos, qui tenebant signa, jurans per salutem cesaris quod, si flexa fuerint signa ipso Jhesu ingrediente, perscidam capita vestra. Tunc jussit preses Jhesum ingredi iterum, quo intrante incurvaverunt se signa et adoraverunt sicut prius. Quod videns Pilatus timuit et surrexit de sede sua.

De discrepacione judeorum inter se. Uxor Pilati nomine Procula misit ad eum nuncium dicens: Nihil tibi et justo illo. **[40r$^2$:]** Multa enim sum passa per visum propter illum. Responderunt judei Pilato: Numquid non diximus quia maleficus est. Ecce sompnium immisit in uxorem tuam. Pilatus advocans Jhesum ait: Non audis, quid isti adversus te dicunt? Jhesus respondit: Si non haberent potestatem non loquerentur, quoniam unusquisque habet potestatem in ore suo loquendi bona et mala. Ipsi videbunt. Respondentes seniores dixerunt ei: Quid nos dicemus. Primum ex fornicacione natus es, 2$^{m}$ generacio tua in Bethlehem est et interfeccio infantium facta est propter te. 3$^{m}$ quod pater tuus et mater Maria fugierunt in Egyptum, quia fiduciam non habebant in populo Israel.

---

[19] cf. f.346r, where 12 vexilla 12 tribuum Israelis inclinabant se Christo ingrediente

Dixerunt aliqui ex judeis astantibus: Nos non dicimus eum natum ex fornicacione, sed scimus quod desponsata fuit mater ejus Joseph. Dixit ergo Pilatus aliis: Hic sermo vester non est verus, quoniam desponsacio facta est, sicut isti dicunt ex gente vestra. Responderunt Pilato Annas et Caiphas et omnis multitudo clamabat: Quoniam ex fornicacione natus est et maleficus est, isti proseliti **[40v$^{1}$:]** et discipuli ejus. Et ait Pilatus: Qui sunt isti proseliti? Responderunt: Paganorum filii sunt et nunc facti sunt judei, et ideo dicunt non est natus ex fornicacione. Dixerunt Lazarus, Austerius, Jacob, Geras, Samuel, Isaach, Finees, Crispus, Agrippa, Annas et Judas: Non sumus nos proseliti sed filii judeorum, et veritatem loquimur et enim inter sponsalia Marie fuimus. Advocans vero Pilatus illos xii ait illis: Adjuro vos per salutem cesaris, si vera dixistis quod non sit natus ex fornicacione. Responderunt: Legem habemus non jurare, sed si jurent isti per salutem cesaris, quod non est sicut dicimus, rei sumus mortis. Dicunt Annas et Caiphas ad Pilatum: Isti xii cum credunt quod non sit natus ex fornicacione, tamen maleficus est et dicit se filium Dei et regem, et nos credimus.

Excusacio Jhesu per duodecim viros. Pilatus autem jussit omnem populum exire preter dictos xii et amoto Jhesu seorsum ait eis: Qua racione volunt eum occidere? Responderunt: Quia zelum hunc fecit quod sabbato curat. Dicit eis **[40v$^{2}$:]** Pilatus: Ergo de bono opere volunt eum occidere. Dicunt ei: Eciam, domine. Tunc Pilatus furore repletus exivit pretorium et ait judeis: Testes idoneos habeo quod nec unam culpam invenio in homine isto. Responderunt judei: Si non esset iste maleficus, non tradidissemus eum tibi. Dicit eis Pilatus: Tollite eum vos et secundum legem vestram judicate eum. Responderunt: Nobis non licet interficere quemquam. Dicit eis Pilatus: Quia vobis Deus dixit: Non mechaberis, non occides.

Collocucio Jhesu et Pilati. Ingressus iterum Pilatus pretorium vocavit Jhesum solum et ait: Tu es rex judeorum? Respondit Jhesus: Ex te hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me? Ait Pilatus: Numquid ego sum judeus? Gens tua et principes sacerdotum tradiderunt te mihi. Quid fecisti? Respondit Jhesus : Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei resisterent ut non traderer judeis. Nunc vero regnum meum non est hinc. Dicit ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Jhesus: Tu dicis, quia rex sum **[41r$^{1}$:]** ego. Ego ad hoc in mundum natus sum et veni in mundum, ut testimonium perhibeo

veritati. Omnis, qui ex veritate est, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas. Respondit Jhesus: Intende veritatem dicentis in terra, quomodo judicatur ab hiis, qui potestatem habent in terra.

Calumpnia judeorum adversus Jhesum. Statim relinquens Pilatus Jhesum intra pretorium exivit ad judeos et ait: Ego nullam causam invenio in eo. Dixerunt judei: Ipse dixit: Possum templum Dei destruere et in triduo resuscitare illud. Dixit Pilatus: Quale templum? Responderunt: Quod edificavit Salomon xlvii annos. Iterum dicit eis Pilatus: Innocens ego sum a sanguine hominis istius. Vos videritis. Dicunt judei: Sanguis ejus super nos et filios nostros. Advocans autem Pilatus seniores sacerdotes et levitas ait eis: Secrete nolite sic facere. Non enim accusate dignum morte nisi de curacione et violacione sabbati. Responsum dederunt illi: Si quis blasfemat cesarem dignus est morte. Iste autem adversus Deum blasfemavit.

Tunc jussit preses judeos exire pretorium et advocans Jhesum ait ei: Quid faciam tibi? Respondit Jhesus: Sicut datum est tibi. Ait Pilatus: Quomodo datum est mihi? Respondit Jhesus: Moises et prophete **[41r$^2$:]** predicaverunt de passione ista et de resurreccione mea. Audientes judei dixerunt Pilato: Quid amplius desideras blasfemias istius audire? Ait Pilatus: Si iste sermo blasfemia est, tollite eum vos et perducite eum ad synagogam vestram et secundum legem vestram judicate eum. Responderunt: Nos volumus ut crucifigatur. Ait Pilatus: Non est bonum. Intuitus vero preses populum circumstantem vidit plurimos judeos lacrimantes et ait: Non omnis multitudo vult eum mori. Responderunt seniores: Ideo volumus eum mori ut non omnis multitudo moriatur. Ait Pilatus: Quare moriatur? Dicunt ei: Quia dixit se filium Dei et regem.

Persuasio Nichodemi pro Jhesu. Nichodemus autem vir nobilis stetit ante presidem et ait: Rogo te, misericors, jube me dicere paucos sermones. Qui ait: Dic. Nichodemus ait: Ego dico vobis senioribus et levitis et omni multitudini judeorum et synagoge, quare estis contra hominem istum? Homo iste multa signa fecit et gloriosa, qualia nullus fecit nec facit. Dimittite illum et nolite facere illi quequam mali. Si ex Domino est, stabunt ista signa, si vero ex hominibus dissolventur. Quia Moises a Deo missus in Egyptum fecit **[41v$^1$:]** signa, que Deus dixit illi ut faceret coram pharaone. Et erant ibi medici curantes jammes et mambres et ipsi fecerunt signa, que fecit Moises sed non omnia, et habuerunt egyptii eos sicut deos, sed signa que fecerunt, non erant ex

Deo. Ideo perierunt ipsi et qui crediderunt eis. Sed nunc dimittite hominem istum. Non enim dignus est mori.

Tunc dixerunt judei Nichodemo: Tu discipulus ejus factus es. Ideo verbum pro eo facis. Quibus ipse respondit: Numquid preses discipulus ejus factus est et ipse verbum pro eo facit. Erant judei ferventes et dentibus stridentes super Nichodemum et dixerunt: Veritatem ejus tu accipies et porcionem ejus cum ipso. Ait: Amen, accipiam sicut dixistis.

Quomodo curati pro Jhesu loquebantur. Tunc quidam ex judeis exiliens rogabat presidem ut unum verbum diceret. Cui iste: Dic quod vis. At ille ait: Ego xxxviii annis in lecto jacebam et quotidie in periculo et parturicione dolorum a demonis et diversis infirmitatibus vexatus, sed adinveniente Jhesu curatus sum ab eo. Et quidam juvenis dixit: Portaverunt me in lecto, et videns me Jhesus misertus mei ait [Marc. 2,11]: *Surge, tolle grabatum et ambula, et sine mora sanatus ambulabam.*

**[41v$^{2}$:]** Et dixerunt judei Pilato: Interroga eum qualis dies fuit quando sanatus est. Respondit: Sabbatum. Dicunt judei Pilato: Nonne sic diximus, quia in sabbato curavit et demonia ejecit. Alius judeus ait: Ego cecus natus fui, vocem audiebam, neminem autem videbam. Transeunte Jhesu clamabam [Mat. 9,27]: *Miserere mei, fili David*. Et misertus est mihi et posuit manus suas super oculos meos, et statim vidi. Et alius exiliens dixit: Curvus eram et direxit me. Alius dixit: Leprosus eram et mundavit me.

Et mulier quedam nomine Veronica ait: Sanguine eram fluens xii annos et mundavit me per tactum fimbrie vestimenti sui. Dixerunt judei: Legem habemus mulierem in testimonium non venire. Et alii quidem ex multitudine clamabant: Iste homo proselitus est, et demonia ei sunt subjecta. Quibus ait Pilatus: Quare doctoribus vestris non sunt subjecta? Responderunt: Nescimus. Aliqui eciam dixerunt quod Lazarum post 4$^{m}$ diem suscitavit de monumento.

De demissione Barrabe. Audiens ista preses tremefactus ait ad multitudinem judeorum: Quare vultis effundere sanguinem innocentem? Et convocans Nichodemum et alios, qui pro Jhesu loquebantur: Quid faciam quoniam sedicio magna est in populo? Qui responderunt: Nos nescimus. Ipsi videant. Convocans autem Pilatus multitudinem **[42r$^{1}$:]** ait: Scitis quod consuetudo est in die azimorum ut dimittam vobis unum vinctum. Habeo autem insignem vinctum in carcere, qui dicitur

Barrabas. In Jhesu autem, qui astat, nullam culpam invenio mortis. Quem ergo vultis dimittam vobis? Clamaverunt judei: Barrabam. Dicit eis Pilatus: Quid igitur faciam de Jhesu qui dicitur Christus? Dicunt omnes: Crucifigatur. Non es amicus cesaris, si hunc dimittis, qui dixit se filium Dei et regem. An forte vis hunc regem esse non cesarem?

Tunc Pilatus furore repletus ait ad eos: Semper gens vestra sediciosa fuit, et qui pro vobis fuerunt, eis contraria fuistis. Responderunt judei: Qui fuerunt pro nobis? Ait Pilatus: Deus vester qui eripuit vos de dura servitute egyptiorum et eduxit vos de Egypto et per mare duxit vos sicut per arida et in heremo cibavit vos manna et eduxit vos [vobis?] aquam de petra et legem dedit vobis. Pro hiis omnibus irritantes Deum vestrum quesitis vobis deum flatilem vitulum exarcebantes Deum vestrum, et voluit occidere vos, et deprecatus est pro vobis Moises ut non moreremini, et nunc dicitis quod ego odio regem. Et iratus de tribunali voluit exire foras.

De sentencia Pilati super Jhesum. Tunc clamaverunt judei dicentes: Regem scimus cesarem **[42r$^2$:]** non hunc Jhesum, quamvis ei magi munera optulerunt, et ideo Herodes quesivit eum interficere. Audiens hoc Pilatus extremuit et ait: Ergo hic est quem querebat Herodes. Dicunt ei: Hic est. Accipiens autem Pilatus aquam lavans manus suas coram populo dicens: Innocens ego sum a sanguine hujus justi. Vos videritis. Responderunt judei: Sanguis ejus super nos et super filios nostrorum.

Tunc Pilatus jussit Jhesum duci ante tribunal et dicebat adversus eum: Notum esse cupio tam presentibus quam futuris, quod gens tua comprobravit te non esse regem et prophetam. Jubeo te primum flagellari secundum statuta primorum principiorum. Deinde allevari in crucem et duos maliciosos, quorum nomina sunt Dismas et Gesmas. Tunc exivit Jhesus de pretorio et duo latrones cum eo, et dum abiissent ad locum, exspoliaverunt eum vestimenta sua et precinxerunt eum linteo et coronam de spinis posuerunt super caput ejus et crucifixerunt eum et cum eo duos latrones, Dismam a dextris et Gesmam a sinistris. Ipse vero dixit: Pater, parce, parce et dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt. Et diviserunt vestimenta ejus **[42v$^1$:]** sortem mittentes.

De illusione Jhesu in cruce et ejus morte. Tunc principes sacerdotum et seniores et judices eorum irridebant eum dicentes: Alios salvos fecit, salvet nunc semetipsum. Si filius Dei est, descendat nunc de cruce. Deludebant eum et milites offerebant ei acetum et fel bibere et

dixerunt: Si tu es rex judeorum, libera temetipsum. Jussit autem preses pro sentencia titulum scribi literis hebraicis, grecis et latinis, secundum quod judei dixerant: Hic est rex judeorum. Unus autem ex hiis qui crucifixus erat cum eo, Gesmas nomine, ait ei: Si tu es rex, libera nos et te. Respondit Dismas et turbavit eum dicens: Nonne tu times Deum, qui in hoc judicio es. Nonne juste et digne que gessimus recipimus. Hic autem nihil mali fecit. Et postquam turbavit socium suum dixit ad Jhesum: Memento mei, Domine, dum etc. Ait ei Jhesus: Amen dico tibi etc. Erat autem quasi hora sexta, et tenebre facte sunt super universam terram usque in horam nonam, et ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum. Et clamans Jhesus voce magna dicens: Pater mi, in manus tuas commendo spiritum meum et hoc dicens emisit spiritum.

De tristicia Pilati post mortem Jhesu. Videns autem centurio que facta sunt, **[42v$^{2}$:]** glorificavit Deum dicens: Hic homo justus etc., et omnes populi circumstantes et considerantes, que facta sunt, percutientes pectora sua revertebantur. Centurio autem retulit presidi que facta sunt. Audiens autem preses contristatus est nimis et non comedebat neque bibebat die illo. Convocatis autem judeis ait Pilatus: Vidistis que facta sunt. Responderunt: Eclipses solis facta sunt secundum consuetudinem. Stabant autem noti ejus alonge et mulieres, que secute eum fuerant a Galilea, hec omnia videntes.

De ira judeorum contra Joseph propter sepulchrum Jhesu. Et ecce quidam vir nobilis decurio bonus et justus, qui non consenserat voluntatibus et accusacionibus judeorum, ab Arimathia civitate Judee, et ipse erat expectans regnum Dei. Hic rogavit Pilatum petiitque corpus Jhesu et deposuit de cruce et involvit in syndone munda et posuit illud in monumento novo in quo nullus fuerat positus. Audientes autem judei quod petierat corpus Jhesu, querebant eum et Nichodemum et xii viros, qui pro Jhesu locuti fuerant. Omnibus autem se occultantibus solus Nichodemus se ostendit, quia princeps erat judeorum, et dixerunt ei: Quomodo tu ingressus es synagogam, qui consentiens eras Jhesu. Pars illius sit tecum in futuro **[43r$^{1}$:]** seculo. Respondit Nichodemus: Amen.

Similiter et Joseph ostendit se eis et ait: Quare contristati estis adversum me, quia petivi corpus Jhesu et sepelivi. Non bene egistis adversus justum ut eum crucifigeretis, sed insanavistis. Hoc audientes judices apprehenderunt Joseph et jusserunt eum custodire per diem sabbati usque ad alteram diem, et dixerunt ei: Scias quod nec sepultura

dignus eris, sed dabimus carnes tuas volantilibus celi et bestiis terre. Respondit Joseph: Iste sermo similis est Golie superbo, qui improperavit Domino vivo contra sanctum David. Dixit autem Deus per prophetam [Deut. 32,35:] *Mihi vindicta est et ego tribuam.*

Pilatus lavit manus suas dicens: Vos videtis. Et clamastis: Sanguis ejus super nos etc. Et nunc timeo, quod ira Dei veniat super vos et super filios vestros sicut dixistis. Audientes autem judei exacerbati sunt animo nimis et apprehendentes eum et clauserunt eum in cubiculo, ubi non erat fenestra, et signaverunt ostium.

Annas et Caiphas custodes apposuerunt et consilium fecerunt cum sacerdotibus et levitis, ut congregarentur omnes post diem sabbati, et cogitaverunt quali morte occiderent Joseph. Igitur **[43r$^2$:]** congregati sunt principes. Annas et Caiphas jusserunt presentare Joseph. Tunc aperientes signa ostii non invenerunt eum. Quod autem audiens omnis congregacio obstupuit, quia ostium signatum invenerunt, et clavem cubiculi Annas et Caiphas habuerunt.

Testimonium mulierum de resurreccione Jhesu. Hec omnibus mirantibus, ecce quidam de militibus, qui sepulchrum Domini custodiebant, intrantes synagogam dixerunt quod nobis custodientibus monumentum Jhesu facta est terre mocio, et vidimus angelum Dei, quomodo revolvit lapidem a monumento et sedit super eum. Aspectus ejus sicut fulgor vestimenta ejus candida sicut nix, et pre timore ejus facti sumus sicut mortui. Et audivimus angelum dicentes ad mulieres, que venerant ad sepulchrum: Nolite timere. Scio quod Jhesum, qui crucifixus est, queritis. Non est hic, surrexit sicut predixit. Venite et videte locum ubi positus est. Et cito euntes discipulis ejus dicite, quod a mortuis surrexit et precedet vos in Galileam. Ibi eum videbitis, sicut predixit vobis.

Tunc judei convocantes omnes illos milites, qui custodierunt sepulchrum, dicentes: Que sunt mulieres, ad quas angelus Domini locutus est? Quare non tenuistis eas? Responderunt milites: Nescimus que fuerunt nec potuimus eas apprehendere, quia sicut mortui pre timore angeli facti sumus. Judei **[43v$^1$:]** dixerunt: Vivit Dominus, non credimus vobis. Responderunt milites: Quot mirabilia fecit Jhesus, que vos vidistis et tamen non credidistis. Quomodo ergo nobis creditis. Et bene dicitis: Vivit Dominus, quia vere vivit, quem vos crucifixistis. Nos audivimus quod Joseph, qui sepelivit Jhesum, inclusistis in cubiculo quod signavistis super eum et aperientes ipsum non invenistis. Date ergo

Joseph quem vos custodistis, et nos dabimus Jhesum quem custodivimus.

Judei dixerunt ad invicem et timuerunt: Joseph in Arimathia est. Milites responderunt: Et Jhesus in Galilea est, sicut ab angelo audivimus. Hec audientes judei dixerunt ad invicem et timuerunt: Si audientur sermones isti, omnes credunt in eum, et congregantes pecuniam magnam dederunt militibus dicentes: Dicite quod vobis dormientibus venerunt discipuli ejus nocte et furati sunt eum. Igitur cum auditum fuerit a preside, nos pro vobis respondebimus et securos vos faciemus. Milites autem acceperunt pecunias et dixerunt, sicut a judeis rogati fuerunt, et diffamatus est sermo eorum vulgariter ab hominibus.

Testimonium de ascensione Jhesu Christi. Quidam autem sacerdotes Finees, Addas et Aggeas, isti tres venerunt de Galilea in Jherusalem et dixerunt **[43v[2]:]** principibus sacerdotum et omni synagoge, quod Jhesum, quem crucifixistis, vidimus cum xii discipulis ejus loquentem et sedentem in medio eorum in monte Oliveti et dicentem eis [Mat. 28,19]: *Euntes in mundum predicate per omnes gentes baptizantes eos in nomine patris et filii et spiritus sancti.* Et cum hoc locutus fuisset, vidimus eum ascendentem in celum. Hoc audientes principes sacerdotum et levite dixerunt eis: Date gloriam Deo Israel, si vera sunt omnia, que vidistis et audistis, quia vivit Dominus Deus patrum nostrorum Abraham, Isaach et Jacob. Sic audivimus Jhesum loquentem cum discipulis suis et sic vidimus eum ascendentem in celum, sicut per veritatem diximus, et si tacuerimus, peccatum habemus. Statim exsurgens princeps sacerdotum et legem Domini tenentes adjuraverunt eos ut nemini amplius annunciarent verba hec, et dederunt eis pecuniam multam et miserunt cum eis tres viros ut deducerent eos de regionibus suis, ut nullo modo starent in Jherusalem.

Quomodo quesierunt Jhesum post suam ascensionem. Tunc congregati sunt omnes judei et lamentacionem magnam fecerunt dicentes ut quid hoc signum factum est in Israel. Annas autem et Caiphas consolantes eos dixerunt: Numquid militibus credere debemus, qui dixerunt se vidisse angelum ad monumentum. Forsan discipuli ejus **[44r[1]:]** dederunt eis pecuniam ut sic dicerent, et ipsi tulerunt corpus ejus. Non est nostrum credere alienigenis de ullo verbo, nam dedimus eis pecuniam, et dixerunt sicut rogavimus eos, ac igitur habuerunt nobis tenere fidem aut discipulis ejus. Tunc surgens Nichodemus: Vos audistis

omnia, que locuti sunt tres viri isti jurantes in lege Domini, quod viderunt Jhesum loquentem cum discipulis ejus et ascendentem in celum. Docet nos scriptura quod eciam Helias assumptus est in celum, et nihilominus ipsum postea filii prophetarum in montibus quesierunt tribus diebus et tribus noctibus et non invenerunt. Nunc ergo audite me. Mittamus viros in monte Israel. Si forte spiritus Dei rapuit Jhesum, forte invenimus eum et agamus penitenciam. Et placuit omni populo consilium Nichodemi, et miserunt viros qui quererent in montibus Jhesum, et reversi dixerunt: Non invenimus Jhesum, sed Joseph invenimus in Arimathia civitate sua. Hoc audientes judei glorificaverunt Deum, quia inventus est Joseph quem incluserunt in cubiculo et ibi non invenerunt.

Declaracio liberacionis Joseph. Tunc principes sacerdotum facientes congregacionem dixerunt: Quo ordine adducemus Joseph ut possumus loqui cum eo? Et tollentes cartam scripserunt ei dicentes: Pax tibi, domine **[44r$^{2}$:]** Joseph, honorabilis ab omni plebe, et pax omnibus qui tecum sunt. Scimus quod peccavimus in Deum et in te, quia malignum consilium cogitavimus adversum te, sed Dominus suscepit te et liberavit te de maligno consilio nostro. Dignare ergo venire ad nos filios tuos, quia admirati sumus de assumpcione tua. Et elegerunt xii viros amicos Joseph, quos miserunt ad eum cum epistola. Cumque legisset epistolam osculatus est viros et suscepit eos in domum suam et sequenti die perrexit cum eis in Jherusalem.

Cujus adventum cum audissent judei, occurrerent ei obviam omnes dicentes: Pax tibi in introitu tuo, pater Joseph. Et quilibet respondit dicens: Pax Domini sit omni populo. Et osculati sunt eum omnes, et suscepit eum Nichodemus in domum suam faciens magnam susceptionem. Alia autem die Annas, Caiphas et Nichodemus dixerunt ad Joseph: Da confessionem Deo Israel et manifesta nobis omnia, ad que interrogatus fueris, quia mentiti sumus contra te eo quod sepelisti corpus Jhesu et evasisti de cubiculo, in quo te posuimus, et mirati sumus nimis. Manifesta ergo coram Deo quid de te factum sit.

Respondit Joseph: Cum inclusistis me in die parasceves ad vesperam, dum starem in oracione, **[44v$^{1}$:]** vidi Jhesum in fulgore lucis et pre timore cecidi in terram. Et ille tenens manum meam elevavit me et extergens faciem meam osculatus est me dicens: Noli timere, Joseph, respice in me quia ego sum. Et respexi quis esset, et dixi: Raboni Helia. Et dixit mihi: Non sum Helias, sed Jhesus quem tu sepelisti. Et dixi ad

eum: Ostende ergo mihi monumentum in quo posui te. Et tenens manum meam deduxit me in locum, ubi posueram eum, et ostendit mihi syndonem et sandalem, in qua caput ejus involvi. Tunc cognovi quod Jhesus erat et adorans dixi [Mat. 21,9]: *Benedictus, qui venit in nomine Domini*. Et duxit me in Arimathiam in domum meam dicens: Pax tibi et usque ad xl[a] dies non exeas domum tuam. Ego ambulabo ad discipulos meos.

Cum hec omnia audissent principes sacerdotum et levite, stupefacti sunt et sicut mortui ceciderunt super terram in facies suas dicentes: Ut quid hoc signum factum est in Israel. Scimus enim patrem et matrem Jhesu. Tunc quidam levita ait: Ego cognovi cognatos Jhesu, quod erant timentes Deum et oraciones et holocausta semper offerebant, et quando suscepit eum magnus sacerdos Simeon in ulnas suas in templo dixit ad eum [Luc. 2,29]: *Nunc dimittis servum tuum, Domine etc.* Et benedixit Mariam matrem ejus dicens [Luc. 2,34]: *Ecce positus est hic in ruinam etc.*

**[44v²:]** Tunc dixerunt: Mittamus ad illos tres vires, qui dicunt se vidisse ascendentem in celum. Qui cum venissent uno ore dixerunt: Vivit Dominus Israel, quia manifeste vidimus quod loquebatur cum discipulis suis et postea ascendit in celum. Tunc Annas et Caiphas dixerunt: Lex nostra habet quod in ore duorum vel trium stet omne testimonium. Sed quid dicimus. Beatus Enoch translatus est in paradisum, et Moises a Deo sepultus est et sepulchrum ejus non invenitur. Hic autem crucifixus et sepultus est, cujus corpus venerabilis pater sepelivit et testificatus est eum vidisse postea vivum. Et tres viri testificati sunt se vidisse eum ascendentem in celum.

De gaudio sanctorum in limbo existentium. Tunc exsurgens Joseph ait: Bene admiramini de Jhesu, qui resurrexit a mortuis et ascendit in celum, sed plus admirandum est quod non solum resurrexit a mortuis, sed aliores multos suscitavit secum, et multi visi sunt in Jherusalem. Et nunc scimus quod beatus Simeon, sacerdos magnus, qui suscepit infantem Jhesum in ulnas in templo, habuit duos filios germanos, et nos in sepultura eorum fuimus. Ambulate et videte quod monumenta eorum aperta sunt, quia resurrexerunt et sunt **[45r¹:]** in civitate Arimathia viventes in oracionibus suis sed nemini aliquid loquentes. Ambulemus ad eos cum omni honore, perducamus eos ad vos conjurantes eos. Indicabunt forsitan resurreccionis misteria.

Hec audientes omnes gavisi sunt et euntes non invenerunt eos in sepulchris. Inde ambulantes in civitatem Arimathiam invenerunt eos in oracione flexis genibus. Osculantes eos cum intima veneracione et timore perduxerunt eos in Jherusalem in synagogam, et clausis januis tollentes legem Domini posuerunt in manibus eorum conjurantes eos per Deum Israel, ut dicerent ipsis resurreccionis veritatem. Hanc conjuracionem audientes Carinus et Leucius contremuerunt corpore respicientes in celum fecerunt signaculum crucis super linguas suas et statim locuti sunt dicentes: Date nobis singulis themos carte, ut scribamus que vidimus et audivimus. Et dederunt eis et sedentes scripserunt singuli dicentes: Domine Jhesu Christe, mortuorum resurreccio et vita, permitte revelare misteria que per mortem crucis tue fecisti. Nos cum essemus in [cum?] patribus nostris positi in tenebris et caligine, subito factus est aureus splendor solis celerque regalis, quia lux purpurea illustrabat super nos.

Statim humani generis pater Adam cum omnibus **[45r$^2$:]** patriarchis et prophetis exultavit dicens: Lux ista est actoris luminis sempiterni, qui nobis promisit transmittere eternum lumen suum. Et exclamans Isaias dixit: Hec est lux patris filii Dei, sicut predixi, cum essem in terris vivens [Is. 9,2]: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam etc.* Tunc supervenit senex pater noster Simeon dicens: Glorificate Dominum Jhesum filium Dei, quia ego suscepi eum infantem in manibus meis in templo et compulsus a spiritu sancto dixi [Luc. 2,29]: *Nunc dimittis etc.*

Hec audientes omnes sancti exultaverunt, et ecce quidam heremitola dixit: Ego Johannes, vox clamantis in deserto et propheta altissimi, preivi ante faciem ejus parare viam ejus. Et videns eum motus spiritu sanctu dixi [Joh. 1,29]: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit etc.* Et baptizavi eum in flumine Jordanis et vidi spiritum sanctum descendentem super eum in specie columbe et audivi vocem de celo dicentem [Marc. 1,11]: *Hic est filius meus dilectus.* Et nunc preivi ante faciem ejus descendens ad vos annunciare vobis, quod in proximo est filius Dei liberare vos de tenebris et umbra mortis. Et cum audisset pater noster Adam, quod in Jordane baptizatus est, dixit ad Seth filium suum: **[45v$^1$:]** Narra, fili mi, patriarchis et prophetis omnia, que a Michaele archangelo audisti, quando te transmisi ad portas paradisi, ut deprecares Dominum ut mitteret angelum et daret tibi oleum de arbore misericordie, ut ungeres corpus meum.

Tunc Seth ait: Cum essem orans ad Dominum ad portas paradisi, ecce angelus Dei Michael apparuit mihi dicens: Ego sum missus ad te a

Domino. Ego enim constitutus sum super corpus humanum. Tibi dico: Noli laborare lacrimis orando pro oleo misericordie ut perungas patrem tuum Adam pro doloribus corporis sui, quia nullomodo poteris ab eo accipere nisi in novissimis diebus, tempore transacto, quando completi fuerunt v milia cc anni. Tunc veniet super terram amantissimus Dei filius resuscitare corpora mortuorum et baptizatur in Jordanis flumine, et cum egressus fuerit de aqua Jordanis tunc unget oleo misericordie omnes credentes in se. Et erit illud oleum misericordie Dei a generacione in generacionem, qui renascendi sunt ex aqua et spiritu sancto in vitam eternam. Tunc descendet filius Dei in terra et introducet patrem tuum Adam in paradisum ab [cum?] arboribus misericordie. Hec audientes a Seth omnes sancti exultaverunt magna exultacione.

De colloquio Sathane et inferni de Jhesu. Tunc princeps tartareorum dixit **[45v²:]** ad infernum: Prepara te suscipere Jhesum qui gloriatur se filium Dei esse. Homo est timens mortem dicens [Mat. 26,38]: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Multa adversa mihi intulit. Nam quos ego cecos, claudos, curvos, leprosos et vexatos feci, ipse vero sanavit. Respondit infernus Sathane et dixit: Quis est iste tam potens verbo, cum sit homo timens mortem? Omnes potentes terre sub mea potestate sunt subjecti, quos tu mihi subjectos perduxisti tua potencia. Si ergo potens es tu, qualis est iste homo Jhesus qui timet mortem et tamen potencie tue adversatur? Si talis est in humanitate, scias quod omnipotens est in divinitate, et potencie ejus nullus potest resistere et, si mortem dicit se timere, celare vult quod ve tibi erit in eternum.

Respondit Sathan: Quid dubitas et times suscipere adversarium meum et tuum? Ego eum temptavi et populum concitavi contra eum, lanceam exacui, fel et acetum miscui, lignum preparavi ad crucifigendum eum, et in proximo est mors ejus, et perducam eum ad te subjectum tibi et mihi. Infernus ait: Tu dixisti quod ipse est qui mortuos a me traxit multos solo verbo. Forsan iste est qui et Lazarum solo imperio mihi abstulit. Sathan respondit: Iste idem est.

Audiens infernus ait ad eum: Adjuro te per veritates tuas et meas ne adducas illum ad me. **[46r¹:]** Ego enim quando audivi verbum imperii ejus contremui, et omnia officia mea simul mecum conturbata sunt, nec ipsum Lazarum tenere potui, sed super omnem agilitatem exilivit, et terra que tenuit mortuum, reddidit vivum. Et ex hoc scio quod iste qui potuit hoc facere, Deus fortis est et potens imperio. Et cum hec invicem loquerentur, facta est vox tonitrui et spiritualis clamor dicens [Ps. 23,9]:

*Tollite portas etc.* Hec audiens infernus dixit ad Sathan: Recede de meis sedibus foras. Si potens preliator es pugna cum rege glorie. Quid mihi cum illo? Et ejecit infernus Sathan de sedibus suis. Tunc dixit infernus ad suas impias officinas: Claudite portas ereas et vectes ferreas superponite et fortiter resistite, ne capiamini.

Exprobracio inferni per sanctos. Hoc audiens omnis multitudo sanctorum cum voce interpretacionis dixerunt ad infernum [Ps. 23,9]: *Aperi portas tuas, ut intret rex glorie.* Et exclamavit David: Nonne, cum essem in terris, predixi vobis, [Ps. 106,16:] *Contrivit portas ereas et vectes ereos [ferreos] confregit.* Similiter Isaias ait ad omnes sanctos: Nonne et ego predixi [Is. 25,19]: *Mortui surgent, qui in monumento sunt, exultabunt qui in terra sunt, et ros, qui est a Domino, sanitas illis est.* Et iterum dixit [1.Cor. 15,55]: *Ubi est, mors, aculeus tuus?* Ubi est, inferne, gloria **[46r$^{2}$:]** tua?

Hoc audientes sancti dixerunt ad infernum: Aperi portas tuas, nec vinctus impotens eris. Et facta est vox ut tonitrui dicens: Tollite portas etc. Videns autem infernus quod duabus vicibus clamaverat, quasi ignorans dixit [Ps. 23,10]: *Quis est iste rex glorie?* Respondens David dixit: Hec verba clamoris ego cognosco, quia ea per spiritum sanctum vaticinatus sum, et nunc dico tibi quod Dominus fortis Dominus potens in bello ipse est rex glorie. Et nunc, spurtissime et fetidissime inferne, aperi portas tuas ut intret rex glorie. Hoc audientes infernus et impie officine ejus expaverunt de improperiis Davidis regis agnita tanta luminis claritate.

De religione Sathane. Tunc tartarei repente Christum in suis sedibus viderunt et exclamaverunt dicentes: Victi sumus a te. Quis es tu tam magnus, humilis et excelsus imperator in forma servi, admirabilis preliator, rex glorie, mortuus et vivus? Unde es tu, Jhesu, tam fortis homo, tam splendidus in majestate et mundus a crimine? Iste mundus terrenus qui nobis subjectus fuit semper usque nunc, qui nostris usibus mortis tributa persolvebat, numquam talia munera inferis transmisit. Forsan tu es iste Jhesus, de quo princeps noster Sathan dicebat quod tua morte totius mundi potestatem accepturus eras?

Tunc rex glorie majestate **[46v$^{1}$:]** sua precerte conculcans mortem comprehendit principem Sathanam et tradidit in inferni potestatem et attraxit Adam ad suam claritatem. Tunc infernus suscipiens Sathan cum nimia increpacione dicens ad eum: O princeps perdicionis et dux

exterminii! Quid hic agere voluisti? Ignorasti insipiens quid fecisti. Ecce jam iste Jhesus divinitatis sue fulgore fugat tenebras mortis, claustra imma confregit, eduxit vinctos omnes qui sub nostris tormentis suspirare solebant, insultavit nobis, imperia nostra et regna vincuntur. Insuper comminantur nobis captivi qui numquam solebant esse leti.

O Sathan, omnium malorum pater, quid hic agere voluisti? Qui a principio usque nunc fuerunt desperati de salute, nunc nullus eorum hic gemitum emittit. O princeps Sathan, dux cloacorum et rex putredinum, nunc omnis leticia tua, dum istum Jhesum suspendisti, adversus te et me egisti. Modo cognosces quanta supplicia sustinebis in ista perpetua custodia. O princeps Sathan, actor mortis et origo superbie, primum istius Jhesu causam inquirere, in quo nullam invenisti. Quare sine racione eum crucifigere ausus fuisti? Et cum hec loqueretur infernus ad Sathan, dixit rex glorie ad infernum: Ecce sit Sathan sub potestate tua in eternum loco Ade et filiorum ejus justorum meorum.

De educcione justorum ex inferno. **[46v²:]** Et dixit Jhesus: Venite ad me omnes generaciones, que habetis similitudinem meam, quia per lignum crucis dampnatus est diabolus. Et statim adjuvati sunt omnes sancti sub manu Domini. Tenens autem salvator manum dextram Ade dixit ad eum: Pax tibi et omnibus filiis tuis, justis meis. Adam autem genibus Domini advolutus magna voce dixit [Ps. 29,2]: *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me.* Similiter omnes sancti genibus advoluti ad pedes Domini dixerunt: Advenisti redemptor mundi, quia sicut per legem [et] prophetas tuos predixisti factis implesti, redemisti nos in cruce tua et ad nos descendisti ut nos eriperis ab inferis majestate tua, sicut posuisti titulum glorie tue in celis et erexisti titulum redempcionis in terris. Pone eciam, Domine, in inferno signum victorie sancte crucis ne dampnentur nostri amplius.

Et extendens Dominus manum suam fecit signum crucis super Adam et super omnes sanctos. Et tenens dextram Ade ascendit ab inferis, et omnes sancti secuti sunt Dominum. Tunc sanctus David fortiter clamavit dicens [Ps. 149,1]: *Cantate Domino canticum novum,* quia mirabilia fecit, et omnis multitudo sanctorum respondit dicens: Gloria hec est omnibus sanctis ejus. **[47r¹:]** Similiter omnes sancti prophete et alii filii qui hic de Christo predixerant viventes, gloriam Domino cantabunt sequentes Christum.

De ingressu sanctorum in paradisum et occursu Enoch, Helie et latronis. Dominus autem tenens manum Ade tradidit Michaeli archangelo, et omnes sancti sequebantur Michaelem, et introduxit eos in gloriam paradisi, et occurrerunt eis duo viri et dixerunt ad eos: Qui estis vos qui in inferno nobiscum non fuistis et in paradiso cum corpore collocati estis. Respondens alter eorum dixit: Ego sum Enoch qui verbo Dei translatus fui. Iste autem Helias est qui curru igneo translatus est huc. Nec adhuc gustavimus mortem sed reservati sumus usque ad adventum antichristi, ut signis et prodigiis probetur cum eo, et ab eo occidendi sumus in Jherusalem et post $3^{m}$ diem et dimidium iterum erimus assumendi. Et cum hec loqueretur, ecce supervenit alius portans in humeris suis signum crucis.

Videntes autem omnes sancti dixerunt: Quis es tu et quare tale signum portas in humeris? Qui respondit: Latro fui, et crucifixerunt me judei cum Jhesu, et cum viderem signa, que facta sunt per crucem Jhesu crucifixi, creatorem credidi eum omnium creaturarum et regem omnipotentem et deprecatus eum dicens [Luc. 23,42-43:] *Memento mei, Domine, etc.* Et iste mihi respondit: *Hodie mecum eris in paradiso*. Et si non permiserit te **[47r²:]** ingredi angelus custos paradisi, ostende ei signum crucis et dices quod Jhesus Christus, filius Dei, qui nunc crucifixus est, misit me huc. Hoc igitur feci et dixi ad angelum, et statim introduxit me dicens: Ecce modicum sustinemus, et ingredietur pater omnis humani generis cum filiis suis sanctis et justis Christi Domini crucifixi. Hoc audientes omnes sancti una voce dixerunt [1.Cor. 1,3]: *Benedictus es, pater misericordiarum,* Deus omnipotens qui talem graciam peccatoribus dedisti et eis gaudia paradisi contulisti.

Conclusio sermonum de gloria Christi. Hec sunt sacra et divina misteria, que vidimus et audivimus, ego Carinus et frater meus Leucius. Amplius non sumus permissi narrare misteria Domini, sicut testis est Michael archangelus qui dixit nobis: Euntes cum fratribus vestris in Jherusalem eritis cum oracionibus glorificantes resurreccionem Jhesu Christi, qui vos a mortuis secum suscitavit, et cum nemine hominum eritis loquentes, usque dum venerit hora ut permittat vos Dominus referre sue divinitatis misteria.

Nobis autem jussit Michael archangelus ambulare trans Jordanem in locum optimum, ubi sunt multi qui nobiscum resurrexerunt in testimonium resurreccionis Jhesu Christi Domini nostri. Cum tribus diebus **[47v¹:]** permissi sumus, qui resurreximus a mortuis, celebrare in

Jherusalem pascha Domini cum viventibus parentibus nostris et baptizati sumus in Jordanis fluvio accipientes singuli stolas albas, et rapti sunt in nubibus omnes qui nobiscum resurrexerunt. Et perducti sunt trans Jordanem et a nemine visi sunt. Hec sunt que jussit Dominus referri vobis, et date illi laudem et confessionem, penitenciam agite, et miserebitur vestri. Pax vobis a Deo et Jhesu Christo salvatore nostro. Amen.

Et compleverunt omnia scribentes in singulis themis carte, et surrexerunt Carinus et Leucius et themos carte dederunt in manus Nichodemi et Joseph. Et subito transfigurati sunt et candidati nimis et non sunt visi amplius. Scripta autem illorum inventa sunt talia, quod nil minus aut amplius una litera quasi alia continebat. Ista omnia admiranda a Carino et Leucio dicta omnis synagoga judeorum audiens ad invicem dixit: Vere ista omnia facta sunt, que vidimus et audivimus ad salutem nostram. Et sit Deus benedictus in secula seculorum.

## De Ada et Eva post expulsionem de paradiso

Cum Adam et Eva expulsi essent de paradiso, fecerunt sibi tabernaculum. Et fuerunt vii diebus in magna tristicia et lamentacione. Post septem vero dies ceperunt esurire et querere ut manducarent, et non invenerunt. Dixit Eva ad Adam: Domine, esurio. Vade et quere nobis escam **[47v$^{2}$:]** ut manducemus. Forsan recipiat nos Deus et misereatur nostri et revocabit nos ad locum in quo prius eramus.

Et surrexit Adam et Eva et perambulabant totam terram istam et non invenerunt escam, quam habebant in paradiso. Et dixit Eva ad Adam: Domine mi, putas si interficias me? Forsan introducet te Dominus in paradisum, quia propter me iratus est tibi Deus. Noli, Eva, talia dicere, ne forte aliquam malediccionem inducat super nos Dominus Deus. Quomodo potest fieri quod mittam manum meam in carnem tuam? Sed surge, queramus ut manducemus. Et ambulantes quesierunt per xiiii dies escas et non invenerunt talem, ut habuerunt in paradiso. Sed tamen aliqua animalia invenerunt et ederunt.

Tunc dixit Adam ad Evam: Hiis utamur animalibus et bestiis, quas tribuit nobis Deus, sed prius nobis fuit angelica esca. Sed juste et digne plangamus ante conspectum Domini Dei qui fecit nos, et peniteamus in magna penitencia. Forsan indulget nobis Dominus Deus et miserebitur nostri et disposuerit, unde vivamus. Et dixit Eva ad Adam: Domine mi, quid est penitencia? Dic mihi quomodo peniteamus, ne forte laborem nobis imponamus quem nos [non?] possumus sustinere, et non exaudiantur preces nostre, et avertat Dominus **[48r$^{1}$:]** faciem suam a nobis, si promittimus et non adimpleamus. Tamen, mi domine, sicut cogitasti, potius penitabimus, quia ego induxi nos in maximum dolorem et tribulacionem.

Et ait Adam: Tu non potes facere tantam penitenciam sicut ego, sed fac ut salveris. Ego enim vadam sexaginta dies jejunans et plangens, tu autem surge et vade ad Tigrim flumen et tolle lapidem unum et sta super eum in aqua usque ad collum in altitudine fluminis, ita ut non exeat verbum de ore tuo. Quia indigni sumus rogare Dominum Deum labiis immundis, quia de ligno illicito et contradiccionis manducavimus et privaricati sumus. Et sta in aqua fluminis xxxiiii dies, et ego stabo in aqua Jordanis quadraginta dies. Forsan miserebitur Deus noster nostri. Et ambulavit Eva ad Tigrim fluvium et fecit, sicut dixit ei Adam. Postea ait Adam intra se: O tu aqua Jordanis, condole et natantia animalia segrega,

et que intra te sunt et circumdent me et lugeant mecum. Nec se plangunt sed me, quia non peccaverunt sed ego.

Statim omnia animalia venerunt et circumdederunt eum, et aqua Jordanis stetit ab ista hora non agens cursum suum, et transierunt dies xviii. Tunc iratus Sathanas transfiguravit se in angelum lucis et ivit ad Tigrim fluvium ad Evam et invenit eam dolentem et flentem. Et ipse diabolus quasi condolens sibi cepit **[48r[2]:]** flere et dicere: O Eva, quid ploras et gemis? Jam cessa de tristicia tua et gemitu. Et quid solliciti estis tu et Adam vir tuus? Audivit Dominus gemitum tuum et suscepit penitenciam vestram, et nos omnes angeli rogavimus pro vobis. Emisit me Dominus ut educerem vos de aqua et dare vobis alimentum, quod habuistis in paradiso, pro quo nunc planxisti. Ergo egredere de aqua, et perducam vos ad locum, ubi paratus est vobis victus vester. Hec audiens Eva credidit et exivit de aqua, et caro ejus erat quasi herba de frigore aque, et cum egressa esset cecidit in terram. Et accedens diabolus et erexit eam de terra et perduxit eam ad Adam.

Cum autem vidisset eam Adam et diabolum cum ea, exclamavit cum fletu et ait: O Eva, si est penitencia tua! Heu, heu, quomodo seducta es ab adversario nostro. Per eum alienati sumus de paradiso, lumine, luminacione et a spirituali leticia. Hec audiens intellexit diabolum fuisse, qui jussit eam exire de aqua, et cecidit in faciem suam super terram, et quadruplicatus est dolor ejus, et gemuit et ploravit dicens: Ve tibi, diabole, quid nos expugnas gratis, quid est tibi apud nos, aut quid fecimus tibi? Cur tanto dolore nos persequeris? Numquid abstulimus graciam tuam **[48v[1]:]** aut fecimus te esse sine honore? Quid persequeris nos usque ad mortem impie et invidiose? Et ingemiscens diabolus dixit: O Adam, tota inimicicia mea in te est, quoniam propter te expulsus sum de gloria mea, quam habui in celis in medio archangelorum, et projectus sum ab eis propter te.

Respondit Adam: Quid feci aut que est culpa mea in te, dum non sis nocitus neque lesus a nobis? Cur nos persequeris? Respondit diabolus et dixit: Noli negare quia propter te ejectus sum de gloria mea et foris a societate angelorum missus sum. Eo enim tempore quando sufflavit Dominus spiritum in te, et facta est similitudo tua ad imaginem Dei, et duxit te Michael et fecit te adorari in conspectu Dei, et Dominus dixit ad te: Ecce Adam quasi unus ex nobis.

Et egressus Michael dixit omnibus angelis: Adorate imaginem Dei, sicut precepit Dominus Deus. Ego respondebam: Non adorabo deteriorem me et posteriorem omnium creaturarum. Antequam creatus

fuit, ego eram, et iste me adorare debet. Et dixit mihi Michael: Si nolueris, irascitur tibi Dominus Deus. Et dixi: Si irascitur mihi Dominus Deus, *ponam sedem meam in aquilonem, et similis ero altissimo.* [Is. 14,13-14]. Et iratus est mihi Dominus, misit me foras de habitacionibus nostris. Vix te tolerabam videre. Ergo doleo tibi, cum inveniebam te et mulierem in deliciis meis.

Hec audiens Adam de **[48v$^2$:]** diabolo exclamans voce magna cum fletu et ait: Domine, Deus meus, vita mea in manibus est tuis. Fac ut iste adversarius noster longe sit a me, et da mihi gloriam, quam ipse perdidit. Adam vero perseveravit xl diebus stans in penitencia, et dixit Eva ad Adam: Vive tu, domine mi, tibi concessa est vita, sed ego privaricata a lumine vite et seducta, quia non custodivi mandata Dei. Et cepit ambulare contra occidentales et cepit flere cum gemitu magno, et cum illuc pervenisset fecit sibi tabernaculum. Et cum appropinquasset tempus pariendi, clamavit ad Dominum: Miserere mei, Domine, et adjuva me. Quis annunciabit Domino omnem miseriam meam? Et dixit intra se Adam: Planctus Eve ad me venit. Timeo ne iterum serpens pugnet cum ea.

Et ambulans Adam in luctu magno et invenit illam, et dixit Eva ad Adam: Nunc precare Dominum Deum ut exaudiat te et respiciat me et liberet me a doloribus meis. Et deprecatus est Adam ad Dominum pro ea. Et ecce xii angeli steterunt a dextris Eve, et Michael cum eis et dixit ad eam: Beata es, Eva, propter Adam, quia preces ejus exaudite sunt pro te, et ego sum missus tibi in adjutorium. Exsurge et para te ad **[49r$^1$:]** partum. Et peperit filium et erat lucidus, et vocatum est nomen ejus Cain.

Deinde tulit Adam Evam et filium ejus et venit ad Orientem, et misit ei Dominus diversa semina cum Michaele de paradiso et ostendit ei laborem ut araret terram. Postea concepit Eva et peperit filium nomine Abel. Et dixit Eva ad Adam: Domine mi, dormiebam et vidi in visu quasi sanguinem filii nostri Abel in manibus fratris sui Cain. Et dixit Adam: Vere ipse interficiet Abel, sed separemus eos ab invicem et faciamus eis singulares mansiones et Cain agricolam Abel vere pastorem. Et post hoc interfectus est Abel, et tunc natus est Seth post Abel.

Post hoc cognovit Adam mortem suam et misit filium suum Seth ad paradisum. Require de invencione sancte crucis.[20] Et cum appropinquaret sibi mors, dixit ad omnes filios suos: Quando mortuus fuero, sepelite me contra ortum in agro habitacionis mee. Et sic tradidit spiritum, et tunc sol et luna et stelle tenebraverunt se per septem dies. Et cum Seth adesset,

[20] f. 84v

amplexatus est corpus patris sui, et Eva imponens manus ejus ingemuit super eum, et ecce Michael stans ad caput ejus dixit ad Seth: Exsurge de corpore patris tui et veni mecum. Et omnes angeli **[49r[2]:]** tuba canentes dixerunt: Benedictus es, Domine, pro plasmate tuo, qui misertus es ejus.

Tunc Seth vidit manum Dei tenentem Adam et tradidit Michaeli dicens: Sit tibi in custodia anima ista usque ad novissimam diem et sedebit in throno meo. Et dixit iterum Dominus ad Michaelem et ad Urielem: Afferte mihi syndones et bissos et expandite super Adam. Postea duxit Michael corpus ejus ad paradisum et dixit ad Seth et matrem ejus: Sic sepelite mortuos vestros.

Post septem vero dies cognoscens Eva mortem suam congregavit omnes filios suos et totidem filias et dixit eis: Audite me, filii mei. Postquam ego et pater vester transgressi sumus mandatum Dei, dixit nobis Michael archangelus: Propter privaricaciones vestras et peccata generis vestri inducet super vos Dominus vera judicia: Primo per aquam, 2$^{o}$ per ignem. In duobis judicabit Dominus genus humanum. Sed audite me, filii mei, et facite tabulas lapideas et ereas. In eas omnem vitam meam et patris vestri, que a nobis audivistis, notetis. Et cum hoc dixisset, expandit manus suas in celum orans et flectens genua. Et tradidit spiritum.

Deinde filii et filie sepelierunt eam et erant lugentes per 4$^{or}$ dies **[49v[1]:]** et flentes. 4$^{o}$ autem die venit Michael ad Seth dicens: Non amplius quam septem dies lugeatis mortuos vestros, quia septem sunt future dies resurrecionis, et in septima die requievit Dominus ab omni opere quod patraverat. Tunc Seth et fratres ejus fecerunt sicut mater precepit et exciderunt tabulas de petra et luteas de terra, et posuit in eas Seth literas grecas et hebraicas omnium operum patris et matris, que ipse vidit et audivit a patre et matre. Et consecuti sunt graciam per penitenciam. Unde Dominus [Mat. 3,2]: *Agite penitenciam, appropinquabit enim regnum celorum.*

**Ex gestis romanorum**

Levicius. Domicianus regnavit potens valde qui, cum semel per imperium equitabat, quidam pauper ei obviabat. Ait ei imperator: Karissime, unde es et quid est nomen tuum? Ait ei: Domine, vester sum et in regno vestro nutritus sum. Educatus et Ingratus vocor. Ait imperator: Si scirem te bonum et fidelem, libenter te ad servicium susciperem. Ait ei: Domine, firmiter promitto. Imperator pietate motus ad servicium eum accepit, qui infra tempus breve tam prudenter se habuit quod rex eum ad miliciam promoveret. Post hoc eum cito in scenascallum totius regni constituit. Iste vero cum sic exaltatus fuisset, ultra quam credi posset, elevatum est cor ejus in tantum quod omnes opprimebat, quia ad nutum **[49v$^{2}$:]** ejus omnia fiebant.

Juxta palacium erat quedam foresta animalibus silvestris plena. Scenascallus ordinavit in eadem ut diverse fovee fierent profunde. Deinde cum foliis ac herbis cooperiebantur ut venientes subito caderent. Cum autem fovee essent parate ac cooperte, accidit quod scenascallus contra forestam equitabat et infra se cogitabat: O Deus meus, est ne major me imperio. Hiis cogitatis equum cum calcaribus percussit et in forestam [foveam?] cecidit. Qui cum exire non potuit, accidit quod eodem die leo per eandem viam cucurrit et in eandem foveam cecidit. Post leonem symea, post symeam serpens. Miles cum vidisset se inter tria animalia circumvolutum, fere pre timore spiritum emisit. Clamabat sed nil ei valuit, quia nullus eum audivit.

Erat tunc temporis in civitate quidam pauper nomine Guido, qui singulis diebus ad istam forestam perrexit ut ligna colligeret, per que victum et vestitum sibi et uxori subveniret. Accidit quodam die quod Guido stravit asinum suum, et cum venit ad foveam, in quo jacuit scenascallus qui, cum audivit strepitum, clamavit: O karissime. Quis es qui ambulas? Educ me de ista foresta [fovea?] et ad dignitatem et divicias te promovebo. **[50r$^{1}$:]** Guido cum vocem hominis audivit, admirabatur et ait: Dic mihi qualis es tu et quomodo ibi cecidisti? At iste: Ego sum scenascallus totius regni. A cantu cum equo meo cecidi, et fovea est ita profunda quod per me exire non potero. Eciam quidam leo, symea et serpens ceciderunt. Ego autem ignoro quis eorum prius me devorare intendit. Ideo si me ab isto periculo liberabis, fideliter tibi promitto.

Ait Guido: Karissime, nil habeo ex quo possum vivere, nisi quod ligna colligo per que victum et vestitum mihi et aliis acquiro. Si laborem

istius diei dimitterem et post hoc defraudatus essem, dampnum incurrerem. Qui ait: Audite me, karissime. Per fidem, quam Deo teneor, promitto quod si circa meam deliberacionem isto die laboraveris numquam ammodo laborabis. Guido hoc audiens ad civitatem currit et cordam attulit, quam ei porrexit dicens: Tene cordam hanc et succinge te, et sic sursum te traham.

Miles hoc audiens cordam tenere voluit. Leo vero cum eam vidisset, eam tenuit. Guido militem credebat sursum trahere, leonem superius traxit. Hoc facto leo applausum ei fecit et ad silvam cucurrit. Deinde symeam traxit, deinde serpentem. Deinde miles clamabat: O karissime, benedictus altissimus, jam de bestiis sum liberatus. Cordam permittas descendere, cum qua miles succinxit se, quem Guido superius **[50r²:]** traxit. Guido vero domi accessit. Uxor ejus, cum eum vidisset vacuum venire, contristata est, cui Guido totum processum narravit. Sic uxor est valde gavisa.

Mane vero Guido surrexit et ad palacium ivit ad januam pulsans. Janitor quesivit quis esset pulsans, ac iste: Karissime, propter Dei amorem dic scenascallo quod hic est pauper quidam qui hesterna die cum eo in foresta loquebatur, et ejus graciam exspecto. Quod janitor humiliter fecerat. At iste: Ite ad illum et dicite ad eum quod statim recedat, quia mentitus est. Neminem in foresta vidi. Quod Guidoni dixit. Ille hec audiens tristis uxori nunciavit que dixit: Esto patiens. Forte dominus in multis erat occupatus.

Nota quod ter eum sic rogabat, qui ad ultimum ivit et Guidonem valde verberavit et semivivum reliquit. Uxor ejus hec audiens venit cum asino, quem domi duxit. Quidquid habebat, medicis tribuebat ita quod longo tempore in lecto jacebat. Cum autem sanitatem recuperasset ut iterum ligna colligeret, vidit decem asinos oneratos et leonem eos sequentem versus eum. Guido cum leonem vidisset eum statim recognovit, quem de lacu [fovea?] traxit. Qui signum cum pede **[50v¹:]** fecit, quod asinos domi secum duceret, quod fecit Guido. Per diversas ecclesias proclamari fecit si aliquis asinos amisisset. Nullo veniente cujus essent, saccos aperuit, multas divicias invenit.

Cum vero die 2ª ad forestam ivit, vidit symeam que eciam divicias sibi contulit. 3ª die venit serpens portans in ore suo lapidem triplici colore coloratum, una ejus niger, altera alba, 3ª rubea. Guido cum lapidem accepisset, ignoravit ejus virtutem. Qui venit ad peritum qui virtutes lapidum habebat. Qui cum lapidem respexit, dixit: Tibi dabo pro lapide centum florenos. Et iste: Non faciam, sed dic mihi virtutem ejus.

Et ille: Quicunque lapidem istum habuerit, habebit gaudium sine tristicia, lumen sine tenebris. Si vendatur pro minori precio quam valet, revertatur. Guido hec audiens ultra quam credi potest gavisus. Qui ad miliciam pervenit, et ditior eo non erat.

Imperator cum hec audisset, quod subito ex magna paupertate ad divicias per virtutem lapidis est promotus, qui nuncium post eum misit. Iste vero venit statim. Cui ille ait: Audivi quod habes lapidem preciosum. Rogo ut mihi eum vendas. Qui ait: Domine, absit hoc a me quia per eum factus sum dives. **[50v$^{2}$:]** At ille: Elige unum de duobus. Aut eum mihi vendas aut de regno meo ibis. Qui ait: Domine, ex quo sic est. Lapidem si vobis vendam unum, dico, si non datis mihi valorem lapidem [lapidis?] ad me redibit. Qui ait: Ex quo sic ccc$^{os}$ florenos tibi dabo. Guido pecuniam recepit.

Mane vero cum Guido arcam suam aperisset lapidem invenit. Dixitque uxori sue de causa. O domine, celeriter ad imperatorem vade et ei lapidem representa. Qui ait imperatori: Lapidem preciosum vobis vendidi, ubi est iste? Qui dixit: In thesauro meo. Et iste: Non. Ecce vobis predixi. Qui ait: Dic mihi, karissime, quomodo eum habuisti. Iste vero a principio usque ad finem omnia narravit.

Imperator cum hec audisset, commota sunt omnia viscera ejus contra scenascallum qui nihil contradicere potuit. Imperator: O pessime, magnam ingratitudinem Guidoni fecisti, qui te de morte liberavit, et tu eum semivivum reliquisti. Ecce bestie mercedem ei reddiderunt, tu vero malum contra bonum tribuisti. Qui sibi omnia abstulit et Guidoni tradidit, et suspensus est. Satrape imperium [imperatoris?] judicium audientes eis miro modo placuit.

Karissime, imperator est Deus qui omnia videt, pauper **[51r$^{1}$:]** est homo qui portat in nudis[?]. Unde [Job 1,21]: *Nudus egressus sum*. Deus istum pauperem promovit hominem quando eum in paradisum constituit. Unde Ps. [8,8]: *Omnia subjecisti.* Fovea est mundus qui est plenus periculis, quia [1.Joh. 5,19] *totus mundus in maligno est positus*. Ibi cadit miser homo in multis miseriis. Unde Genesis [3,19]: *In sudore vultus tui.* Homo postquam ad dignitatem erat sublimatus in paradiso, contra ejus preceptum operatus est, quando de pomo comedit. Leo in eandem foveam cecidit sc. filius Dei de celis descendens nostram carnem assumpsit et in miseria magna in fovea hujus mundi per triginta iii$^{s}$ annos vixit. Ps. [90,15]: *Cum ipso sum in tribulacione.* Iste est leo de quo dicitur [Apoc. 5,5]: *Vicit leo de tribu Juda.*

Deinde symea cecidit sc. tua consciencia, que ad modum symee dilacerat ea, que ei displicent, quia semper contra peccatum murmurat. Item caret cauda, sic consciencia cauda bone vite, quando caro spiritum seducit. Item naturaliter habet duos fetus, et quem magis diligit portat in brachiis alium in dorso. Eodem modo consciencia regulata habet duos fetus quos regit sc. racionem, quam homo semper paratam debet habere in manibus. Ps. [118,109]: **[51r$^2$:]** *Anima mea in manibus meis semper.* Hec est: Opera nostra per racionem regi debent semper. Et alium fetum sc. voluntatem, que racioni subjici debet. Unde sive bonum sive malum agat homo, semper consciencia omnia novit. Item serpens cecidit in fovea et est prelatus sive discretus confessor qui debet cum peccatore descendere, hoc est ejus peccata condolere. Apostolus [2.Cor. 11,29]: *Quis infirmatur, et ego non uror?*

Confessor bene potest dici serpens quia portat in lingua antitodum contra venenum. Sic prelatus verba Dei proferendo, peccatorem informando et ad statum bonum reducendo. In cauda venenum, sic prelatus virgam discipline cum qua debet percutere peccatorem. Unde aliquibus videtur quod venenum quantum ad corpus penam sustinendo facit. Sed Guido cum corda scenascallum et animalia extraxit. Sic filius Dei cum corda sue passionis nos traxit de fovea diaboli. Hoc non obstante ingratus filio Dei efficitur quotiens legem divinam violat. Guido erat verberatus, sic homo quando mortaliter peccat in eo quantum est Deum crucifigat. **[51v$^1$:]** Sed leo sc. Deus, dedit Christo sc. in quantum homo[?], decem asinos oneratos sc. decem precepta sub ejus potestate antiqua et nova dispensando cum homine, quia totum judicium pater dedit filio, et si ista precepta fideliter fecerimus ad eternas divicias perveniemus.

Symea ligna scindebat sc. conscienciam rauce silimat perpetrare, per que corpus et animam in die judicii honorare poteris, quia si contra conscienciam agas, jehennam edificas. Serpens dedit ei lapidem triplici colore coloratum. Sic bonus prelatus per sacram informacionem sacre scripture Christum obtinere poterit, quia sicut lapis triplicem habebat colorem sic Christus primo erat pulcher. Ps. [44,3]: *Speciosus forma.* Item niger per passionem. Isaias [53,2]: *Vidimus eum non habentem speciem neque decorem, aspectus ejus in eo non est.* Item rubicundus erat per sanguinis sui effusionem.

Quicunque ergo istum lapidem sc. Christum portaverit, tria obtinebit: Abundanciam sine defectu, gaudium sine tristicia, lumen sine tenebris et hoc in vita eterna. Sed istum lapidem sc. Christum nemo

potest vendere a **[51v$^{2}$:]** seipso, dum est in bona vita, nisi det tantum precium quantum valet. Sed nullum poterit inveniri nisi per veram contricionem et confessionem. Sed ingrati in patibulo infernali erunt suspensi. Et electi vitam eternam possidebunt. Nota hic propter Deum.

Tarinus regnavit rex qui tres filios habuit, quos multum dilexit. Cum vero mori deberet, totam hereditatem primogenito legavit, alteri omnia que suo tempore acquisivit, $3^{o}$ tria jocalia sc. annulum, monile et pannum preciosum. Annulus istam virtutem habuit quod qui in digito habebat eum, graciam omnium habebat. Qui vero monile in pectore [habebat] quidquid cor suum desideraret. Pannus, quicunque super eum sederet, ubicunque desideraret esse statim erat ibi. Ista tria fecit Virgilius arte magica. Rex cum ista tria minori dedisset, ait: Karissime Jonata, ista tria tibi damus ut studium exerceas. Hiis dictis emisit spiritum.

Post hoc primo duo filii legata occupabant, $3^{u3}$ vero annulum quesivit ut ad studium pergeret. Ait mater: Annulum tibi trado. Omni conamine studeas sciencias acquirere et mulieri, fili, caveas ne annulum perdas. Post hoc cito quadam die in **[52r$^{1}$:]** platea quedam puella occurrebat satis formosa, quam cum vidisset, captus est in amorem. Eam secum duxit et miro modo dilexit.

Jonatas vero quidquid desideraret optinuit. Convivia tenuit, munera dedit. Concubina admirabatur cum argentum et aurum cum eo non vidisset. Que ait: O domine, multi multa loquntur. Unde habes infinita bona? Qui ait: Deus plusquam aurum et argentum potens est mihi dare quod desidero. Ac ista: O domine, non est aliqua creatura sub celo quam diligo magis quam te. Iste de ejus malicia non premeditatus ait ei: Pater meus dedit mihi annulum preciosum. Quicunque illum in digito portaverit, graciam omnium obtinebit. At ista: O domine, audite me. Singulis diebus cum omnibus conversari soletis, tradite ergo mihi annulum. Ille vero credens ejus verbis tradidit ei annulum. Post hoc cito gracia ejus perditur, et a nullo amabatur. Expense defecerunt. Annulum petiit. Ac ista: Domine, presto sum. Cameram intravit alta voce clamans: Heu mihi, domine, latrones furtive deportaverunt. Hec audiens commota sunt viscera ejus.

Ad matrem perrexit dicens ei de annulo **[52r$^{2}$:]** perdito. At ista: Nonne, fili, tibi predixi? Que tradit ei monile. Que dixit ei: Si perdideris honorem perpetuum amittis. Qui cum ad portam civitatis venisset, occurrit ei concubina et eum cum omni gaudio suscepit. Que iterum petiit monile. Que dixit: O domine, casus qui mihi accidit, sapienti viro

accidisse potuit, sed si non secretum tuum scirem aliter disponerem. Qui iterum deceptus est. De monili breviter sicut de annulo. Qui ad matrem veniens petiit pannum. Que ait: Si pannum perdideris, ad me amplius venire non presumas. Qui cum vidisset concubinam ait: O karissima, pannum preciosum dedit mihi pater qui sedebat super eum [etc.]

Jonatas intra se cogitabat: Utinam essemus in tanta distancia, ubi nullus homo ante venit. Qui ambo statim in una foresta positi sunt. Illa vero clamabat: O domine, quomodo sumus hic positi? At iste: Scias quomodo annulum, monile fraudulenter abstulisti. Ideo votum Deo voveo quod hic te solam bestiis devorandis dimittam. **[52v$^{1}$:]** Que ait: O domine, si me ad locum pristinum duxeritis, annulum et monile restituam. Ille credens, que ait: O domine, ex quo jam fidem tibi promisi, dic mihi quomodo sumus hic positi? Ac iste dixit ei virtutem panni. Ista vera caput suum in gremium sumpsit, qui statum dormire cepit. Illam partem panni retraxit, ad propria remeavit. Qui cum evigilaret, flevit amare crines et vestes dilaceravit dicens: O Deus, ad quem locum pergam? Neminem video nisi aves in aere volitantes. Qui signo crucis se signavit.

Cum autem per diem naturalem ambulasset, ad quandam aquam profundam venit. Aquam intravit, que tam fervida et amara erat, quod pedis carnes ad nuda apparerent. Qui quandam phialam implevit. Cum ulterius ambulasset cepit esurire. Quandam arborem fructu plenam in via invenit. Qui comedit et factus est leprosus et de fructu iterum secum duxit. Qui iterum flevit amare. Vidit aliam aquam, et sicut prima carnes et ossa dividebat sicut 2$^{a}$ reddidit. Et pherelam [phialam?] implevit. Qui cepit esurire, vidit arborem de cujus fructu comedit et statim sanus factus est. De fructu collegit, gracias agit.

Qui statim vidit castrum pulchrum ad quod festinavit, cui **[52v$^{2}$:]** occurrebant duo homines splendide induti, qui dixerunt ei: Dic nobis qualis es? Ac iste: Peritus sum. Qui dixerunt: Rex est leprosus. Si eum a lepra curare possis ad magnos honores venias. Ille ait: Deo mediante faciam. At illi: Karissime, ante te venerunt multi, qui capita pro pignore posuerunt ut eum curarent et non potuerunt. Omnes ideo capita amiserunt. Qui ait: Estote securi. Et eum ad regem duxerunt quem statim curavit. Rex vero pulcherrima dona dedit. Jonatas semper spaciari juxta aquas solebat. Tandem vidit navim venire, qui se ad propria remeavit.

Rumor divulgatus est quod medicus advenisset. Tunc temporis ejus concubina ditior facta est aliis civibus et civissis , que tamen usque ad mortem egrotavit. Que cum audisset de medico, nuncios misit, dona

promisit si eam curaret. Jonatas: O domina, mea medicina tibi nihil valet, nisi plena confessa fueris. Que cepit confiteri quomodo Jonatam defraudasset, qui dedit ei de fructu arboris de qua lepram recepisset, et aquam **[53r$^{1}$:]** que carnem ab ossibus separavit, cum gustasset. Mortua est. Jonatas cum jocalibus ad matrem perrexit annuncians omni populo quomodo Deus eum sepius a periculo liberavit.

Karissime, rex est Deus, regina mater ejus, tres filii tria genera hominum. Per primum [significantur] divites ac mundi potentes, quibus dat Deus mundum ac voluntatem. Per 2$^{m}$ sapientes qui per sapienciam mundanam quidquid habent acquirunt, de nihilo surgunt. Unde Ps. [112,7]: *De stercore erigens pauperem.* Per 3$^{m}$ bonum christianum ab eterno electum, cui Deus dedit tria jocalia, annulum fidei, monile sue gracie et spei, pannum caritatis. Quicunque annulum fidei secum portaverit, graciam Dei et honorem hominum habebit. Hinc poterit in tantum quod quidquid habere desideraret obtinebit. [Mat. 17,19:] *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, poteritis dicere monti huic etc.* Si vero in corde [pectore?] sc. corde monile spei habueritis, cogitate quid volueritis et obtinebitis. Quod justum est, petite et accipietis. Unde apostolus [Rom. 8,24]: *Spe salvi facti sumus.* Si vero pannum caritatis habueritis, ubicunque esse volueritis optinebitis. [1.Cor. 13,5:] *Caritas non querit que sua sunt* sed que Jhesu.

Christus caritas est, ergo cum Deo per caritatem esse poterimus. Sed ista tria sepius homo perdit **[53r$^{2}$:]** in studio istius mundi per concubinam sc. carnem, quia caro spiritum adversatur. Concubina traxit pannum a Jonata eo dormiente, sic caro sepius caritatem ab homine per peccatum mortale. Jonatas excitatus a sompno flevit amare. Sic tu a sompno peccati divina gracia per opera misericordie signa te in pectore et incipias viam salutis pergere, dum veneris ad aquam per quam caro separatur a ossibus sc. carnales delectaciones in quibus Deum offendisti.

Et hac contricio tanto amara debet esse, quod caro separatur, ut dictum est. Et fiolam [phialam?] cordis tui de aqua contricionis implere [debes]. Deinde ulterius debes procedere et fructum arboris comedere, qui est fructus penitencie, per quem anima sustentatur et corpus denigratur ad modum leprosi, ut legitur de Christo quod talem penitenciam pro genere humano sustinuit, quod quasi vultum non habebat. Cant. [1,4]: *Nigra sum etc.* Nigra corpore per penitenciam formosa est anima per fructum penitencie. Fructum penitencie debes colligere et tecum portare. Jheronimus: 2$^{a}$ tabula per naufragium est penitencia. Item venit ad secundam aquam, per quam caro **[53v$^{1}$:]** erat

restaurata sc. confessio, que restaurat virtutes perditas per opus meritorium. Item 2am arborem invenit et curatus est.

Fructus est fructus oracionis et jejunii et eleemosyne per que venitur ad gaudia eterna. Unde [Eccli. 35,21]: *Oracio justi celum penetrat.* Ecce primus gradus per quem mundatus est. Jejunium demonem expellit, cogat carnem. 2us est eleemosyna, extinguit peccatum. Unde propheta [Eccli. 3,33]: *Sicut aqua etc*. 3us est oracio. De istis aquis et fructu semper debes tecum portare ut, si a casu aliquem regem leprosum inveneris, ut eum curare poteris. Rex potest dici homo per peccatum infectus et fructu confessionis et aqua contricionis potest curari. Et sic dona a Deo recipies sc. vitam eternam. Duo qui tibi in via occurrunt et ad regem ducunt, sunt timor Dei et pena jehenne, propter que homo declinat a malo et facit bonum. Naves, que Jonatam transportarent, sunt divina precepta, que ducunt nos ad eterna gaudia. Amen.

## De xxx denariis[21]

Legitur quod Thare, pater Abrahe, fuit prepositus regis Mesopothamie et rexit totam curiam suam. Inter cetera officia sua fecit regi cudi monetam auream. Demum postulavit regem ut posset sibiipsi xxx aureos cudere, quorum quilibet valeret tres aureos **[53v[2]:]** regios. Thare fecit sibiipsi cudere xxx aureos et illos usque ad mortem suam servavit. Deinde hereditarii venerunt ad Abraham. Cum dictum fuit Abrahe ut exiret domum suam et domum cognacionis sue, tulit secum hos xxx aureos. Cum intrasset Egyptum non potuit habere sepulturam.

Timens autem quod ipse vel uxor sua vel aliquis de familia sua moreretur, emit in Egypto agrum sepulture sue ibidem pro illis xxx aureis. Demum filii Jacob vendiderunt fratrem suum minimum videlicet Joseph ismahelitis pro illis xxx aureis. Deinde cum esset maxima fames apud Jacob, filii sui miserunt illos xxx aureos in Egyptum ut emerent pro illis triticum. Et sic venerunt illi xxx aurei ad manus Joseph venditi et domini in Egypto. Pater autem videlicet Jacob transtulit se ibi cum tota domo sua in Egyptum et mansit ibi apud filium suum Joseph, quoad usque moreretur

Mortuo Jacob Joseph misit illos xxx aureos in Indiam pro balsamo emendo, ut ungeret corpus patris sui Jacob, quia per se transtulit **[54r[1]:]** corpus patris sui in Hebron, ubi Adam, Abraham, Isaach sepulti sunt.

Post multum temporis regina Saba voluit videre gloriam regni Salomonis et venit Jherusalem. Inter cetera dona sua attulit secum illos xxx aureos, quos optulit in templo Salomonis. Deinde postquam babilonici devastati sunt Jherusalem, templum sc. Salomonis venit in sortem judeorum [indiorum?], qui nidi fuerunt soldani babilonicorum. Deinde postquam natus est Christus, visa stella venerunt tres reges de India ut offerent Christo, et adoraverunt eum. Cum unus illorum regum videlicet Balthazar optulit Christo illos xxx aureos.

Postquam mater Christi cum filio suo fugit in Egyptum, mater Maria perdidit totam illam oblacionem in linteo alligatam, quam illi tres reges obtulerunt filio suo. Quam quidam pastor inveniens diligenter custodivit. Ipse vero pastor postea percussus est lepra maxima. Consulit namque medicos diversos quid esset facturus. Dictum erat sibi quod in India [Judea?] esset propheta, qui solo verbo posset eum curare. Ipse disponens se **[54r[2]:]** ad viam et apud se cogitans quod citius iste propheta curaret eum, si haberet aliquid ad dandum, sumpsit secum illos

[21] cf. fol. 264v et 268r

xxx aureos, thus et mirram et venit ad Indiam [Judeam?] et accessit ad Jhesum, et curavit eum solo verbo.

Iste pastor letus optulit Domino xxx aureos, thus et mirram. Christus precepit ut offeret illos aureos in templum, videlicet in carbonam. Deinde Judas mercator pessimus vendidit Christum pro xxx aureis. Sed nullus judeorum vellet exponere de proprio illos aureos. Unus indiorum [judeorum?] dixit: Recipiamus illos xxx aureos de carbona. Et sic mors Christi erat factum omnium nostrorum expositis illis xxx aureis. Judas dixit [Mat. 27,4]: *Peccavi tradens sanguinem justum.* Et projecit illos xxx aureos in pavimento templi et abiit et laqueo se suspendit. Judei dixerunt inter se quod ista pecunia non deberet mitti in carbonam quia precium sanguinis fuit, sed quindecim denariorum illorum judei dederunt **[54v$^1$:]** 4$^{or}$ militibus crucifigentibus Christum, et pro aliis xii judei emerunt agrum Acheldemach pro sepultura peregrinorum.

Et sic primitus divisi sunt illi xxx aurei. Evangelium autem quidem vocat eos argenteos, non quia de argento fuerunt, sed quia erat communis modus loquendi et vocandi omnem monetam argentatam. Aliqui nolunt credere huic quod Christus sanavit pastorem et jussit mitti xxx aureos in carbonam, maxime quia non describitur in evangelio. Scriptum est enim in evangelio multa alia signa que fecit Jhesus in conspectu discipulorum, que non sunt scripta in libro.

Postquam illi xxx aurei ita divisi sunt, regina Helena, mater Constantini, duxit secum vii de predictis aureis de Jherusalem in Romam, cum transtulit lignum sancte crucis de Jherusalem in Romam. Et sic aliqui aurei sunt Rome, aliqui Parisius cum parte corone Domini. Aliqui sunt extra civitatem parisiensem apud sanctum Dionisium, **[54v$^2$:]** videlicet tres, et sic operati sunt illi xxx aurei illud ad quod primifacti sunt.

Scriptum Ripis Anno Domini Mcdliiii$^o$ vigilia Simeonis et Jude apostolorum.

## De vero sacerdote[22]

Chrisostemus: Non est vere sacerdos omnis qui nominatur sacerdos. Multi sunt sacerdotes et pauci sunt, sacerdotes multi nomine pauci in opere. Videte ergo quomodo sedeatis in cathedra, quia non cathedra facit sacerdotem sed sacerdos facit cathedram. Non locus sanctificat hominem sed homo locum. Non omnis sacerdos sanctus sed omnis sanctus sacerdos. Qui bene sederit super cathedram, honorem accipit cathedre. Qui male sederit, injuriam facit cathedre. Sicque malus sacerdos de sacerdocio suo crimen acquirit non dignitatem. In judicio enim sedes. Siquidem si bene vivis et bene doces, populum instruis. Si bene doces et male vivis tu solus condempnatus eris. Nam bene vivendo et bene docendo populum instruis quomodo vivere debeat. Bene autem docendo et male vivendo Deum instruis quomodo te debes condempnare.

Idem: Quicunque desideravit primatum in terra, inveniat confusionem in celo, nec inter servos Christi computabitur qui de primatu cruciavit. Nec unusquisque eorum festinet quomodo aliis major appareat, sed quomodo omnibus inferior videatur, quoniam non qui major fuerit in honore iste est inferior, sed qui fuit inferior ille est major. Ecce quibus oporteat sacerdotem esse ornatum moribus sc. interioribus. Preterea oportet illum esse ornatum exterioribus, habitu videlicet et incessu. Habitu ut nec fulgidis nec sordibus se vestibus ornet ut ibi ait Jheronimus: Non affectate sordes nec exquisite delicie laudes pariunt, tam de vestibus quam de esca intelligendum est.

Cur peccata populi comedere dicuntur sacerdotes, nisi quia peccata delinquentium fovent ne temporalia stipendia amittantur, sed et nos, qui ex oblacionibus fidelium vivimus, quas illi pro suis peccatis obtulerant, si comedimus et tacemus, eorum procul dubio peccata mandamus. Pensemus ergo quanti sit criminis apud Deum peccatorum precium manducare et nihil contra peccata predicando agere. Augustinus: Nil miserius quam nunc incipere discere quando debet docere. Jheronimus: Multo melius est habere rusticitatem sanctam quam eloquenciam peccatricem. Sunt primogenito vestis bona, sessio prima et gemiantur ei benediccio, fructus et esca. Primogenito vestis erat sacerdotalis, quam majores natu cum benediccione patris induti victimas Deo velut pontifices offerebant.

**[fol.52Av is blank]**

[22] f. 52a is vellum. From Chrisostemos to...esca is written in another hand.

**De mandatis**[23]

*Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* [Mat. 19,17]. In verbis propositis ostendit Christus cuilibet homini viam vite cum dicit: Si vis ad vitam etc. Unde sciendum est quod decem sunt precepta, que quilibet homo tenetur servare si vult salvari. Primum igitur preceptum est [Exo. 20, 3]: *Non adorabis deos alienos* et illud preceptum tangit fidem quia fides est fundamentum omnis boni. Unde Augustinus: Fides est fundamentum omnium bonorum. Nam [Hebr. 11, 1] *fides est substancia sperandarum rerum, argumentum non apparentium.* Non quod fides sit substancia in genere substancie sed secundum quandam proprietatem. Sicut substancia est fundamentum et basis omnium essentium, sic fides est fundamentum totius edificii spiritualis. Item fides secundum Hugonem de Sancto Victore est certitudo quedam animi de absentibus supra opinionem infra scienciam constituta. Sine hac ergo nemo ad filiorum Dei numerum pervenire potest. Unde Joh. 3$^{o}$[,18]: *Qui non credit, jam judicatus est.*

Multipliciter autem christiani contra hoc preceptum peccant. Primi qui dubitant de fide, an sic sit sicut scriptura dicit et fides catholica tenet. Sic eciam qui negligunt addiscere articulos fidei, cum possunt et debent eos scire. Nam quilibet christianus, cum ad annos discrecionis pervenerit, tenetur discere et scire symbolum apostolorum, et qui articulos fidei frivole et **[55r$^{2}$:]** ex contemptu addiscere nollet, cum addiscere posset, peccaret mortaliter. Et tali non est ministrandum eucaristie sacramentum, donec addiscat.

Item peccant illi contra primum preceptum qui observant dies egyptiacos in istis actibus qui dependunt ab hominis arbitrio libero: Mercacio, uxorum traduccio, herbarum colleccio vel alicujus operis inchoacio, quia in talibus observare tempus et dies egyptiacos est mortale peccatum. Ergo reprehensibiliter peccant qui in nocte nativitatis Christi et beati Johannis Baptiste suas incantaciones faciunt. Item peccant illi contra primum preceptum qui sompnia advertunt et servant, contra quod dicitur illud Levitici 19[,26]: *Non augurabimini neque observetis sompnia.* Unde Eccli. xxxiiio [34,7]: *Permultos errare fecerunt sompnia et illusiones vane.* Unde Cato: Sompnia ne cures etc.

[23] Corresponds to Johannes Herolt: Sermones discipuli de tempore et de sanctis. Cf. Ed. Nurnb. 1486 sermo no. 41 de decem preceptis and no. 142 de 24 generibus qui falsificant fidem

Item peccant contra primum preceptum qui phitionissas accedunt. Quotiens hoc faciunt totiens mortaliter peccant, quia non licet consilium a diabolo requirere. Nec est eis credendum, quia [Joh. 8,4] *diabolus* qui per eas loquitur, *mendax est et pater ipsius mendacis.* Item peccant contra primum preceptum sortilegi qui fatum tenent. Fatum in vulgari dicitur skebninghe, et graviter peccant qui fatum tenent dicendo, quando homo mala morte moritur, sive suspenditur sive comburitur, tunc tales dicunt quod Deus sic **[55v[1]:]** voluit et ordinavit, et ad hoc natus est ille quod talia pati debuit. Hoc est contra honorem Dei loqui quia Deus non vult nisi bonum.

Unde apostolus [1.Thess. 4,3]: *Hec est voluntas Dei sanctificacio vestra.* Ergo est propria malicia ipsius hominis qui male agerit. Item peccant contra primum preceptum illi qui observant augurium sc. cantum avium, quod quidem augurium attenditur in gestu et cantu et volatu avium verbi gracia. Cum gallina cantat et canis latrat et corvus super domum se locat et lepus vel lupus per viam currit et cuculus clamat, que omnia vana et supersticiosa sunt.

Item peccant contra primum preceptum illi qui in puerperio cum mulieribus pregnantibus et parientibus supersticiones exercent. Sicut qui mulierem in pariendo difficultatem habentem circumcingunt cingulo viri ut eo levius pariat. Qui cum gladio evaginato benedicunt mulieres in puerperio et exsufflant candelam accensam in faciem ejus, quod est supersticiosum.

Sed nota quod si thus adoletur sive accenditur lumen consecratum vel aqua benedicta ibi aspergitur aut signum crucis ibi haberetur, ista essent deifica et licita. Item peccant contra primum preceptum qui conjurant pecora, quod fit multipliciter. Primo caput cingunt et mensurant cum cingulo proprio et tunc ponunt cingulum sub pedibus ejus, et ipse dicit: Melius te calco quam te porto. Item oculos benedicunt. **[55v[2]:]** Et sic terram cum manu tangunt. Item quandoque aliquos ducunt per aquam fluidam. Item vertunt se contra ortum solis. Item ducunt eos quandoque ad arborem et faciunt eos quassare. Item quidam carminant equos et vaccas et cetera animalia cum vermes habent aut cum de mane ad pascua expelluntur vel cum perdita sunt ea benedicunt, ne lupi ea devorent.

Item quidam carminant super vulneribus et vulneratis. Item quidam contra inimicos canes vel lupos cum vulneribus Jhesu Christi se carminant intus. Unde sciendum est quod omnes isti qui carminant vel se faciunt carminari vel pueros suos portant ad carminatrices, graviter

peccant contra primum mandatum. Maxime autem quando de hoc moniti nec tamen desistere volunt. Et talia carmina nullam efficaciam habent sanandi hominem, sed Deus propter peccatum hominis et propter fidem quam homo habet ad ista carmina, permittit quod quandoque videtur homini quod juvant. Sed tamen uti medicinis et herbis licitum est ex eo quod habent effectum materialem.

Item dicunt quidam quod quando agonizans sudorem emittit quod sit spiritus, quia sicut in ingressu baptizatus est sic in egressu exsudat eundem spiritum, quod falsum est et erroneum. Item aliqui dicunt et male quod anima recedens a corpore non habebit requiem, donec pulsatum fuerit ei. Item aliqui dicunt quod interim quod pulsus fit, tunc anima confitetur. Item aliqui dicunt quod quando anima egressa est **[56r$^1$:]** de corpore, tunc prima nocte pernoctabit cum beata Gertrude, alia nocte cum Michaele archangelo glorioso. Sed 3$^a$ nocte videt sicut diffinitum est de ea, quod eciam erroneum est. Unde de punctoribus dicitur Job 21$^o$[,13]: *Ducunt in bonis dies suos et in puncto ad infernum descendunt.*

Similiter dicendum est de bonis et perfectis et innocentibus qui immediate anima exuta corpore evolant in celum. Sed qui sunt mediocriter boni, immediate deducuntur ad purgacionem. Item dicunt aliqui quod anima mortui 2$^a$ nocte requiescit in loco ubi exuta fuit, quod est falsum. Item alii dicunt quod sabbato de sero anime exibunt de purgacione usque ad 2$^{am}$ feriam. Tunc redintrabunt, cum quis ceperit laborare. Et hii dicunt quod sit peccatum feria 2$^a$ nimis mane laborare et surgere. Sed quod  sabbato de nocte diu laborant, hoc pro nullo peccato reputant, cujus oppositum est verum. Sed quod anime non exibunt de purgatorio ante plenam purgacionem, ostenditur Mat. 5$^o$[,26]: *Non exibis inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Item dicit Dominus per Jheremiam prophetam [16,13]: *Servietis diis alienis* sc. diabolo, *qui non dabunt vobis requiem die ac nocte.*

Alii exercent supersticionem cum acu cum quo cadaver mortuum consutum est. Sunt eciam carminatrices que volunt hominis liberum arbitrium frangere, sicut iste que volunt facere illicitum amorem vel odium inter homines. Unde aliqui dicunt et credunt: Ille est **[56r$^2$:]** deceptus et carminatus, ipsa fecit quod vir non potest ab ea separari. Sed ego respondeo quod est mala consuetudo et propria voluntas hominis. Nam nullus hominum nec omnes demones possunt frangere liberum arbitrium hominis, ut de necessitate oporteat eum facere aliquod malum. Unde Augustinus: Peccatum adeo voluntarium est quod, si non esset voluntarium, nullomodo esset peccatum. Unde quilibet cum adjutorio

Dei potest huic temptacioni resistere. Unde apostolus [Phil. 4,13]: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Sunt alii qui circa sortes et variam inspeccionem psalmorum, evangeliorum et aliarum scripturarum futura prenosticare volunt. Unde dicitur in decreto: Futura non sint inquirenda ex inspeccione quarumcunque scripturarum. $23^{a}$ questio.

Sunt eciam qui lunam adorant, sicut hodie plures inveniuntur qui cum novilunium viderint, adorant flexis genibus et deposito capucio aut pileo et capite inclinato honorant alloquendo et suscipiendo[?]. Immo eciam plures jejunant ipso die novilunii sive sit dies dominica, in qua secundum ordinacionem ecclesie non est jejunandum propter resurreccionis Christi leticiam, sive eciam quocunque alio die viderint novilunium. Que omnia habent ab idolatris.

Alii vero venerantur solem. Exemplum de una vetula que credidit solem esse deum, vocavit eum sanctam dominam et alloquendo solem benedixit eum cum certis verbis cum observaretur. Quedam supersticiosa que dixit se plus quam xl annis credidisse hoc et multas infirmitates curasse **[56v$^{1}$:]** per hoc. Sed postea fuit compuncta in quodam sermone cognoscens errorem suum et sic amplius deseruit errorem suum et penituit. Item reprehenduntur homines qui stulta vota emittunt et eis fidem adhibent verbi gracia ut illi qui cancros non comedunt propter oculos et credunt quod oculi manent in tali sanitate, sicut fuerunt illa hora qua illud promiserunt. Item abstinentes a capitibus animalium et volucrum et piscium, ne capite infirmentur.

Item qui $5^{ta}$ feria $4^{or}$ temporum non comedunt carnes et credunt quod propterea pestilencia non possit eos invadere. Item qui $3^{a}$ feria non intrant balneum credentes quod valeat contra febres. Item qui palmam consecratam glutiunt et infra leccione passionis Christi faciunt sibi crucem de palmis consecratis, credentes quod alia hora vel die non valeret si facere[n]t tales cruces. Hoc eciam est erroneum. Item aliqui recipiunt denarios qui sunt oblati ad crucifixum in magna quinta feria, et inde faciunt sibi annulum qui debet valere contra morbum caducum. Item sunt aliqui qui in die sabbati crines non prescindunt nec caput lavant nec balneum intrant, et alique mulieres isto die non filant nec fimum ex stabulo deportant, et hoc non ex devocione sed quadam supersticione. Cum tamen secundum Hostiensem sabbatis diebus plus laborare debemus, ne nos christiani videamur ut **[56v$^{2}$:]** judei facere.

Item aliqui dicunt quod mulieres, que in partu vel puerperio moriuntur, non possunt videre claram faciem Dei sed per velamen. Et dicunt quod mulieribus nocet quantum ad animam cum in puerperio

periclitantur. Quod est falsum, nisi essent culpabiles, quia aborsum patiuntur. Puero autem sic in utero morienti nocet, quia numquam videbit faciem Dei. Aliqui dicunt quod quando puer moritur sine baptismo in utero matris, iste puer obiit sine anima. Quod est falsum quia puer, qui vivit in utero matris, habet animam, quia anima dat vitam corpori, et si moritur ante baptismum tunc anima illius pueri descendit ad limbum puerorum, et ibi non habebit penam sensus sed penam dampni, quia eternaliter carebit Dei visione. Ergo dicendum est quod puer iste obiit sine sacramento baptismi.

Item gravissime peccant qui mulieres faciunt steriles, qui tot homicidiorum rei esse videntur quot conceptus conati sunt impedire. Item qui vel que occidunt pueros in utero matris scienter, sicut iste meretrices que gerunt se pro virginibus, cum impregnate fuerint, et sic fetus in utero occidunt. Ve eis et eciam illis antiquis vetulis que talibus dant auxilium et consilium ad occidendum pueros **[57r¹:]** in utero matris, quod est maximum peccatum, quod aliquomodo exsuperat homicidium cujusdam christiani baptizati. Et racio est quod in puero isto occiditur anima et corpus, sed in homine baptizato solum occiditur corpus. Unde Augustinus: Majus est dampnum in amissione unius anime quam mille corporum.

Item sunt aliqui qui literas circa se portant et talem fidem adhibent illis literis vel oracionibus, quod quando inspiciunt, orant vel circa se portant, quod non possunt comburi vel submergi nec vulnerari nec interfici. Item qui scribunt literas contra dolorem dentium, oculorum aliarumque infirmitatum, peccant qui scribunt, portant vel docent. Item litera, que nominatur longitudo Christi, reprobatur quia in ea sunt nomina scripta non cognita. Et cum hoc quod quicunque circa se portaverit, non potest comburi vel submergi, et mulieres, que eam circa se habent, non possunt in partu periclitari, que omnia sunt supersticiosa.

Sunt et aliqui qui oculos benedicunt et sic cum manu terram tangunt et cum tali manu oculos infirmi tangunt iterum et verba aliqua supersticiosa superaddunt. Item aliqui lavant oculos ex locione pedum, quod est magis oculis notivum quam profitivum. Item aliqui infirmos ponunt ad terram ad modum crucis et sic cum filo eos mensurant et tunc talem filum comburunt et infirmis cines dant ad potandum cum aqua, que cadendo allata est. Item sunt aliqui qui sortilegia sua cum sacris exercent ut cum baptismo et sacramento **[57r²:]**eucaristie.

Item aliqui simplices ex simplicitate quadam adorant calicem in elevacione ejus, tamquam ibi sit sepulchrum Christi et non sacramentum,

quod facere non debent. Unde sanctus Thomas dicit: Licet ex virtute sacramenti sub specie panis sit tantum corpus et sub specie vini sit tantum sanguis, tamen propter materialem concomitanciam sub utraque specie sc. panis et vini, est totus Christus sc. secundum corpus et animam et divinitatem. Et ergo sic adorandus est Christus sub specie vini in calice, sicut adoratur sub specie panis, quia ut dictum est sub utraque specie est totus Christus, sicut natus est ex virgine Maria et sicut pependit in cruce, sicut sedet ad dextram patris et inde venturus est judicare vivos et mortuos.

Item sunt qui dicunt quod aliqui homines in nocte apparent eis et ponunt se super eos et premunt eos, sed hoc falsum est, quia est proprius sanguis in homine. Hoc patet ex eo quod ut frequenter contingit homini, quando dure jacet in dorso, et quam cito se vertit, tunc nihil est amplius. Et quomodo quis januis clausis ad te ingredi posset, cum hoc solum spectat ad corpus glorificatum, ut patet in Christo qui post resurreccionem suam venit ad discipulos januis clausis. Item aliqui dicunt, quando sonitum audiunt in **[57v$^{1}$:]** sinistra aure, esse signum quod aliquis detrahit eis. Sed si sentiunt sonitum in dextra aure, tunc credunt quod aliqui bonum loquntur de eis. Item aliqui, quando sentiunt pustulam super linguam, dicunt quod aliqui mentiendo detraxerunt eis.

Item sunt aliqui qui credunt quod Diana dea cum exercitu suo de nocte solet ambulare per multa spacia terrarum. Item aliqui de nocte preparant mensam et vasa disco[?] operiunt ut manes debeant illa vasa replere vel ipsis hominibus contribuere fortunium, et sic sacrificant mammone ut divites fiant. Item aliqui dicunt quod et manes de nocte equitant equos et eciam portant pueros super tectum. Item aliqui sunt qui sciunt cyromanciam, et sunt hii qui manum hominis ad intum inspiciunt et illic per quandam crucem in manu existentem cognoscere volunt utrum si mori debeant. Item inspiciunt ungues hominum et sic cognoscere volunt utrum cito aliquid novitatis illi homini contingat.

Item cum sponsa primitus domum ingreditur sponsi, tunc palpat cum manu super limare dicens aliqua verba supersticiosa et credit se semper in omnibus victoriam obtinere. Item aliqui sunt qui credunt, quando ipsis de mane aliqua vetula venit obviam, tunc illo die non habebunt fortunium, et tales quandoque cum proposito faciunt sibi puerum unum obviare, quando aliquid opus arduum volunt inchoare. **[57v$^{2}$:]** Item aliqui credunt, quando surgunt de mane a sinistro latere vel eciam sinistrum calceum primitus arripiunt aut tunicam indirecte induunt, quod ista sunt signa infortunii.

Item sunt aliqui qui spem suam non totaliter ponunt in Deum, sed in aliquod creatum, pro quo sciendum quod spes est duplex sc. spes salutis et spes auxilii. Spes salutis solummodo ponenda est in ipsum Deum. Sed spes auxilii ponenda est in beatam virginem Mariam et in sanctos et in bonos homines qui possunt nos adjuvare intercedendo pro nobis ad Deum.

Item sunt aliqui qui aliquid equaliter ut Deum vel supra Deum diligunt, et hoc idem erit eorum deus. Circa quod sciendum quod sicut pagani diversos colebant deos, sic jam christiani diversos faciunt sibi deos.

Nam superbus colit pro Deo vanam gloriam. Cupidus pro Deo colit pecuniam. Nam avarus potius delectatur audire de temporalibus quam de spiritualibus et potius videt florenum quam sacramentum, et citius vadit ad nundinas quam ad indulgencias, et plura ardua sustinet pro temporali lucro que nullomodo sustineret pro Deo. Hoc patet in illis qui in diebus ferialibus pro temporali lucro acquirendo mane surgunt. Sed in diebus **[58r$^{1}$:]** festivis, in quibus lucrum anime querendum est, diu dormiunt et sic servicium Dei et salutem anime negligunt.

Item gulosus ventris ingluviem pro Deo colit. Unde apostolus Phil. 3$^{o}$[,19]: *Quorum deus venter est.* Item luxuriosus extra matrimonium peccans voluptatem carnis preponit Deo, Marie et omnibus sanctis ejus. Item aliqui colunt pro Deo uxores proprias, pueros, pulchras domos, agros, pecunias, vestes et sic de aliis. Unde Jheronimus: Quodcunque unusquisque supra Deum vel equaliter ut Deum diligit, hoc sibi pro Deo prestituit. Quicunque in talibus credunt et confidunt et a Deo recedunt cum fiducia cordis sui, tales incidunt in malediccionem Dei. Et tantum de illo.

**De beata Virgine Maria**

Nota diligenter. Nota quod beata virgo Maria est domus in quam, si ingrederetur leo offensus et iratus, efficeretur agnus mansuetus et placatus. Deus enim olim leo dicebatur secundum quod legitur Amos 3[o][,8]: *Leo rugiet, et quis non timebit.* Hic egressus a domo virginali dicitur agnus. Joh.3[o] [1,29]: *Ecce agnus Dei*. Ubi umquam leo iratus venit in mundum, sicut iste leo in tempore Noe, cum totum mundum **[58r[2]:]** exceptis 8 hominibus propter peccata delevit. Ubi umquam leo adeo terribilis venit in hunc mundum sicut iste leo, ut ita dicam, tempore David, cum tot milia hominum repentina morte occidit propter unius peccatum sicut dicitur. Ubi umquam leo offensus venerat in hunc mundum tempore Helie, cum totum mundum tanta fame percuteret quod eciam mater puerum uteri sui manducaret.

Ubi umquam timendus leo in hunc mundum venit, sicut leo qui filios Israel lxx[a] annis flere permisit, antequam eis mitteretur qui salvaret eos. Laudamus ergo virginis preconium, in cujus utero leo efficitur agnus veniens nobis in subsidium, nam qui olim occiderat omnes in aqua diluvii, nos omnes vivificavit in aqua baptismi. Qui olim tot milia hominum occidit propter unius peccatum, seipsum occidi permisit pro nostris peccatis, et qui olim tot homines fame flagellaverat, quod et mater puerum suum manducaret, non ut leo venit ad flagellandum sed ut agnus qui seipsum dat nobis ad manducandum.

**[58v[1]:]** Et qui olim filios Israel flere permisit lxx[a] annis, antequam eis misereretur ut eos liberaret et exaudiret, nunc omnes ad suam misericordiam vocat et invitat dicens [Ez. 18,21]: *Quacunque hora ingemuerit homo pro peccatis, omnium iniquitatum suarum non recordabor*. Item domus ista gloriosa non solum est bona sed eciam melior, ex eo nam omnis profugus in ea indifferenter recipitur. Sed per penitenciam ad eam fiducialiter venit humilibus precibus pulsando ad misericordie portam, de qua cantat ecclesia: Felix celi porta, hec omnibus est communis. Sicut figuratum est in libro Judicum, in quo legitur quod quidam nocte quadam hospicium habere non poterat nec apud divites nec apud pauperes, et cum ita desperatus sederet, apparuit homo de monte Effraim dicens: Pax tecum. Veni mecum, ego prebebo tibi omnia necessaria. Homo iste significat miserum peccatorem, quem non solus Deus sed omnis creatura abhorret.

Incipiamus ergo a sanctis angelis. Posito quod jam omnes angeli hic starent, et peccator accederet et diceret: O dulcissimi angeli, audivi

semper quod omni pietate pleni estis. Servate ergo me miserum meis peccatis exigentibus ne absorbeat me ignis infernalis. Et si responderent: Quid hic tecum portas, o peccator? Et diceret: Unum mortale peccatum, **[58v[2]]** protinus responderent: Recede a nobis. Si enim non potuimus sustinere superbos angelos in celi palacio, quomodo te sustinebimus pulverem et cinerem, viventem in seculo.

Sicut scriptum est [Ps. 100,7]: *Non habitabit in atrio domus mee, qui facit superbiam.* Item si hic sederet sanctus Johannes evangelista cum omnibus sanctis Dei, et accederet peccator dicens: O beatissime Johannes, quem Christus in cena super pectus suum collocavit, quem suis manibus carne et sanguine proprio cibavit, cui in cruce matrem dulcissimam commendavit, serva me. Et si responderet: Quid hic tecum portas? Et ipse responderet: Unum peccatum mortale, responderet: Recede a me quia ego servavi gloriosam virginem Domini matrem cum omni reverencia, quam mihi in cruce commendavit. Tuam maculasti animam quam Christus suo sanguine comparavit. Unde propheta [Ps. 14,1]: *Domine, quis habitat in tabernaculo tuo, aut quis etc.* Non ergo es de consorcio sanctorum, sed demonum.

Item si jam peccator iret ad terram et diceret: O terra, angeli et sancti nolunt me servare. Hodie saltem tu, que plena es omni miseria, serva me, cui tamdiu servivi, quod sine omni bonorum fructu omne tempus consumavi, quousque **[59r[1]:]** mihi crines canuerunt, oculi caligaverunt, ruge faciem deformaverunt. Terra diceret, si loqui posset: Licet me calcabilem tuis pedibus prebuerim ex voluntate Dei qui te paternaliter quotidie revocavit, quem tua malicia quotidie impugnavit, ego ergo adversum te in die judicii consurgam. O miser peccator, quo ibis? Fuge ad domum misericordie, cujus porte latitudo communis est, de qua Ps. [117,20] ait: *Hec porta Domini, justi intrabunt in eam.* O beatissima rosa virginum, quid tunc fieret de nobis peccatoribus miseris. Quid de claudis, quid de cecis, quid de viduis, pupillis et orphanis? Estne aliquis quem despicias, quod eum ad tuam misericordiam non intromittas? Sapiencie [Eccli. 24,26]: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis etc.* Omnes qui ad me contriti fugiunt, latibulum conservacionis inveniunt.

Unde Dominus potest uti hiis verbis Isaie [16,4] ad Mariam: *Esto latibulum eorum a facie vastatorum* quasi dicens: O mater mea, scias quod vastator volo esse in die judicii sine omni misericordia et vastare volo omnes in anima et corpore, quia peccaverunt et in peccatis

perseveraverunt. Unde qui modo confugiunt ad te, esto latibulum **[59r$^2$:]** eorum.

Item hec domus nobilissima non solum est bona et melior sed eciam optima ex eo quod essens reus per penitenciam veniens ad eam reconsiliatur, sicut videmus quando parvuli ad iracundiam patrem provocaverunt, quod eos minatur percutere, fugiunt ad matrem ut eos in sinu suo protegat et patris veniam obtinuat. Ita et nos, qui piissimum patrem nostrum offendimus in tantum nostris peccatis, quod non solum minatur nos percutere sed eciam eterna morte occidere, fugiamus ergo ad domum pacis, de qua dicitur Sapiencie 1$^o$ [Prov. 9,1]: *Deus, in quo est omnis sapiencia edificavit sibi domum,* sc. beatam virginem. O quantum nos illum piissimum patrem in suis membris offendimus, quando egenos et exules non servamus nostro hospicio.

Fugiamus igitur ad eam que Christum suo servavit gremio. O quantum illum patrem offendimus quando potum sitientibus denegemus. Fugiamus ergo ad eam que Christum potavit suis sanctis uberibus. O quantum illum patrem offendimus quando panem denegemus esurienti. Fugiamus ad illam rosam **[59v$^1$:]** que Christum enutrivit suis benedictis manibus. O quantum pium patrem offendimus quando nudos non cooperimus vestimento. Fugiamus ergo ad eam, que Christum suis panniculis vestivit in presepio. Quis ergo dubitet si ad eam fugerit per penitenciam, nisi ab ea obtineat veniam, que superfluit et est plena omni gracia. Unde Bernardus: Maria plena omni gracia, ut de plenitudine ejus omnes accipiamus, egri curacionem, tristes consolacionem, captivi liberacionem, peccatores veniam, justus graciam, angelus leticiam, filius Dei carnis substanciam, tota trinitas gloriam. Tantum de illo.

## De dedicacione

*Domus mea domus oracionis vocabitur.* Is. [56,7]. Unde nota quod hec domus graciosa est, bona, melior, optima. Bona ad querendum Dominum tamquam medicum a languentibus, melior ad inveniendum tamquam cibum ab esurientibus, optima ad obtinendum thesaurum ab indigentibus. De primo: Res enim perdita inveniri non potest nisi in loco in quo est, et procul dubio nos miseri peccatis nostris exigentibus pium Deum nostrum non semel, sed innumerabilibus **[59v$^{2}$:]** vicibus perdidimus. Et si ipsum hodie querere et invenire volumus, debemus eum querere in loco ubi est sc. in ecclesia.

Legitur enim Luc. 2$^{o}$, quod beata virgo unicum filium amiserat, quem maxime dolendo querebat inter cognatos et notos, quem cum non invenisset, regressa in Jherusalem invenit eum in templo. Per quod intelligi datur quod locum illum specialiter Dominus elegit, ut ibidem magis quam alibi sit a nobis peccatoribus querendus facilius tamen et inveniendus est. Sicut ille ad salutem venit in templum illis temporibus, sic eciam hodie venit in hoc templum ad salutem nobis omnibus, et si eum invenire volumus queramus eum in isto loco. Stultus enim esset vulneratus usque ad mortem, si hodie medicum invenire posset, qui ei in loco isto omnia vulnera sanaret, nec attemptaret petere eum. Ecce, hic hodie invenerunt sapientem medicum, regem omnium regum, qui ait Luc. [5,31]: *Non egent sani medico etc.*

Nota: Solent principes et reges querentibus se pauperibus januas **[60r$^{1}$:]** suas claudere et divitibus pulsantibus aperire. Hoc certe non facit medicus iste cujus janua tam divitibus quam pauperibus patet. Mat. 22 [Joh. 18,5]: *Cum judei quererent eum, Dominus ait ad eos: Quem queritis?* Et judei responderunt: *Jhesum Nazarenum. Respondit: Ego sum.* Certe si seipsum optulit querentibus mortalibus inimicis, numquam abscondet se fidelibus hodie querentibus se amicis. Et quia in necessitate probatur amicus, in hac necessitate qua animas nostras per peccatum vulneravimus, queramus amicum nostrum illum celestem medicum. Et si animas nostras vulneravimus per malum gressum pedibus nostris, accedamus provolutis pedibus ad pedes Domini vulneratos. Si eciam vulneravimus animas nostras per malum tactum manibus nostris, procedamus hodie conjunctis manibus ad manus Domini perforatas. Si eciam vulneravimus animas nostras per malas cogitaciones cordibus, accedamus ad latus Domini perforatum et cor ejus perfossum. Si vulneravimus per malas locuciones, accedamus ad os ejus nos vocans

verbis supplicibus, deprecantes ut, sicut latronem in cruce ad penitenciam **[60r[2]:]** recepit, nos recipiat in hac die, dicentes cum Ps. [6,3]: *Sana me, Domine, quia infirmus sum,* ut mereamur cum Maria Magdalena audire [Mat. 9,5]: *Dimittuntur tibi peccata tua.*

Item domus ista felicissima non solum est bona sed eciam melior, quia in ea a nobis omnibus Dominus est inveniendus tamquam cibus preciosissimus ab esurientibus, de quibus dicitur Mat. [5,6]: *Beati qui esuriunt et sitiunt justiciam.* Stultus autem esset peregrinus iste qui jam fame deficeret et certum hospicium sciret, in quo largus hospes omnibus advenientibus cibaria preciosissima ministraret indifferenter, et a comedentibus modicum aut nullum precium postularet. Ecce, fidelissime christiane, hospes iste gloriosissime virginis filius hodie te sedere et edere ad suam mensam postulat aut vocat. Ecce, campanis sonantibus, clericis devote cantantibus, presbiteris predicantibus, qui sunt quasi os Domini dicens per prophetam [Jer. 15,19]: *Si separaveris preciosum a vili, quasi os meum eris*.

Sic per semetipsum te alloquitur dicens [Mat. 11,28]: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Quasi diceret: Venite pauperes et divites, senes et juvenes, **[60v[1]:]** parvi et magni, vidue et pupilli, nam ego non servo ritum modernorum hospitum qui preciosa fercula dant divitibus, mala autem et insipida ministrant pauperibus. Ego enim cibum preciosum, quem dabo regibus et principibus, do mendicis et pastoribus. Quem ego dabo sanitate fruentibus, dabo infirmis et debilibus. Nulli propter suam inopiam cibum meum preciosum denegabo, quia eos redemi precioso meo sanguine. Pet. ii [1.Pet. 1,18]: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis.* Joh. [6,55]: *Qui manducat meum carnem et bibit sanguinem etc.*

Nota iterum supra modo pius esset hospes, qui antequam in domo sua mori aliquem permitteret, partem sui corporis sibi ad manducandum preberet. Vide ergo hunc piissimum hospitem ob cujus graciam hodie huc venisti. Non offert tibi sui corporis partem ut comedas, sed totum corpus sanctum suum ne fame pereas eterne sc. mortis. Adeamus ergo hunc gloriosum hospitem qui non solum invitat nos ad manducandum, sed nos hortatur. Joh. [6,54]: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Item regalis hec domus omni felicitate **[60v[2]:]** est plena. Non solum est bona et melior, sed et optima, quia in ipsa est hodie recipiendus Dominus tamquam thesaurus preciosus ab egentibus.

Qui sunt egentes et miseri nisi peccatores et injusti? Nonne miseros habent pedes qui nudi sunt ab omni stabilitate? Nonne miserum habent cor quod nudum est ab omni fidelitate? Nonne habent linguam que nuda est ab omni veritate? Nonne miseras habent manus que vacue sunt ab omni caritate? Et qui sic ab omni virtute nudi sunt et egressi fuerunt ab hoc seculo, a sanctorum consorcio repelluntur. Jo. [Mat. 22,12-13]: *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestes nupciales? Ligatis manibus et pedibus etc.*

O quam horrende sunt iste tenebre ubi numquam videbunt faciem, in quam angeli prospicere desiderant. Et quia omnes peccavimus, omnes pauperes et egentes sumus, ut ait apostolus [Rom. 3,23]: *Omnes peccaverunt et egent gracia Dei.* Faciamus ergo sicut pauperes facere consueverunt. Nam posito quod hic jam esset una domus, in qua hodie multi et reges et principes conquirerent ut ibidem **[61r$^{1}$:]** thesaurum permagnum distribuendo pauperibus subvenirent, non utique dubium quin a remoto pauperes huc accederent ut thesaurum colligerent, per quem egestatem evaderent.

Ecce illa domus est hic in hoc loco, in qua ut ait Ps.[46,10]: *Principes populorum* sc. angeli sancti *congregati sunt cum domino Abraham.* Et si reges et principes invitati ad festum non veniunt nisi cum magna multitudine famulorum, quanto plus rex celi hodie huc ad hoc festum veniet cum multitudine angelorum. Et sicut sancti et angeli in celo sunt congregati ad gaudendum, sic in domo hac congregabuntur sancti et angeli ad succurrendum nobis. Et impossibile est, ut ait sapiens quidam, multorum preces non exaudiri precipue in ista domo Dei sancta, que est domus oracionis attestante Johanne in evangelio [Luc. 19,4 et 6], qui ait: *Domus mea domus oracionis vocabitur.*

Ubi nota quod ecclesia consecrari solet multiplici de racione. Primo ut inde diabolus et ejus potestas penitus expellatur, 2$^{o}$ ut ad eam fugientes salventur. Unde alique ecclesie post consecracionem a principibus **[61r$^{2}$:]** privilegiantur, ut qui ad eam rei confugerunt salventur. 3$^{o}$ ut ibidem oraciones audiantur 3$^{o}$ Reg. 8$^{vo}$[,30] ubi Salomon dedicato templo ait: *Quicunque rogaverit in loco isto, exaudies in loco habitaculi tui in celo, et cum exaudieris, propicius eris.* 4$^{o}$ ut ibidem laudes Domino solvantur, quod quidem fit in vii horis canonicis sc. matutinis etc.

5$^{to}$ ut ibidem sacramenta ecclesiastica ministrentur. Unde ipsa ecclesia efficitur tamquam tabernacula Dei in qua sacramenta continentur et ministrantur. Quedam enim ministrantur et dantur

introentibus ut spiritus [baptismus?], quedam exeuntibus ut extrema unccio, quedam commorantibus. Et horum quidam sunt ministrantes, hiis datur ordo. Quidam pugnantes et horum quidam succumbunt pugne et hiis datur penitencia. Quidam insistunt pugne, et hiis datur audacia animi ut roborentur et hoc per confirmacionem, et aliis datur cibus ut sustententur et hoc per eucaristie sumpcionem. Aliis fit remocio impedimenti ne dejiciantur, et hoc per matrimonii copulacionem vel conjunccionem.

## In carnisprivio materia predicabilis

*Justus periit, et nemo est, qui recogitat in corde suo.* Isa. 57º[,1]. In quibus quidem verbis duo deplorat propheta hodie, que sunt in se consideranda valde lacrimabilia. Primum est consideracio dominice passionis et devocionis, que hodie a multis minime veneratur sed heu dolor deridetur. 2^m^ est humane ingratitudinis detestacio que est in oblivione. De tanto beneficio passionis deducitur per vana opera, que hodie committuntur, ibi: Et nemo est qui recogitat in corde suo. O peccator, si attenderes quid per peccatum perdidisti: Amiciciam totius trinitatis, angelorum, apostolorum et omnium sanctorum, decorem anime, suffragia ecclesie. Incurristi laqueos fortissimos, hostes crudelissimos, statum periculosum, horribile precipicium, defectum gracie et mortem anime. Offendisti eum qui te creavit, pro te mortem sustinuit, multa beneficia contulit et eterna premia promisit. Si igitur hoc cogitares, utique pro peccatis doleres et fleres exemplo beate Marie Magdalene, que pro peccatis tantum flevit, quod pedes Christi lacrimis lavit.

Sed heu quidam ita miseri sunt et habent cor adeo perversum quod multum dolent de amissione pecunie et deflent amicorum mortem, **[61v$^{2}$:]** sed de ammissione gracie et mortem anime proprie nesciunt dolere. Contra quos conqueritur Augustinus dicens: Sciat se culpabiliter durum, qui deflet dampna temporalis rei et mortem amici et dolorem peccati non ostendit in lacrimis.

Vulgariter dicitur quod cito oblivioni traditur exclusus. Sed heu multi hodie excludunt Christum et oblivioni tradunt. Unde Ps. [30,13]: *Oblivioni traditus sum tamquam mortuus a corde*, et tamen a nobis tanta passus et a nobis oblitus, nostri non obliviscitur. Sicut dicit Isaias [49,15-16]: *Numquid oblivisci potest mater infantem suum, et non misereatur filio uteri sui? Et si oblita fuerit ista, ego non obliviscar tui, ecce in manibus meis descripsi te etc.*

De primo sc. de consideracione divine passionis quod notatur ibi: Justus periit. Unde Christus filius Dei periit morte temporali pro nobis peccatoribus, ut nos morte liberaret eterna dura et plurima tormenta sustinendo. Unde ipse per Ps. [16,4] dicit: *Ego custodivi vias duras* sc. passiones duras. Bene dicit duras quia omnia membra sua durissimis verberibus et passionibus **[62r$^{1}$:]** fuerunt passa. Ps. [21,18]: *Dinumeraverunt omnia ossa mea* a planta pedis usque ad verticem, ita ut nil in me reliquerunt impunitum. Isaie [1,6]: *A planta pedis usque ad*

*verticem etc.* quasi diceret: Caput spinis confixerunt, oculos velaverunt, aures blasfemiis fatigaverunt, in faciem spuerunt, ori felle et aceto potaverunt, manus et pedes transfixerunt, dorsum flagellaverunt, pectus perforaverunt, totum corpus crucifixerunt.

Ecce quomodo nil in Deum reliquerunt impunitum. Unde Bernardus: Divinum illud caput spinis confixum est, ut caput tuum doleret et ne tu coronam celestem amitteres. Oculi illi divini et lumina orbis terrarum caligaverunt, ne tui viderent vanitatem. Unde Ps. [118,37]: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Aures ille divine audierunt contumelias, ne aures tue obsurdescerent ad clamorem pauperis et ne vana audiant et, si audierint, non adhereant. Speciosa illa facies pre filiis hominum sputis est consputa ut tua hic humiliaretur et in futuro clarificaretur. Os illud divinum quod dixit et factum est, felle et aceto potatum est ut tua labia hic non **[62r$^{2}$:]** loquerentur mala et in futuro percipiant bona. Manus que fundaverunt celos, et pedes quorum scabellum est terra, clanis durissimis sunt transfixi ne manus et pedes tui agere festinarent quod malum est, sed potius bonum. Pectus illud in quo omnes thesauri sapiencie et sciencie absconditi sunt, lancea est perfossum ut cor tuum a malis cogitacionibus mundaretur, mundatum sanctificaretur, sanctificatum custodiretur. Ecce quomodo propter te periit justus. Et hoc breviter de primo.

De 2$^{o}$ sc. humane ingratitudinis detestacione quod notatur ibi: Et nemo est qui etc. Nota quod 4$^{or}$ sunt que homo libenter debet recogitare. Primo acceptum beneficium ut gracias agat, 2$^{o}$ commissum peccatum ut peniteat, 3$^{o}$ incertum tempus ut precaveat, 4$^{o}$ districtum judicium ut timeat. Recogita ergo primo beneficium nature qua conditus es, gracie et passionis qua redemptus es, scripture qua eruditus es. Deut. 8$^{vo}$[,5-6]: *Recogites in corde tuo, quia sicut homo erudit* **[62v$^{1}$:]** *filium suum, sic Deus tuus erudiat te, ut custodias mandata ejus.* Contra quod homines hodie faciunt quia in choreis, que nunc frequentius fiunt diebus sacris, est sabbati molacio juxta illud Exo. xx$^{o}$ [20,8]: *Memento ut diem sabbati sanctifices.* Diebus enim sacris non debent homines facere labores serviles.

Sed heu multi per totam hebdomadam non laborant tantum necessaria acquirendo, sicut laborant diebus sacris choreas vanas ducendo, non attendentes quod qui choreas ducunt, nulli sancto vel sancte reverenciam exhibent, immo omnibus contumeliam inferunt. Sicut enim contumeliam facit alicui sancto, qui peccat in loco ei dedicato, sic qui peccat in tempore ei dedicato.

Unde cum nullo tempore festivo timeant choreas ducere, patet eos omnibus sanctis contumeliam inferre, et quia Deus sibi diem dominicam dedicavit, patet quod ei hodie contumelia infertur, quibus eciam multum irascitur. Unde Exo. xxxii[o] [32,19]: Cum vidisset Moises populum ducere choreas et sacrificare vitulo, *iratus valde projecit de manu tabulas et confregit eas ad radicem montis.* Deinde assumptis filiis Levi secum interfecit multa milia hominum.

Ex hoc quod Moises qui erat mansuetissimus hominum qui morabatur in terra, adeo fuit iratus et tantam **[62v[2]:]** vindictam assumpsit de hoc quod populus Dei honorem vitulo impenderet et choreas duxerunt, satis apparet quantum Deus irascitur hominibus choreas ducentibus, quia vera derisio passionis Christi est.

Christus enim expandit manus in magna penalitate in cruce. Isaie lxv[o] [65,2]: *Expandi manus meas tota die in cruce ad populum non credentem, qui graditur via non bona.* Tu vero expandis manus tuas in chorea cum magna vanitate. Job [15,25]: *Extendit adversus Deum manum suam.* Et quod chorea est processio diaboli, signum est quod tendit ad sinistram. Prov. iiii[o] [4,27]: *Vias, que a dextris sunt, novit Dominus. Perverse vero sunt, que a sinistris sunt.*

De hoc refert Gregorius in dialogo de quadam sorore, cui in nocte in visione apparuit beata virgo atque choreas [ducentes] in vestibus albis puellas ei ostendit, quibus cum se admiscere appeteret sed se eis jungere non auderet, beate Marie voce requisita est an vellet cum eis esse et in ejus obsequiis vivere. Cum autem puella diceret: Volo, mandatum protinus accepit **[63r[1]:]** ut nihil ultra leve aut puellare ageret, a risu et jocis et choreis abstineret sciens quod inter virgines, quas viderat, ad ejus obsequium die xxx[a] veniret.

Quibus visis in cunctis suis moribus puella mutata est. Cumque parentes ejus eam mutatam viderent et mirarentur, indicavit quod sibi beata virgo jusserat, et quod die xxx[a] itura esset ad ejus obsequium. Tunc post dies xxv febre corrupta et in die xxx[a], cum hora exitus sui appropinquasset, eandem Dei genitricem cum puellis quas per visionem viderat, ad se venire conspexit. Cui se vocanti respondit et aperta voce bis clamavit: Ecce Domina, venio. In qua voce reddidit spiritum. Per hoc quod puella, que [voluit] processioni beate virginis interesse, mandatum accepit ut a jocis abstineret, satis patet perpendi quod ingressus processionis chorearum prohibeat ab ingressu processionis celestis.

Recogita ergo beneficium Dei et noli esse transgressor mandatorum ejus, quia quid habes, quod a Domino non accepisti? Deut. 4[o][,39-40]:

*Scito et vide et recogita in corde tuo, quod Dominus est Deus, et* **[63r[2]:]** *custodias mandata ejus*. Prov. [3,6]: *In omnibus viis tuis cogita illum.*

2º recogitat homo peccatum ut peniteat. Cum enim tot beneficia recepimus, si mala rependamus ut puta naturam viciamus, graciam abjecimus doctrine non acquiremus necesse ut cum dolore recogitemus. Isaie [38,15]: *Recogitabo tibi omnes annos meos.* Omnes annos dicit contra eos qui vix peccatum precedentis diei ad memoriam volunt reducere, estimantes Deum oblivisci peccatorum quia ipsi obliviscuntur. Non sic Ps. [50,5]: *Peccatum meum contra me semper.* In amaritudine dicit, contra eos qui cum delectacione et gaudio misero morantur. Prov. [2,14]: *Letantur, cum malefecerint, et exultantur rebus pessimis.* Non sic Ps. [37,18-19]: *Dolor meus in conspectu meo semper, quoniam iniquitatem meam ego annunciabo et cogitabo pro peccato meo.* Recogita ergo peccata tua et age penitenciam sine qua, si peccasti, non salvaberis. Unde dicit magister sentenciarum libro 4º d. xiiiio: Vere penitens non est qui confitendi votum non habet. Confessio enim in precepto est, si adest facultas.

Audi, o peccator: Si **[63v[1]:]** toto corde doleres de peccato, si sanguineas lacrimas suderes et si non haberes propositum confitendi, numquam invenires graciam. Prov. xxviiiº [28,13]: *Qui abscondit peccata sua, non dirigeretur. Qui autem confessus fuerit ea, misericordiam* a Domino *consequetur.* Sed dicis: Tam fetida, tam immunda sunt peccata mea ut verecundor dicere ea. Noli hoc dicere, immo quia fetida sunt dic et emundaberis. Isaie xliiiº [43,26]: *Dic tu priores iniquitates ut justificeris.* Propter quod Dominus precepit leproso dicens [Mat. 8,4]: *Vade et ostende te sacerdoti.*

Immo si modo non vis confiteri sacerdoti, omnibus sanctis et toto mundo revelabuntur peccata tua in extremo judicio. Unde [Nah. 3,5]: *Revelabo pudenda tua et ostendam ignominiam tuam regibus.* Noli desperare et dicere cum Cain: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Gen. iiiiº [4,13]. Judas desperans laqueo se suspendit et desperans plus Dominum offendit desperando quam ante tradendo.

Recogita ergo ut prius peccata tua et age penitenciam et audi Dominum per prophetam dicentem [Ez. 18,21]: *In quacunque hora peccator ingemuerit, omnium iniquitatum suarum non recordabor amplius.* Ezech. xviiiº. Si de hoc dubitas **[63v[2]:]** respice David et Mariam Magdalenam, Petrum Christum negantem, Paulum, Longinum qui latus Christi transfixit, qui de multis et magnis peccatis veniam meruerunt. Unde dicitur 4º sentenciarum d. xiiiiº c. 6: Taliter mihi crede,

talis est erga homines pietas Dei ut numquam spernit penitenciam, si ei sincere et saniter offeratur.

De duobus ultimis sc. de incerto tempore exitus et de extremo judicio derelinquitur in presenti. Deus det nobis ista ita cogitare ut cum eo in celesti patria gloriemur. Et tantum de illo.

## Nota quod inferno est

Nota quod infernus est sub terra et habet vii cameras totidem sigillis signatas. Versus: Flamma, gelu, vermes, fetor, caligo, flagellum, larvarum terror, laquei mortisque procella. Hec tibi pro pena servat sine fine jehenna. In prima camera cujus est ignis, si totum mare, quod est in mundo, et omnes aque in unum poni possunt, unam scintillam extinguere non possunt. In qua camera sigillati sunt luxuriosi ubi pena respondet culpe. Unde Salomon [Prov. 20,10 aut Is. 27,8]: In quo quis peccat, in eo punietur *mensura contra mensuram*

2ª camera est in qua tantum est frigus ut quidquid in mundo est, si totum esset ignis, nimiam [minimam?] guttam frigoris non calefaceret. Isti et alii [Apoc. 9,6:] *querent* **[64r¹:]** *mortem et non invenient.* Hic sigillantur increduli et invidi quia tales sunt semper pallidi, quia ex frigore venit pallor, et quia in eis abundat iniquitas refriguit caritas.

In 3ª camera est tanta tenebrositas quod palpari potest. Ibi sigillantur qui omnem intencionem suam avertunt a Deo, qui est lux vera, et quia magis dilexerunt tenebras quam lucem, hii manibus et pedibus ligatis projicientur in tenebras exteriores. Quare ibi? Quia dilexerunt hoc. Illic eciam habebunt tenebras perpetuas, nisi aliquando contingat quod ad oculos vel ad nares flamma exeat, sicut in fornace fit quando pistatur panis.

In 4ª camera tantus est fetor quod si totus mundus esset aromaticus fetorem non compesceret. Ibi sunt sigillati qui quotidie splendide vivunt de rapina et de furto et hujusmodi, qui bene vestiuntur de labore aliorum et devorant sudorem pauperum. Jer. [Is. 33,1]: *Ve qui predaris, tu predaberis,* tu eris preda diaboli qui nunc dejicias pauperes.

In 5ᵗᵃ camera oculi, aures et nares ita implebuntur igne quod ex hiis omnibus foraminibus exibit ignis. Et sic singula membra ardebunt, in quibus peccaverunt, **[64r²:]** quia tunc dicebatur eis: Non extendatis

membra vestra ad illicita, nolite adhibere membra vestra diabolo. Ideo pena respondet culpe quia singula membra ardebunt. [Is. 13,8:] *Unusquisque contra alium stridebit, facies combuste vultus eorum.* Nemo potest melius investigare qualiter sit formatus, nisi per alium. Sicut ubi essent multi mutilati, et unusquisque cognosceret deformitatem suam in conspectu alterius dicens: Ve tibi, sic tu formatus es sicut ille, et ita sicut videt alium combustum in facie, ita plene cognoscit miseriam suam.

In 6[a] camera sunt vermes ut legitur de quodam divite qui descenderat ad infernum. Una nocte veniens tulit sportam magnam plenam vermibus et pulsavit ante januam filii sui dicens: Ecce tuli filio meo de piscibus quibus vescor etc. Tales vermes sunt in inferno, et de hiis tanta est inopportunitas que est inenumerabilis. Unde in evangelio [Mat. 22,13]: *Ligate illis manus et pedes etc.* Ibi erunt illi qui faciunt aliis violenciam, et pena respondet culpe, quia iste est vermis consciencie qui non moritur. Unde vermes materiales corrodunt animam exterius, peccata vero interius.

In 7[a] camera est desperacio. Ibi enim numquam aliqua spes erit quia [Eccli. 41,7?:] *in inferno nulla est redempcio.* **[64v[1]:]** Si enim aliquis sederet supra mare et in calamo guttatim sumeret aquam et si omnem frumentum, quod Deus creavit, poneret in cumulum et post mille annos auferret unum granum, et scire deberet peccator pro certo quod si post ista omnia anima haberet spem salvacionis, videretur ei quod cras esset. Et tantum de illo.

## De sancta trinitate

De hoc tenendum est quod in una substancia sunt 3[s] persone sc. pater, filius et spiritus sanctus. Pater generatur a nullo, filius generatur a patre solo, spiritus sanctus procedit ab utroque sc. patre et filio. Nec tamen pater ante filium nec filius ante spiritum sanctum, semper fuit pater et semper fuit filius et semper fuit spiritus sanctus, et qualiter hoc posset esse, videamus exemplum in igne.

Videmus enim quod carbo ignitus est splendor et calor, tamen una est substancia et unus ignis. Carbo ignitus tamquam pater est, splendor tamquam filius et calor generatur a carbone ignito et a splendore

tamquam spiritus sanctus a patre et filio. Nec tamen carbo ignitus est ante splendorem nec splendor ante calorem, quia statim cum carbo fuit ignitus, splendor et calor fuerunt. Et sic per simile possumus comparare trinitatem. Adhuc possumus sumere exemplum de sole. Videmus autem quod in substancia solis sit splendor et calor. Non tamen est nisi una substancia et unus sol. **[64v$^{2}$:]** Ista substancia est tamquam pater a seipso, splendor tamquam filius generatus a sola substancia solis tamquam a patre, calor tamquam spiritus sanctus procedens a substancia solis et splendore. Nec tamen substancia fuit antequam splendor nec splendor antequam calor, sed quamdiu fuit substancia solis, fuerunt splendor et calor. Et tantum de illo.

Nota. De inferno tenendum est

quod iste locus qui dictus est infernus, est locus corporeus sub terra in quo dampnati cruciantur tam homines quam demones. Quadruplex est iste locus in inferno. Primus locus est inferior, in quo sunt tenebre ac pena sensibilis, et ad istum locum descendunt qui in mortali peccato moriuntur et carent ibi visione Dei.

$2^{us}$ locus est aliquantulum supra et ille vocatur limbus, et est locus puerorum qui moriuntur sine baptismo, et ibi sunt tenebre, quia carent visione Dei et gracia Dei carent, quia numquam videbunt nec habebunt vitam eternam. Tamen ibi non est pena sive cruciatus sive ignis de quo possunt habere penam vel dolorem.

$3^{us}$ locus est magis supra in quo sunt tenebre carentes visione Dei, **[65r$^{1}$:]** quia ibi non videtur Deus, et ibi est pena ignis. Sed iste non est sine gracia et vocatur purgatorium, et illuc descendunt omnes illi qui non compleverunt penitenciam suam sibi pro peccatis suis injunctam, et ibi sunt in igne, donec fuerint bene purgati et propter purgacionem condignam vadunt ad gloriam.

$4^{us}$ locus inferni qui est supremus, est iste ad quem sancti patres descenderunt qui moriebantur in fide et caritate, et in isto loco fuerunt tenebre carentes visione Dei. Nec erant ibi pene sensibiles nec ullum cruciatum sentiebant nec ibi carebant gracia, quia semper sperabant liberari ab isto carcere per passionem Christi. Et tantum de illo.

**Nota de igne purgatorii.**

Augustinus: Levissima pena purgatorii major est quolibet supplicio hujus temporis et gravior quam omne martyrium. Item nescit quid petit, qui purgatorium petit, quia calor universalis illius calori non valet coequari. 4$^{or}$ genera hominum descendunt ad purgatorium. Qui injunctam penitenciam in confessione non servaverunt. Item propter remissionem indebite injunctam. Item qui distulerunt penitenciam usque ad exitum vite sue et ultimo penitent. Item pro venialibus peccatis pro quibus in vita non satisfecerunt.

**Ciprianus:Abusiones xii claustri**

**[65r$^2$:]** Abusio. xii sunt abusiones claustri, quibus tota religio summe corrumpitur sc. prelatus negligens, discipulus inobediens, juvenis otiosus, senex obstinatus, monachus curialis, religiosus causidicus, habitus preciosus, cibus exquisitus, rumor in claustro, lis in capitulo, dissolucio in choro, juxta altare irreverencia. Augustinus libro 5$^o$ de claustris anime. Item xii sunt abusiones seculi sc. sapiens sine operibus, senex sine religione, adolescens sine obediencia, dives sine eleemosyna, femina sine pudicia, dominus sine virtute, christianus contemptuosus, pauper superbus, rex iniquus, episcopus negligens, plebs sine disciplina, populus sine lege. Ciprianus de xii abusionibus. Ridiculosa res ac magis periculosa, speculator cecus, doctor inscius, cursor claudus, prelatus negligens, preco mutus. Gilbertus.

Sap. ii$^o$ [5,6]: Dicunt in inferno dampnati: *Erravimus a via veritatis, et sol intelligencie non est ortus nobis.* Si ergo ceci sumus, debemus rogare Dominum et dicere [Mat. 20,30-31] *Miserere nostri, Domine fili David. Et Dominus: Quid vultis ut faciam vobis. At ille: Domine, ut aperiantur oculi nostri.* Dominus clamat tria, ut ait Hugo de Sancto Victore: Accipe, fuge, time. Accipe quod porrigo, fuge quod prohibeo, time quod comminor. Accipe celum, hoc est enim promissum quod factum est patribus tuis. Clamat 2$^o$: Fuge peccatum. Unde Salomon [Eccli. 21,2]: *Quasi a facie colubri* **[65v:]** *fuge peccatum.* Clamat 3$^o$: Time infernum. Merito timendus est, quia quamcunque animam semel ceperit numquam deserit. Unde Job [Eccli. 41,7?]: *In inferno nulla est redempcio.* Et tantum de illo.

**De turbacionibus seu doloribus beate Marie**

Legitur quod beatus Johannes evangelista multum desiderabat videre beatam virginem Mariam, postquam assumpta fuit in celo. Tandem raptus vidit Jhesum et Mariam mutuo colloquentes ita dicente filio ad matrem: Dic mihi, mater karissima, in quibus magis turbata fuisti pro me in mundo.

Licet Dominus omnia sciret tamen de hiis quesivit. Cui mater: Fili karissime, dico quod tot perturbaciones pro te in corde meo habui quod non memorari potest. Et licet multum turbata fui, tamen precipue in hiis exstiti perturbata: Primo in eo quod Simeon dixit [Luc. 2,35]: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* $2^{o}$modo quando te amiseram $3^{bus}$ diebus, et $3^{io}$ quod te in conspectu indecentium et captivatum cognovi. $4^{to}$ in flagellacione quia [Is. 1,6] *a planta pedis etc.* $5^{to}$ quando vidi te crucem bajulare ab Jherusalem, et maxima pena pre nimio dolore ad terram et pre tristicia cecidisti. $6^{to}$ turbata fui pro te quando in conspectu meo te vidi et in cruce suspendi. $7^{mo}$ turbata fui quando depositus de cruce, recentibus vulneribus et sanguine proprio rubricatus locatus fuisti in sinu meo.

Cum Dominus hoc audisset ab ore sue karissime matris, dixit: Scias nunc, mater karissima, quod eum qui te rogaverit per primam turbacionem, absolvam eum ab omnibus peccatis suis et liberabo eum ab omnibus malis. Qui vero per $2^{am}$ turbacionem te rogaverit, illi dare volo veram contricionem ante mortem suam, perfectam caritatem et amorem. In celo tantam mercedem accipiat, ac si mihi in omni perfeccione vite sue xl annis diligentius servisset. Qui vero per $3^{am}$ te rogaverit, illum liberabo ab omnibus periculis et angustiis mentis, corporis et anime, in quibus captivatus fuerit vel alius amicorum suorum. Illum solvam a captivitate qua tentus est, si pro eo devote rogaverit per captivitatem meam. Qui vero per $4^{am}$ turbacionem te rogaverit, ardere illum faciam igne divini amoris, ita quod mee passionis numquam obliviscatur. Et si ita debilis sit ad mortem suam, quod eandem passionem excogitare non poterit, tamen sibi tantam mercedem dabo. De domina.

**[65Ar:]** Per primum dolorem qui te rogaverit, neque hic dolorem neque in futuro patietur propter gloriam passionis tue. Per $2^{am}$ quia qui recesserit a me tribus diebus sc. multis annis, eum traham iterum ad me. Per $3^{m}$ quia qui captivatus fuerit injuste, eum liberabo a catenis in justicia mea. Per $4^{m}$ quia qui patienter adversa propter te et me sustinuerit, illo dabo sedem glorie. [Mat. 5,10:] *Beati qui etc.* Per $5^{m}$ quia qui speculatur

in sancta cruce mea, illi dabo eandem proteccionem anime sue in morte. Per 6$^{m}$ quia illius peccata omnia per sanguinis sancti mei effusionem tempore mortis ejus delebo. Per 7$^{m}$ quia eum ardere faciam igne divini amoris, ita quod mei amoris numquam obliviscatur.

### De judicio et de purgatio

*Ante judicium interroga teipsum.* Eccli. X4$^{o}$ [18,20]. Videns sapiens quod omnes moriuntur, vult nos paratos esse ad respondendum Deo judicium. Quod debemus nos interrogare, est mors. Unde Philosophus: mors omnium terribilium etc. De tribus debet homo se interrogare ante mortem: De fide, unde apostolus [Hebr. 11,6]: *Sine fide nullus etc.* De temptacione, unde. De circumstanciis peccatorum.

### De commemoracione omnium fidelium[24]

Commemoracio omnium fidelium defunctorum hac die ab ecclesia sermo fieri instituta est ut generalibus beneficiis adjuvemur. Ait quoque Petrus Damianus [quod] sanctus [Odilo?] adeo aperiens [comperiens?] quod apud vulcanam Sicilie crebro voces et ululatus demonum audiebantur plangentium, quod anime defunctorum per eleemosynas et oraciones de eorum manibus eripiebantur, in suis monasteriis ordinavit ut post festum omnium sanctorum fieret commemoracio defunctorum. Quod fuit postea ab omni ecclesia approbatum.

De duobus autem hic specialiter videri potest. Primo de ipsis purgandis, 2$^{o}$ de eorum suffragiis. Circa primum 3$^{a}$ videnda sunt, primo qui sunt qui purgantur, 2$^{o}$ per quos purgantur, 3$^{o}$ ubi purgantur aut qui purgantur. Illorum autem qui purgantur, tria sunt genera: Primi qui satisfaccione sibi injuncta nondum completa decedunt. Verumtamen si tantam haberent cordis contricionem que sufficeret ad delendum

[24] This sermon and the exempla are from Jacobus de Voragine:Legenda Aurea

peccatum, liberi ad vitam transirent. 2[i] qui in purgatorio descendunt, sunt qui satisfaccionem quidem injunctam compleverunt, sed tamen illa pena ignorancia vel negligencia sacerdotis sufficiens non fuit. Hii enim, nisi magnitudo contricionis suppleat, totum in purgatorio complebunt. 3[ii] qui in purgatorio descendunt, sunt qui lignum, fenum, stipulam secum ferunt qui sc. circa suas divicias in fraudem Domini carnali tenentur affectu, affecciones enim carnales, quibus dediti sunt domibus, conjugibus, possessionibus, ita tamen ut nil Deo preponunt.

Circa 2[m] per quos purgantur, sciendum quod purgacio vel punicio fit per malos angelos et non per bonos. Sed boni angeli non vexant bonos, sed boni [mali?] malos. Circa 3[m] ubi purgantur sciendum est quod purgantur quodam loco juxta infernum posito, **[65Bv:]** qui purgatorium dicitur secundum posicionem plurimorum sapientum, licet in aliis videatur in aere vel in torrida zona. Sed tamen per divinam dispensacionem diversa loca diversis animabus aliquando deputantur. Et hoc multiplici de causa sc. aut propter eorum levem punicionem aut propter eorum celeriorem liberacionem aut propter nostram instruccionem aut propter culpe in loco perpetracionem aut propter alicuius sancti oracionem.

### Nota tria genera hominum descendunt ad limbum

Nota tria genera hominum descendunt ad limbum patrum, sc. primo pueri non nati in utero matris, pueri nati et non baptizati, pueri nati et non rite baptizati.

Exemplum de cognato episcopi liberato a penis ii milium annorum per celebracionem in diocesi a singulis presbiteris per ii annos. 2[m] exemplum de duabus animabus in purgatorio existentibus et de novo puero uno.[25]

Versus: Missa, preces, dona, jejunia, 4[or] ista. Exemplum 2[m] de una anima in purgatorio existente liberata per nativitatem unius pueri ad officium sacerdotale promoturi. 3[m] de glacie. Machab. xii. [2.Machab.l 12,43].

Exemplum 2[i] habetur in libro Machabeorum de Juda qui misit xii argenteos Jherusalem offerre ea ibi pro peccatis mortuorum etc. Exemplum 3[ii] patet de rustico ad cimiterium fugiente propter adversarios. Exemplum 4[i] sc. quod jejunium prodest animabus in purgatorio existentibus patet per diversos.

[25] The same stories f. 210v.

**[65Cr:]** Nota si propter eorum levem punicionem et eorum celeriorem liberacionem, ut sc. possint aliis suam indigenciam revelare et ab eis suffragia petere et sic celerius de pena exire. Unde exemplum habemus quod quidam piscatores beati Theobaldi in autumpnu frustum magnum glaciei pro pisce prendiderunt, de quo magis gavisi sunt quam de pisce, maxime quia episcopus in dolore pedum laborabat. Require illud miraculum in brevilogo.

Item si propter nostram instruccionem. Exemplum habemus qualiter Parisius contingebat cuidam magistro nomine Cislo etc. Require illud miraculum presentem[?] tamen solum cum aliis miraculis de eadem materia spectantibus.

Item si propter culpe in loco perpetracionem. Unde Augustinus: Anime puniantur in locis in quibus deliquerunt, sicut patet per istud exemplum quod dicit Gregorius: Quidam namque presbiter, dum balneum frequentaret, quendam virum incognitum ad suum obsequium invenit preparatum, qui semper sibi et sedule ministrabat. Qui cum quadam die pro benediccione et laboris mercede quendam panem benedictum sibi exhiberet, ille merens respondit: Mihi ista quare des, pater? Iste panis sanctus est. Ego autem manducare non possum. Ego enim hujus loci dominus fui, sed pro culpis meis hic post mortem deputatus sum. Sed queso ut omnipotenti **[65Cv:]** Deo hunc panem pro peccatis meis offeras. Tu autem te exauditum esse cognosce, cum huc ad lavandum veneris et me minime inveneris. Presbiter autem per unam hebdomadam salutarem hostiam pro eo quotidie obtulit et reversus jam eum minime invenit.

Item legitur aliud miraculum. Magister enim Cislo quendam scolarem socium egrotantem obnixe rogavit ut post mortem ad se rediret et statum suum sibi renunciaret. Post aliquot igitur dies sibi apparuit cum cappa de pergameno tota sophismatibus plena scripta et intus flamma ignis tecta. Qui requisitus a magistro, quisnam esset, ait: Ille utique sum qui ad te venire promisi. Qui requisitus de statu suo pene ait: Hec cappa super me plus pondit et plus me premit, quam si unam turrim super me haberem, et est mihi data ut eam portem pro gloria quam in sophismatibus habui. Porro flamma ignis qua cooperta est, pelles sunt delicate et varie quas ferebam, que flamma me cruciat et exurit.

Sed cum magister illam penam facilem indicaret, dixit ei defunctus ut manum extenderet et sic facilitatem pene sue sentiret. Cum manum extendisset, unam guttam sui sudoris dimisit, que manum magistri citius

quam sagitta perforavit ita, quod cruciatum mirabilem sensit. Et ait: Talis sum totus. Ille igitur magister ex ejus pene acerbitate perterritus seculum deliberavit deserere et religionem intrare. Unde mane scolaribus congregatis hos versus composuit. Versus: Linquo choax ranis, cras corvis vanaque vanis, ad loycam pergo, que mortis non timet ergo. Et sic deserens ad religionem confugit.

## De inferno, diabolo, judicio

**[66r:]** Nota quod igne infernali, quantum distat ignis pictus ab igne materiali, pre nimio calore ejusdem ignis violencia tanta est, quod si totum mare influeret, minimam scintillam non extingueret. Ille ignis debitur furibus, latronibus. Perjuris debetur frigus intolerabile. Job [24,19]: *Transivit ab aquis in nimium calorem* et non in transitu ullum habuit refrigerium. Homicidis debetur mallei ignei percutientes corpora eorum. Isaie [54,16]: *Ego creavi fabrum sufflantem prunas in igne et proferentem vas in opus suum.*

Videt[?] qualis est diabolus. Scit enim diversa vasa fabricare, alium facit homicidam, alium perjurum, alium fornicatorem, alium adulterum, alium usurarium. Histrionibus, lusoribus, patatoribus, censatoribus debetur fetor intolerabilis. Usurariis et avaris debetur bulicio picis et sulphuris. Iniquis judicibus vincula singulorum membrorum, judeis, hereticis, desperatis ascensio ignee columpne. Postea visio demonum omnibus sceleratis est communis. Isaie [13,8]: *Unusquisque ad alium stupebit, facies eorum combuste.*

Item nota quod in die judicii tres voces habebunt peccatores, quibus miseriam suam plorabunt. Primomodo triplex A, A, A. $2^{o}$ triplex Ve, Ve, Ve. $3^{o}$ triplex O, O, O. Primam vocem habebunt juxta locum sepulchri, $2^{am}$ in audicione judicii, $3^{am}$ in eundo infernum. Cum de sepulchro singulariter dicunt A, A, A propter triplicem infirmitatem sc. cogitacionis, locucionis et operacionis, quia quando vixerunt, malum cogitaverunt et non contriti nec penituerunt, malum locuti fuerunt et non confessi fuerunt, operibus malis usi sunt et non bonis. Ante mortem non [se] emendaverunt et ita decesserunt.

**[66v:]** Cum ad judicium ducentur dicent ter Ve. Primum Ve in visione Dei. Mallent enim reprobi omne tormentum supplicii retinere quam in die judicii videre faciem judicis irati. $2^{m}$ Ve in peccatorum exprobracione, $3^{m}$ Ve in malediccione, cum peccator traditur demonibus cum corpore et anima ad puniendum. Tunc dicit peccator [Job 3,3]: *Pereat dies, in qua natus sum.* [Jer. 20,14:] *Maledicta sit ista hora, in qua concepit me mater mea.* Tunc maledicit filia matri sue et filii patribus suis. Heu, heu, heu, quod tam infelices pueros genuistis.

Terciam vocem habebunt in introitu inferni dicentes ter O, O, O propter pene magnitudinem, propter multitudinem, propter diuturnitatem. [Exo. 3,2:] *Dominus in flamma ignis,* cum [1.Cor. 15,52] *canet tuba.* Chrisostemus: Vere magna vox tube et terribilis, cui omnia obediunt

elementa. Ad hanc vocem resurgant mortui, astra caligabunt, sol obscurabitur, stelle cadent de celo. Ideo dum de die judicii cogito, toto corde contremisco. Bernardus:[26] Sive comedo sive bibo vel quidquid operis facio, semper intonat auribus meis ista terribilis vox tube: Surgite mortui et venite ad judicium. Quo fugiat peccator? Ista hora fugiet ad celum non quare ut dicitur [Ps. 138,8]: *Si ascendero in celum, tu illic es, si descendero ad infernum, ades.*

Tunc peccator potest dicere ad beatam virginem querens auxilium de ea: O dulcissima Domina, ubi a facie ejus vel hujus tempestatis abscondar? Sub umbra alarum tuarum sperabo ut transeat iniquitas. O homo, securus habes accessum ad creatorem tuum. Habes matrem, habes filium ante matrem, cum ostendit nato ubera, postea ostendit filius matri [patri] vulnera. Bernardus: Si singulis diebus quibus dampnatus fleret unam lacrimam in inferno, plus exiret aqua per oculos unius dampnati quam omnia vasa hujus mundi capere possent. Tantum de illo.

[26] This quotation is usually referred to St. Jerome fol.177r, but fol. 307r to St. Augustine

## Incipit tractatus de arte moriendi[27]

Cum de presentis exilii miseria mortis transitus propter moriendi impericiam multis non solum laicis, verum eciam religiosis atque devotis difficilis est nimis multumque periculosus, immo eciam terribilis et horribilis, valde periculosum videatur, ideo presens materia, que de arte moriendi est, que brevis exhortacionis modus est circa eos qui in articulo mortis sunt constituti. Hic mentis intuitu est subtili consideracione notandus atque perpendendus eo quod modus ille generaliter omnibus catholicis ad artem et noticiam bene moriendi conquirendam plurimum valere et prodesse potest.

Continet autem ista materia 6 particulares quarum prima est de laude mortis et sciencia bene moriendi, 2ª continet temptaciones morientium, 3ª interrogaciones, 4ª quandam instruccionem cum obsecracionibus, 5ª continet oraciones dicendas super agonizantes ab aliquo assistentium caro et fideli.

Prima pars de arte moriendi. Cum omnium terribilium mors corporis sit terribilissimum ut Philosophus 3º Ethicorum ait, mors anime tanto est terribilior atque detestabilior, quanto anima corpore est nobilior atque preciosior. Dicente propheta [Ps. 33,22]: *Mors peccatorum pessima.* Sed econtrario eodem propheta attestante [Ps. 115,15]: *Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus,* qualitercunque eciam morte corporali moriuntur. Non solum autem preciosa est mors sanctorum, verum eciam aliorum justorum bonorumque christanorum, immo et peccatorum quantumcunque malignorum vere contritorum et in vera fide atque in unitate sancte matris ecclesie morientium secundum illud Apoc. [14,13]: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur,* propter quod eciam ait divina Sapiencia capitulo 4º[,7]: *Justus autem, si morte preoccupatus fuerit, in refrigerio erit.*

Si tamen mortuus in temptacionibus atque in aliis in agonia mortis sibi necessariis constanter atque prudenter se tenuerit atque rexerit quemadmodum in sequentibus manifestatur. Et ideo de morte bonorum dumtaxat quidam sapiens sic ait: Mors nihil aliud est quam exitus de carcere, finis aliquando, disposicio **[67v:]** oneris gravissimi sc. corporis, omnium egritudinum curacio, omnium periculorum evasio, omnium malorum consuppressio, omnium vinculorum disrupcio, debiti naturalis resolucio, reditus in patriam, egressus in regnum.

---

[27] By Dominicus de Capranica

Unde Eccles. [7,2] dicitur: *Melior est dies mortis die nativitatis*, quod nimirum de bonis et electis tantummodo est intelligendum, quia malis et reprobis nec dies nativitatis nec dies mortis bona dici potest. Quapropter cum bonus christianus, immo eciam peccator quilibet vere contritus et fidelis de mortis periculo eciam qualicunque de causa sibi illato non debet contristari neque perturbari nec ipsam mortem pertimescere. Sed sponte ac voluntarie cum mentis racione mortem suam in hac re suscipiat voluntatem suam plenarie divino confirmans atque committens voluntati ut tenetur, si tamen bene et secure hinc egredi voluerit atque mori.

Quodam sapiente sic dicente: Bene mori est libenter mori, cum igitur ex debito atque jure naturali omnis mori necesse sit, immo et omnis oporteat, quando et qualiter ubi Deus omnipotens voluerit. Cumque ipsius Dei voluntas semper et ubique bona sit, justa atque recta, Cassiano testante in libro collacionum: Fidelissimus Deus omnia, que videntur vel adversaria vel prospera, pro nostris utilitatibus dispensit.

Idcirco mortem ipsam voluntarie et libenter absque murmure et contradiccione ex mentis racione bene disposite, quando Deus voluerit, debemus acceptare. Unde Seneca: Notas non culpas quod immutare non vales. Preterea homo christianus qui bene et secure mori voluerit, necesse existit ei ut mori sciat. Scire autem mori, ut quidam sapiens ait, est paratum cor habere et animum omni tempore ad superna, ut quandocunque mors veniat, inveniat eum paratum ut absque omni retraccione eum recipiat, quasi qui socii dilecti adventum desideratum exspectavit. Hec ille.

Hec est sciencia utilissima, in qua religiosi precipue magis quam seculares sine intermissione quotidie atque continue studere debent, ut eam veraciter apprehendunt, presertim cum religiosus status idipsum exigat et requirat, quamquam eciam quilibet secularis clericus et laicus sive ad moriendum dispositus ac paratus fuerit sive non, nihilominus obedire debet, quando ei a Deo mandatur. Debet itaque non solum religiosus, verum eciam quilibet christianus bonus et devotus qui bene et secure mori desiderat, **[68r:]** taliter vivere et sic se habere ut omni hora, quando Deus voluerit, mori possit. Nam ita vitam debet habere in patiencia et mortem in desiderio. Exemplo Pauli apostoli qui dicit [Phil. 1,23]: *Cupio dissolvi et esse cum Christo.* Hec de sciencia moriendi breviter dicta sufficiunt pro presenti. Igitur pro nunc de temptacionibus morientium erit dicendum.

Capitulum 2$^{m}$ de temptacionibus. Sciendum autem quod morituri in extremis graviores habent temptaciones, eciam tales quales numquam in vita sua habuerunt. Sunt autem hujusmodi temptaciones 2 principales, quarum prima est de fide eo quod fides totius salutis est fundamentum. Teste apostolo qui ait [1. Cor. 3,11]: *Fundamentum aliud nemo potest ponere.* Unde Augustinus: Fides est omnium bonorum fundamentum et humane salutis inicio. Et ideo dicit apostolus [Hebr. 11,6]: *Impossibile est sine fide placere Deo.* Unde Johannes 3$^{0}$[,18]: *Qui non credit, jam judicatus est.* Unde ergo talis tantaque in fide consistit vis ut sine ea nullus salvus esse potest. Ideo diabolus totis viribus hominem in extremis ab ea totaliter avertere nititur vel saltem ad deviandum in ea hominem decipere laborat.

Bonus autem christianus non solum principales fidei articulos, verum eciam toti sacre scripture in omnibus et per omnia credere tenetur, ad minus implicite, et eciam sancte romane ecclesie statutis subjectus esse et in hiis firmiter permanere atque mori. Alioquin quam cito in aliquo premissorum errare incipit tam cito deviat a via vite et salutis. Sciendum tamen indubie quod in temptacione ista atque aliis subsequentibus diabolus nulli omnino, quamdiu liberum arbitrium usumque bene disposite racionis habuerit, nisi ei sponte consenserit, aliquando poterit prevalere.

Nequaquam bonus catholicus diaboli illusiones terroresque atque persuasiones omnes timere debet, quia [Joh. 8,44] *mendax est et pater ejus*, attestante veritate. Sed firmissime in vera fide ac sancte matris ecclesie unitate viriliter perseveret atque moriatur. Est autem utile et bonum, sicut in quibusdam locis et regionibus fieri solet, ut symbolum fidei circa agonizantes alta voce dicatur pluriesque repetatur, ut per hoc infirmus ad fidei constanciam animetur, et ab eo demones, qui **[68v:]** illud audire nequnt, elongentur.

Porro ad vere fidei constanciam eciam principaliter animare debet infirmum fides antiquorum fidelium sc. Abrahe, Isaach et Jacob. Similiter fides gentilium ut Jacob, Rahab meretricis, Achior et similium, necnon fides apostolorum ac innumerabilium martyrum, confessorum atque virginum. Nam per fidem omnes antiqui et moderni Deo placuerunt, et sine ipsa Deo non ut supra [Hebr. 11,6]: *Impossibile est etc.* Item ad idem inducere debet infirmum duplex utilitas fidei. Una est quia vera fides omnia potest teste Domino Jhesu Christo in evangelio qui ait [Marc. 9,22]: *Omnia possibilia sunt credenti.* Alia est quod vera fides

omnia impetrat sicut idem Dominus ait [Marc. 11,24]: *Quidcunque orantes petitis, credite et accipietis.*

Capitulum adhuc 2^m^ de desperacione. Secunda temptacio est desperacio, et hec est contra spem atque confidenciam quam homo debet habere in Deum. Cum enim infirmus doloribus cruciatur in corpore, tunc diabolus dolorem dolori superaddit objiciendo sibi peccata sua modis omnibus quibus potest, ut eum ad desperacionem inducat. Eciam secundum Innocencium papam, 3^o^ libro 3^o^ de utilitate [vilitate?] condicionis humane quilibet homo tam bonus quam malus, antequam anima ejus de corpore ejus egrediatur, videbit Christum in cruce positum, bonis ad consolacionem et fidei confirmacionem propter opus redempcionis, malis in confusionem ut erubescant se fructum redempcionis non habere.

Sciendum insuper quod diabolus presertim homini peccata non confessa, que commisit, in agone representat ut eum sic in desperacionem trahat. Sed tamen nullus propter hoc de venia debet desperare. Eciam si tot latrocinia, furta et homicidia perpetrasset, quot sunt gutte maris et arene, eciam si de eisdem numquam aliquam egisset penitenciam, nec de ea confessus fuisset nec eciam ad confitendum ea haberet voluntatem, nihilominus desperare non debet. Nam in tali casu sufficit vera contricio interior. Teste Ps. [50,19]: *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.* Et Ezechiel ait [18,21]: *Quacunque hora peccator ingemuerit, salvus erit.* Unde **[69r:]** Bernardus ait: Major est Dei pietas quam quevis peccatoris iniquitas. Et Augustinus super Marcum ait: De venia desperandum non est, dum homo est in hac vita. Solum enim desperacionis crimen est, quod mederi et sanari non potest.

Unde et idem Augustinus: Non nocent mala preterita, si non placent. Nullus igitur desperare debet, eciam si solus totius mundi peccata commisisset. In casu eciam, quo sibi constaret quod diabolus dampnatos suscipiat, nullatenus tamen propter hoc desperandum est eo quod desperacio nihil aliud agit, nisi per eam piissimus Deus multo magis offenditur et peccata alia fortius aggravantur, pena quoque eterne usque ad infinitum augmentatur.

Proinde ad veram confidenciam infirmus considerat et precipue de disposicione et passione sancte crucis, de qua dicit Bernardus: Quis non rapietur ad spem vel ad impetrandam fiduciam, si attendit in cruce Christi disposicionem. Unde caput inclinatum ad osculandum, brachia extensa ad te amplexandum, manus perforatas ad largiendum, latus autem apertum ad diligendum, totiusque corporis extensionem ad se

totum impendendum. Hic iste nullo ergo modo quisque desperare debet, sed in Deo plenarie confidere, nam hec virtus valde est laudabilis magnique meriti coram Deo. De qua hortatur apostolus dicens [Hebr. 10,35]: *Nolite amittere confidenciam vestram, que magnam habet remuneracionem.*

Propterea nullus peccator quantumcunque magnus de venia desperare non debet. Exemplum habemus evidentissimum in Petro apostolo Christum negante, in Paulo Christum persequente, in Matheo et Zacheo publicanis, in Maria Magdalena peccatrice et in muliere [in] adulterio comprehensa, in latrone pendente juxta crucem Christi, in Maria Egyptiaca, nec non in multis peccatoribus facinoratis atque sceleratis.

De 3[a] temptacione sc. impatiencia. Tercia temptacio est impatiencia que est contra caritatem, in qua tenemur Deum diligere super omnia. Nam morituris maximus dolor accidit hiis, **[69v:]** precipue qui non morte naturali moriuntur, que rara est sicut manifeste docet experiencia, sed frequenter ex accidentibus puta febre vel apostemate vel alia infirmitate gravi vel afflictiva dissolvuntur. Que quidem infirmitas plerosque et precipue ad mortem disposito invite morientes ac defectum vere caritatis habentes adeo reddit impatientes atque murmurantes, ut plerumque ex nimio dolore et impatiencia amentes videantur et insensati ut sepe visum est in multis. Ex quo vere constat quod tales utique in vera deficiunt caritate. Teste Johanne qui ait: *Si quis cum dolore egritudinem vel mortem suscipit, signum est quod Deum sufficienter non diligit.*

Necesse ergo est homini qui mori bene voluerit, ut in qualibet infirmitate quantocunque afflictiva, longa vel brevi, ante mortem vel in morte non murmuret. Teste Gregorio in moralibus: Justa sunt omnia que patiuntur. Et ideo valde injustum est si de justa passione murmuramus. Quidquid sit, esto patiens secundum idem Luc. xxi[o] [21,19]: *In patiencia vestra possidebitis animas vestras.* Nam sicut per patienciam anima possidetur atque custoditur, sic per impatienciam atque murmuracionem perditur et dampnatur. Teste Gregorio in homelia qui sic ait: Regnum celorum nullus murmurans accipit, quia ut dicit Albertus Magnus de vera contricione:Vere contritus ad omnem afflictionem infirmitatum sc. quod aliis infirmis accidit, letanter se offert ut hec offensa Deo digne satisfacere posset.

Quanto magis infirmus quisquis suam propriam infirmitatem sentit sine comparacione leviorem, debet patienter et libenter sustinere, presertim et cum infirmitas ante mortem sit quasi quoddam purgatorium, cum toleratur ut oportet, quando sc. patienter et libenter cum gratitudine

toleratur. Nam secundum Albertum non **[70r:]** potest omnino fieri salvus, ideo *caritas vera patiens est atque omnia suffert,* teste apostolo [1.Cor. 13,4], ubi studiose notandum atque ponderandum extat, quod qui debet omnia nihil penitus excipit. Igitur corporis egritudines sine murmure, difficultate et mentis racione tolerande sunt. Unde Augustinus: Amanti nihil difficile neque impossibile.

De 4[a] temptacione sc. complacencia. Quarta temptacio est sui ipsius complacencia que est superbia spiritualis, per quam diabolus devotis et religiosis atque perfectis magis est molestus. Cum enim ad deviandum a fide aut ad desperacionem vel impatienciam non potest inducere, tunc aggreditur eum per sui ipsius placenciam tales in eum mittens cogitaciones: O quam firmus es in fide, quam fortis es in spe et quam constans in patiencia, o quam multa bona operatus es et hujusmodi. Contra hoc dicit Isidorus: Non te arroges, non te jactes, non te insolenter extollas, nihil de te presumas, nihilominus tibi tribuas. Nam tanta potest esse sui ipsius complacencia, ut per hanc homo dampnaretur.

Unde Gregorius: Quis reminiscendo bonum quod gessit, dum se caput erigit, apud auctorem humilitatis cadit. Debet igitur moriturus esse cautus, dum per superbiam sentit se temptari, ita ut se tunc humiliet atque deprimat sua peccata recogitando. Et quod ignorat an odio vel amore. Si dinoscit, ne autem desperet, debet nihilominus cor suum ad Deum erigere per spem, Dei misericordiam, que est super omnia opera ejus, cogitando atque ponderando. Et quod fidelissimus Deus qui est veritas ineffabilis, jurando per prophetam repromiserat dicens [Ez. 33,11]: *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat.* Imitetur itaque homo sanctum Anthonium, cui dixit diabolus: Anthoni, tu me vicisti. Cum enim volui te exaltare tu te deprimis. Et cum te volui deprimere tu te erigis. Sic ergo faciat unusquisque sive sanus sive infirmus, et victus est diabolus.

5[a] temptacio est rerum temporalium nimia occupacio. Quinta temptacio est nimia occupacio circa temporalia, que magis seculares atque carnales infestat. Est nimia occupacio rerum temporalium atque exteriorum, circa uxores et liberos et amicos carnales, **[70v:]** divicias atque alia, que in vita inordinate dilexerunt. Nam qui bene et secure tempore mortis mori voluerit, debet omnia temporalia et exteriora similiter atque totaliter postponere et se Deo totum et plenarie committere. Unde Skotus super libro 4[o] sentenciarum dicit: Si quis infirmus, cum se jam videt moriturum, vult mori et plene consentit in mortem, ac si eam per se eligisset, penam mortis sic patienter suscitando

satisfaciat pro omnibus peccatis venialibus, immo aufert aliquid ad satisfaciendum pro mortalibus.

Quapropter valde utile est atque omnino necessarium in tali necessitatis articulo voluntatem suam per omnia divine conformare voluntati ut oportet. Raro autem secularis aliquis vel carnalis eciam religiosus vult se ad mortem disponere sed, quod deterius est, quia de hac re quidquam audire non vult, eciam cum jam ipso facto agonizans sperans se evadere, et hoc in re vera periculosissimum atque absurdissimum est in homine christiano.

Unde dicit Cantor Parisiensis: Notandum vero quod diabolus in omnibus predictis temptacionibus hominem nequaquam cogere potest, nec eciam ei aliquatis prevalere ut sibi consentiat, quamdiu usum racionis habuerit, nisi sponte ei voluerit consentire. Quod certe non solum bono christiano, verum eciam cuilibet peccatori quantumcunque magno. Unde apostolus [1.Cor. 10,13]: *Fidelis Dominus, qui non patietur vos temptari super id, quod potest, possit sustinere.* Ubi Glosa sic dicit: Fidelis est Deus sc. verax in promissis, qui dat nobis resistere patienter, utiliter et perseveranter. Dat potenciam ne vincamur, dat constanciam ne [ut?] vincamus, facit proventum sc. virtutis augmentum ut possitis sustinere, ne deficiatis sed vincatis, quod fit per humilitatem. Unde Augustinus: Illi non crementur in fornace, qui non habet ventum superbie. Humiliet igitur se homo peccator sub potenti manu Dei, ut victoriam obtinere poterit et divinum auxilium in omni temptacionum egritudine malarum et dolore usque ad mortem exclusive.[?]

Deinde sequitur que fieri debent a morituris, dum adhuc habent usum racionis et loquendi potestatem. Quia si quis minus dispositus fuerit ad moriendum, de meliori informetur atque in eodem confortetur. Debent autem interrogaciones iste secundum Anselmum **[71r:]** episcopum fieri isto modo: Primo sic queratur presbiter: Letaris quod in fide christiana moriaris? Respondet: Eciam. Presbiter: Penitet te non tam bene vixisse sicut debuisses? Respondet: Eciam. Presbiter: Habes voluntatem te emendandi ammodo, si spacium vivendi haberes? Respondet: Eciam. Presbiter: Credis Christum Dominum sua sanctissima morte pro omnibus peccatis totius mundi satisfecisse et per virtutem mortis sue omnia peccata deleri? Respondet: Credo firmiter. Credis ipsum tibi dolenti et contrito de peccatis tuis omnem offensam, sicut latroni in cruce pie indulsit, indulgere? Credo. Credis te eciam non posse nisi per mortem ejus salvari? Respondet: Credo. Agis ergo Deo gracias

et hoc toto corde? Respondet: Ago. Eciam in mente et anima tua ei semper gracias agas.

In hac ergo sola morte solamen et fiduciam tuam constitue et in nulla alia re fiduciam habens. Huic eciam morti totum te committe, hac morte totum te contege, huic morti totum te involve, et si te Dominus voluerit judicare, dic: Mortem Domini mei Jhesu Christi abjicio inter te et me, et judicium tuum aliter tecum non contendo. Sed si dixerit: Merueris dampnacionem, dic: Mortem Domini mei Jhesu Christi abjicio inter me et mea mala merita, ipsiusque dignissimum passionis meritum offero pro merito, quod ego habere debuissem sed heu non habeo. Dicat iterum: Mortem Domini nostri Jhesu Christi pono inter me et iram tuam. Deinde dicat ter: In manus tuas Domine etc. Et illud ipsemet dicat quod, si non potest loqui, dicant conventi vel astantes: In manus tuas etc. Et securus morietur nec videbit mortem eternam seu dampnacionem.

Porro cum interrogaciones predicte solum personis religiosis atque devotis competere atque perficere videantur, debent tamen omnes christiani sive seculares sive regulares secundum Cancellarium Parisiensem modo subsequenti de suo statu salubrius in agone certius atque clarius inquiriri atque informari. Et primo sic: Credis omnes principales articulos fidei et insuper toti sacre scripture per omnia articuli fidei secundum sanctorum catholicorum atque orthodoxorum sancte ecclesie doctorum exposiciones? Et detestaris omnes hereses, errores atque supersticiones ab ecclesia reprobatas? Et letaris insuper, quod in fide Christi et sancte matris ecclesie unitate moriaris?

**[71v:]** 2$^{o}$ queratur sic: Recognoscis te creatorem tuum sepe et multipliciter atque graviter offendisse? Nam Bernardus super Cantica sic ait: Scio neminem absque Dei et sui cognicione salvari. De qua cognicione nimirum[?] hominibus mater salutis humilitas oritur et timor Domini, quia ipse est inicium sapiencie et salutis. Nam si ignoras te non habere timorem Domini in te nec humilitatem, nec eciam sine cognicione spes est salutis, nec eum poteris amare quem ignoras. Debet ergo ex toto corde dolere de omnibus peccatis contra Dei majestatem, amorem atque bonitatem commissis et bonis omissis et graciis neglectis, non solum timore mortis vel pene cujuscunque, sed magis amore Dei et justicie et ex caritate, qua tenemur Deum super omnia diligere. Et petis, frater, super omnia veniam a Deo? Optas insuper cor tuum illuminari ad oblitorum cognicionem, ut de eis valeas specialiter penitere.

3$^{o}$ proponis te veraciter emendare si supervivere debes, et numquam plus peccare mortaliter scienter ac ex proposito, sed potius omnia

quantumcunque cara dimittere, immo eciam corporalem vitam perdere antequam Deum plus velles offendere? Rogas insuper Deum ut det tibi graciam hoc propositum abstinendi a peccatis, si supervivere deberes.

4° indulges ex toto corde omnibus, qui umquam aliquid nocumentum verbo vel facto tibi intulerunt atque offenderunt, ex amore Domini nostri Jhesu Christi, a quo et tu veniam speres? Petis eciam finaliter tibi indulgeri et remitti ab hiis, quos offendisti quovis modo?

5° si vis injuste ablata restituere integraliter juxta tuarum rerum facultatem, si valueris, et ad omnium bonorum cessionem atque renunciacionem, ubi alias satisfaccio fieri non valeret?

6° queratur sic: Credis, frater, quod propter te mortuus est Christus, et quod alius salvare te non potest nisi per meritum ejus passionis? Et agis eciam de hoc Deo gracias ex toto corde **[72r:]** quantum valeas?

Quicunque igitur ad predictas interrogaciones ex consciencia et eciam fide non ficta bene poterit affirmative respondere, satis evidens argumentum salutis est, si sic decesserit quod sit de numero salvandorum. Quisquis vere de premissis ab alio interrogatus non fuerit, presertim cum satis pauci sunt atque rari qui artis hujus scienciam habent, tamen sic intra se quis interroget subtiliter considerando, an taliter sit dispositus ut refertur eo quod absque tali disposicione homo periculose moriatur. Qui autem sic dispositus est ei salus[?] ut jam dictum est, et se totum passioni Christi recommendet et continue, inquantum posset et infirmitas manserit, eam ruminet atque meditetur. Nam per hoc omnes diaboli temptaciones et insidie maxime superantur.

Cum secundum Gregorium omnis Christi accio nostra est instruccio, idcirca ea que Christus in cruce moriens fecit, eadem cuilibet morituro pro suo modulo atque possibilitate in extremis extant facienda. Fecit autem Christus in cruce quinque: Oravit enim nam dicitur orasse psalmos istos: [Ps. 21,2]: *Deus, Deus meus, respice in me,* et sequentes novem versus usque ad istum versum inclusive [Ps. 30,6]: *In manus tuas, Domine etc.* Flevit teste apostolo. Item clamavit et animam patri commendavit atque spiritum tradidit ut testantur evangeliste. Sic et infirmus et in mortis articulo constitutus orare debet saltem corde, si non potest voce, petendo salutem.

Unde Isidorus: Melius est cum silencio orare corde sine sono vocis quam sono verborum sine intuitu mentis. Ideo debet clamare fortiter solum corde et non voce. Plus enim attendit Deus cordis desiderium quam clamorem vocis. Nam corde clamare non est aliud quam remissionem peccatorum et vitam eternam fortiter desiderare. Et plorare

debet infirmus, non tantum oculis carnalibus sed et lacrimis cordis sc. vere penitendo. Et animam Deo commendet dicens: In manus tuas, Domine, etc. Hoc fecit Christus 4$^{to}$ modo.

**[72v:]** 5$^{to}$modo spiritum tradidit patri. Sic eciam faciat peccator ut videlicet voluntarie moriatur voluntatem suam in hoc divine conformans voluntati ut oportet. Proinde quamdiu agonizans loqui et usum racionis habere poterit, sequentes dicat obsecraciones modo quo poterit meliori: O summa divinitas, immensa bonitas, clementissima atque gloriosissima trinitas, miserere mihi peccatori. Tibi enim commendo spiritum meum. Dulcissime et amantissime Domine Jhesu Christe, fili Dei vivi, ob amorem et virtutem tue beatissime passionis jube me recipi intra numerum electorum tuorum. Salvator et redemptor meus, reddo me totum tibi, et non me renuas. Ad te venio, et mea venia non repellas.

Item dicat infirmus: Domine Jhesu Christe, paradisum tuum postulo non ob valorem meritorum meorum, cum sum pulvis et cinis et peccator miserrimus, sed in virtute et in efficacia tue sanctissime passionis, per quam me miserrimum redimere voluisti. Et mihi paradisum tuum sanguine tuo precioso emere dignatus es. Item pluries dicat repetendo vel ad minus ter istum versum [Ps. 106,14]: *Disrupisti, Domine, vincula mea.* [Ps. 115,17:] *Tibi sacrificabo hostiam laudis et nomen Domini invocabo.* Nam iste versus secundum Cassiodorum tante virtutis creditur ut peccata homini dimittantur.

Et possunt utique insimul dici salubriter hii versus septem de psalterio sc. [Ps. 12,4-6]: *Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus: Prevaluit adversum eum. Qui tribulant me, exultabunt, si motus fuero. Ego autem in misericordia tua speravi*. [Ps. 30,6:] *In manus tuas etc.* [Ps. 38,5:] *Locutus sum in lingua mea: Notum fac mihi, Domini, finem meum.* [Ps. 85,17:] *Fac mihi, Domine, signum in bono, ut videant, qui oderunt me, et confundantur, quoniam tu, Domine, adjuvisti me et consolatus es me.* [Ps. 106,14:] *Disrupisti vincula mea.* [Ps. 115,17:] *Tibi sacrificabo* [73r:] *hostiam laudis et nomen Domini invocabo.* [Ps. 141,5-6:] *Periit fuga a me, et non est qui querat animam meam. Clamavi ad te, Domine, dixi: Tu es spes mea, porcio mea in terra viventium.* Item dicat: Domine Jhesu Christe, per illam amaritudinem quam pro me sustinuisti in cruce, maxime in ista hora quando sanctissima anima tua egressa est de nobilissimo corpore tuo, miserere anime mee miserrime in egressu suo.

Post hoc eciam invocet devotissime atque instantissime ore, inquantum potest, gloriosissimam virginem Mariam, omnium

peccatorum efficatissimam atque promptissimam mediatricem atque adjutricem sic dicendo ut sequitur: O regina celorum, mater misericordie, confugium peccatorum, reconsilia me unigenito filio tuo et ejus clemenciam pro me indigno peccatore interpella, ut ob amorem tui mea remittat crimina perducens me in gloriam suam.

De hinc invitet sanctos angelos sic inquiens ut sequitur: Spiritus celorum, angeli beatissimi, assistite mihi, queso, migranti ex hoc seculo, et potenter me eripite ab omnium adversariorum meorum insidiis et animam meam in vestrum consorcium assumite. Tuque precipue, angele bone qui es custos meus mihi a Domino deputatus. Deinde apostolos, martyres, confessores atque virgines, specialiter tamen istos sanctos et sanctas, quos vel quas prius sanus in veneracione habuit et dilexit, in auxilium sui invocet in isto necessitatis articulo diligenter.

Item dicat ter vel quater vel ultra hec verba vel similia, que beatissimo Augustino ascribuntur: Pax Domini mei Jhesu Christi et virtus passionis ejus et signum sancte crucis et integritas beatissime Marie virginis et benediccio omnium sanctorum et custodia omnium sanctorum angelorum necnon suffragia omnium devotorum sint inter me et omnes **[73v:]** inimicos meos visibiles et invisibiles in hac hora mortis mee. Post hec eciam subjungit dicere istum versum: Hoc largire clarum vespere, quo vita nusquam decidat, sed premium mortis sacre perennis instet gloria. Si autem has omnes oraciones non sciat, dicat aliquis de astantibus clare voce coram eo, mutatis illis que sunt mutanda. Ipse tamen agonizans, quamdiu racionem habere poterit, oret intra se corde tantum atque desiderio, prout scit et velit, et ita orando spiritum Domino tradat salvus erit.

Sequitur capitulum. Notandum deinde sane atque studiose est advertendum, quod rarissime eciam inter religiosos et devotos aliqui ad mortem se disponunt tempestive ut oportet, eo quod quilibet se diutius estimat victurum. Nequaquam se credens moriturum breviter, quod nimirum ex instinctu diaboli ortum est, et per talem spem multi improvisi et indispositi ad mortem cito vexantur. Quia dicit decretalis: Corporalis infirmitas ex languore ortum habet. Et ideo per eundem decretalem quilibet medicus precipit[ur], ne cuilibet egroto corporalem deferat medicinam, nisi prius ad spiritualem medicum eundem moneat et inducat. Similiter omnia mala alia et adversa pro peccatis solent evenire, propheta testante qui ait [Amos 3,6]: *Non est malum in civitate, quod Dominus non fecit.* Intellige non malum culpe, sed malum pene pro culpa.

Quamobrem infirmus usque ad mortem aut in alio constitutus periculo studiosus existat inducendus, ut ante omnia cum Deo sibi pacem faciat, spiritualem pre omnibus adhibens medicinam sacramenta videlicet ecclesiastica devote recipiendo, testamentum ordinando, domum suam atque negocia alia, que super habet, legitime disponendo. Nullatenus autem infirmo detur spes nimia corporalis **[74r:]** sanitatis consequende. Cujus tamen contrarium frequenter fieri solet a multis in periculo aliorum et circa illos, qui actu agonizant eo quod nullus eorum aliquid audire vult de morte. Unde secundum Cantorem Parisiensem: Sepe per talem gloriam et falsam consolacionem et fictam sanitatis corporis confidenciam incurrit homo dampnacionem. Et ideo hortandus est infirmus ut per veram contricionem puramque confessionem anime procurat sanitatem. Quod eciam ad salutem corporis sibi fuerit expediens, valere poterit, et ita quiescior erit et securior.

Teste Gregorio: Vera contricio rara sit. Secundum Augustinum 4$^{o}$ libro sentenciarum distinccione xx$^{a}$ aliosque doctores penitencia que videtur haberi in extremis, vix sit vera penitencia sufficiens ad salutem. In illis precipue, qui toto tempore vite sue divina precepta votaque spontanee numquam veraciter, sed solum ficte servaverunt. Idcirco unicuique tali ad mortis articulum deducto suadendum est ut secundum suam possibilitatem mentis racione laboret ad penitenciam ordinatam seu veram se preparare, ut suo animo obstante dolore vel timore utatur racione in quantum potest, et conetur habere displicenciam voluntariam propter debitum finem sc. propter Deum. Et ne in desperacionem mittatur, proponantur eciam ei illa que superius in 2$^{a}$ particula de temptacione desperacionis dicta sunt. Et similiter moneatur ut eciam contra illas temptaciones ibi positas animosus existat atque viriliter resistendo. Presertim cum per diabolum non potest cogi.

Item moneatur ut decedat tamquam verus et fidelis christianus. Attendatur insuper an vinculo excommunicacionis astrictus vel afflictus teneatur ut informetur, quatenus in hoc totis viribus sancte matris ecclesie ordinacioni se submittat ut absolvatur. Item si moriturus prolixum temporis spacium ad recolligendum **[74v:]** habeat, et non morte festina preveniatur, legende sunt coram eo a presentibus historie devote, in quibus pridem sanus amplius delectabatur, divina profundius meditatur, si aliquid invenerit se contra ea negligenter deliquisse. Si autem infirmus usum loquendi perdidit habens tamen sanam et integram noticiam ad interrogaciones, tunc aliquis assistentium dicat devote coram eo oraciones devotas ob salutem anime sue.

Curandum tamen extat ut interrogaciones fiant, antequam usum loquendi perdat, nam si in interrogacionibus visibiliter apparent responsiones infirmi non usque quaqua sufficientes existere ad salutis remedium, per informacionem necessariam apponatur modo quo fieri potest meliori. Eciam si manifestandum fuerit ei periculum quod incurrit, non obstante de hoc plurimum terreatur.

Justum est enim ut terrore salubri compungatur et salvetur, quam cum blandiciis et dissimulacione noxius condempnetur. Absurdum quippe nimis est et christiane religioni contrarium immo diabolicum, ut homini christiano morituro corporis et anime periculum ex humano terrore occurrat, quo Isaias propheta contra regem Ezechiam egrotantem usque ad mortem salubriter terruit dicens eum moriturum, cum tamen adhuc mori non deberet, et Gregorius monachum proprietarium in mortis articulo constitutum.[28] Unde in 4$^{o}$ libro dialogorum legitur: Terruit ad salutem.

Item presentetur infirmo imago crucifixi que semper circa infirmos habenda est, vel eciam beate virginis vel alterius sancti, quem pridem sanus venerabatur. Habetur eciam ibidem aqua benedicta, que super infirmum et alios circumstantes frequenter aspergatur ut sic ab eo demones compescantur. Si non omnia ista premissa brevitas temporis sinat, preponende sunt ei oraciones, ille presertim, **[75r:]** que nostro salvatori dirigantur. Nequaquam eciam cuique morienti amici carnales, uxores videlicet et alios [alii?] aut temporalia ad memoriam reducantur, nisi quantum infirmi spiritualis sanitas postulat et requirit.

Porro in materia ista que est extrema necessitas, subtiliter considerantur et ponderantur singula, quibus addita sunt adversa, eo quod non verbis sed adverbiis merentur, ut in compendio theologice veritatis libro 2$^{o}$ capitulo decimo continetur. Cui autem placet ut libenter et sine periculo bene et secure vult mori, talis curare debet studiosus ut moriendi arte ejus que disposicionem premissam tangat, dum adhuc sanus sit, studeat et addiscat sollicite nequaquam exspectans mortis ingressum.

Nam dicam tibi, frater karissime, in veritate crede mihi quod morte aut alia gravi infirmitate ingrediente ipsa devocio egreditur, et quanto propinquius hec accesserit seu invaluerit, tanto longius illi fugam dabit. Si ergo non vis decipi nec errare sed securus esse, instanter age quod potes, dum sanus sis, et dum usum racionis habere poteris ac dominus tuorum actuum esse posses. O quam multi et infiniti ultimam

[28] Possibly the story of the monk who had property, cf.fol. 18v[2]

necessitatem exspectantes immo decipiuntur. Vide ergo, frater amice, si placet, ne tibi sic contingat. Nulli ergo incongruum vel mirum videtur de causa solertita et sollicita disposicione ac studiosa exhortacione ipsis morientibus, ut premittetur, adhibenda, quia nimirum tanta talisque vis et necessitas ipsis est inducta. Ac incumbit ut si possibile esset, quod tota civitas ad morientem convenire deberet festinanter, sicut in quibusdam regionibus morum exstat, ubi statuitur, quando infirmus morti appropinquat, tunc oportet ut mox auditis talibus quacunque hora omnes fratres, ubicunque fuerunt occupati, dimissis omnibus occurrunt citius **[75v:]** morienti. Unde dicitur quod religiosi et mulieres propter sui status honestatem currere non debeant nisi ad morientem, nisi ad morientem vel ad ignem periculose imminentem.

Capitulum. Ultimo sciendum est quod oraciones sequentes dici possunt super infirmum laborantem in agone. Qui si est persona regularis, tunc convocato conventu primo tabula, ut morum est, premittatur cum litania et oracionibus et psalmis consuetis atque ordinariis more solito. Postea vero si adhuc supervivit, adhuc subjungantur oraciones sequentes ab aliquo presentium, prout opportunum fuerit et tempus patitur. Que eciam pluries iterari possunt. Sed semper infirmi commoditas atque devocio laborantis in extremis fieri potest. Porro apud infirmos regulares dicantur oraciones iste, prout devocio et disposicio ac commoditas ipsorum assistentium illud requirit et tempus sinat. Sed heu, paucissimi non solum apud seculares, verum eciam in plerisque religiosis, qui hujusmodi sciencie habent artem et in mortis articulo suis proximis fideliter assistant interrogendo, admonendo, informando ac eciam pro ipsis orando, ut prefertur, presertim eciam cum ipsi morientes nondum volunt mori, et ita anime morientium miserabiliter periclitantur.

Deinde sequitur obsecraciones. Per amorem, qui te dignissimum, innocentissimum et delicatissimum paterne caritatis filium pro nobis factum hominem, fecit vulnerari ac mori pro salute hominis voluisti. Indulge famulo tuo N, misericordissime Jhesu Christe, omne peccatum, quod cogitatu, verbo vel facto, affeccionibus vel motibus, vel viribus vel sensibus corporis et anime deliquit, et veram remissionem illi tribue et sufficientissimam emendacionem illam, qua totius mundi culpas solvisti, ac ei plenam **[76r:]** omnium negligenciarum suarum remissionem tribue. Adde illi per sanctissimam conversacionem illam, quam ab hora concepcionis tue usque ad ultimam horam mortis tue habuisti, et insuper fructum omnium bonorum operum, que tibi ab inicio mundi usque in

finem ab omnibus electis placuerunt vel placere potuerunt. In unione ferventissimi amoris, qui te vitam omnium viventium coegit incarnari et anxiato spiritu mori, pulsamus ergo ad medullam benignissimi cordis tui, ut anime famuli tui N, fratris nostri, omnia peccata dimittas et tua sanctissima conversacione ac predignissime passionis tue merito omissa suppleas. Faciasque eum experiri superabundantissimam multitudinem miseracionum tuarum nos omnes et specialiter istam personam N, fratrem nostrum, quem pro christo[?] vocari disponis, preparans eum tibi placidissimo termino sibique et universitati utilissimo cum dulci patiencia, vera penitencia, plena remissione, recta fide, spe firma et caritate perfecta, ut in perfecto statu inter dulcissimum amplexum et suavissimum osculum tuum ad tuam laudem de hoc seculo spiret.

In manus inextinguibilis misericordie tue, pater sancte, pater juste et amantissime, commendamus spiritum et animam famuli tui N, fratris nostri, secundum magnitudinem amoris, quo se anima filii tui sanctissima in cruce tibi commendavit, suppliciter deprecantes ut in illam inestimabilem dileccionis caritatem, qua tua divina paternitas in se totam traxit sanctissimam animam, ut ultima hora famuli tui N, fratris nostri, in eodem amore spiritum ejus suscipias.

O intemerata et in eternum benedicta virgo Maria, totius angustie et necessitatis adjutrix, sucurre nobis dulciter et ostende famulo tuo **[76v:]** N, fratri nostro, graciosam faciem tuam in ultima necessitate sua. Et disperge omnes inimicos ejus in virtute dilecti filii tui, Domini nostri Jhesu Christi, et sancte crucis. Et libera eum in angustia corporis et anime ut laudes dicat Domino Deo in secula seculorum. Amen. Sancte Michael, archangel ducit animam defuncti e Domini nostri Jhesu Christi, succurre nobis apud altissimum judicem. O pugil invictissime, assiste nunc famulo tuo N, fratri nostro, in extremis valde laboranti. Et defende eum potenter a drachone infernali et ab omni fraude malorum spirituum. Insuper exoramus te, preclarum atque decorum ministrum summe divinitatis, in hac hora extrema vite fratris nostri N, ut benigne ac leviter suscipias animam ipsius in sinum tuum sanctissimum et perducas eum in locum refrigerii, pacis et quietis.

Eja, mi dulcissime redemptor, piissime ac benignissime Jhesu Christe, per illam lacrimabilem vocem, qua in humanitate moriturus pro nobis doloribus et laboribus passionis adeo consumptus, ut te derelictum a patre clamares, ne longe facias a famulo tuo N, fratri nostro, auxilium tue miseracionis in hora et momento affliccionis anime sue pre defectu et consumpcione spiritus. Te invocamus super fratrem nostrum in ultima

hora non valente[m?], sed per triumphum sancte crucis et per virtutem salutifere passionis et amarissime mortis tue. Cogita de ea cogitaciones pacis et non affliccionis sed misericordie et consolacionis. Et libera eam de omnibus angustiis ipsasque manus ei porrige, quas pro ea in sancta cruce affigi permisisti clanis acutissimis. Jhesu bone et dulcissime, pater et Domine, erue eam a tormentis sibi deputatis et perduc eam in eternam requiem cum voce exultacionis et confessionis, qui vivis et regnas.

Misericordissime Domine Jhesu Christe, fili Dei vivi, in unione illius commendacionis, **[77r:]** qua animam tuam sanctissimam patri tuo celesti in cruce moriens commendasti, commendamus ineffabili tue majestati animam famuli tui N, fratris nostri, honorantes et implorantes tuam misericordissimam bonitatem, quatenus per omnem honorem et meritum ejusdem anime tue sanctissime, per quam salvantur omnes anime et a morte debita liberantur, ac anime famuli tui N, fratris nostri, misereris liberans eam misericorditer ab omnibus miseriis et penis. Et perducas eam propter amorem et intercessionem tue dulcissime matris semper virginis ad contemplandam gloriam tue jocundissime visionis.

Quesumus, misericors Deus, qui secundum multitudinem miseracionum tuarum peccata penitentium deles et preteritorum criminum culpas per venie remissionem evacuas. Respice propicius super hunc famulum tuum N, fratrem nostrum, et remissionem omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscente exaudi deprecatus. Renova in eo, piissime pater, quidquid in eo terrena fragilitate corruptum est, vel quidquid diabolica fraude violatum est, et unitati ecclesie membrum filii tui per redempcionem congrega. Miserere, Domine, gemituum suorum, miserere lacrimarum ejus, et non habens fiduciam nisi in tua misericordia ad tuam sacram reconsiliacionem permitte.

Commendo te omnipotenti Deo, karissime frater, et ei cujus es creatura, ut humanitatis debitum morte interveniente persolvens ad creatorem tuum, qui de limo terre te formavit, revertaris. Egrediente itaque anima tua de corpore splendidus angelorum cetus occurrat, apostolorum tibi senatus assistat, candidatorum tibi martyrum triumphator exercitus obviat, lilia rutilantium te confessorum turma circumdat, jubilantium te **[77v:]** chorus virginum excipiet, et beate quietis in sinum patriarcharum te amplexus suscipiet, et tibi aperiat salvator mundi, qui te inter assistentes sibi jugiter interesse discernat. Ignores omnino quod horret in tenebris, quod stridet in flammis, quod cruciat in tormentis.

Cedet tibi teterrimus nSathanas cum satellitibus suis in adventu suo, te concomitantibus angelis contremiscat atque metuat[?] et mortis chaos in

mane diffugiat. -[Ps. 67,2-4:] *Exsurgat Deus, et dissipentur omnes inimici ejus et fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus. Et justi epulentur et exultent in conspectu Dei et delectentur in leticia.* Confundantur et erubescant coram te tartaree legiones, et miserrimus Sathanas et satellites ejus iter tuum impedire non audeant. Liberet te Christus a cruciatu, qui pro te mortuus est. Constituat te Christus filius Dei vivi intra paradisi sui amena. Verus pastor iste te agnoscat, ille ab omnibus peccatis tuis te absolvat atque ad dextram in electorum suorum sorte constituat, ut redemptorem tuum facie ad faciem videas, et presens semper assistens manifeste beatis oculis conspicias veritatem, constitutus inter agmina beatorum in contemplacione divinorum gaudiorum.

Profiscere, anima christiana, de hoc mundo in nomine patris omnipotentis qui te creavit, in nomine Jhesu Christi filii ejus qui pro te passus est, in nomine spiritus sancti qui in te fusus est. Occurrunt tibi et succurrunt angeli sancti, archangeli, throni et dominaciones, principatus et potestates atque virtutes, cherubin et seraphin. Subveniant tibi patriarche et prophete, apostoli et evangeliste, martyres et confessores, monachi et heremite,ite virgines, vidue, infantes innocentes, Adjuvant te oraciones omnium sacerdotum et levitarum **[78r:]** et omnium ecclesie catholice graduum, ut in pace sit locus tuus et habitacio tua in celesti Jherusalem.

Nota hic de dominica oracione, quante virtutis, utilitatis et potencie est, ut habetur in miraculo: Fuit quidam papa, qui dum ad extrema venisset, interrogavit capellanum suum, virum idoneum et devotum quem plurimum diligebat, quibus suffragiis post mortem suam eum apud Deum vellet juvare. Qui respondit, quod omnibus modis quibus possset, et quecunque juberet, pro salute anime sue facere vellet. Tunc papa ait: Non peto a te aliud subsidium, nisi dum videris me positum in agone, dominicam oracionem pro me dicas tribus vicibus. Qui se hoc libentissime promisit facturum. Ad quem papa: Dum primum paternoster dixeris, dic in honorem agonie Jhesu Christi, obsecrans ut multitudinem sui sudoris sanguinei, quem pre timore sue angustie pro nobis copiosissime fudit, contra multitudinem peccatorum meorum patri offerre et obtendere dignetur, pro omnibus angustiis quas peccatis meis exigentibus merui.

Cum 2^m^ paternoster dixeris, dic illud in honorem omnium passionum et amaritudinum Jhesu Christi, quas in cruce sustulit et maxime in ista hora, quando anima ejus sanctissima de suo corpore sanctissimo est egressa, obsecrans ut illas patri offerre et obtendere dignetur contra omnes penas et passiones, quas pro peccatis meis timeo me meruisse. Cum 3^m^ paternoster dixeris, dic illud in honorem ineffabilis caritatis Jhesu Christi, que ipsum de

celis ad terram et ad toleranciam omnium harum passionum traxit, ut hac caritate me salvare et celos mihi aperire **[78v:]** dignetur, quia meis meritis salvari ac celeste regnum obtinere nequeo.

Hiis dictis promisit capellanus hec omnia se facturum libentissime, quod et fecit cum diligencia et devocione qua potuit. Post mortem reversus est papa splendidus et coruscans immensas grates ei referens dicendo, sine omni pena se fore liberatum. Nam post primum paternoster Jhesus Christus sudorem sanguineum pro me ostendens patri omnem meam propulsit angustiam. Post $2^{m}$ paternoster per amaritudinem omnium passionum suarum omnia peccata mea delevit. Post $3^{m}$ paternoster per caritatem suam mihi celos reseravit et me cum gaudio introduxit. Papa hanc revelacionem, quam predictus capellanus complevit, quampluribus referebat. In pluribus locis mos inolevit, ut idem predictus modus orandi apud morientes devote servatur sub specie subtilissima.

Sequitur forma orandi circa infirmum laborantem in extremis juxta informacionem et revelacionem predictam. Primo dicatur: Kyrie eleison, Christe eleison, kyrie eleison, paternoster, Ave Maria. Et ne[?] nos [miserere nobis?], Salvator mundi salva nos, qui per crucem et sanguinem tuum redemisti nos. Auxiliare nobis te deprecamur, Deus noster. Domine Jhesu Christe, per agoniam et oracionem tuam sanctissimam, qua orasti pro nobis in monte Oliveti, quando factus est sudor tuus sicut gutte sanguinis decurrentis in terram, obsecro te ut multitudinem sanguinei sudoris tui, quam pre timore angustie tue copiosissime pro nobis fudisti, offerre et obtendere digneris Deo patri omnipotenti contra multitudinem omnium peccatorum hujus famuli tui N, fratris nostri, et libera eum in hac hora mortis sue ab omnibus penis et angustiis suis, quas pro peccatis suis timet se meruisse. Qui vivit etc.

Kyrie eleison, Christe eleison, kyrie eleison, Domine, miserere mei. Paternoster. Sanctifica nos, Domine, signaculo sancte **[79r:]** crucis, ut fiat nobis obstaculum contra seva jacula inimicorum omnium. Domine Jhesu Christe, qui pro nobis mori dignatus es in cruce, obsecro te per amaritudinem omnium passionum tuarum, quas pro nobis miseris peccatoribus sustinuisti in cruce, quando anima tua sanctissima egressa est de nobilissimo corpore tuo, offerre et obtendere digneris Deo patri omnipotenti animam famuli tui N, et libera eam in hac hora exitus sui ab omnibus penis passionis, quas pro peccatis suis se timet meruisse. Item dicatur kyrie eleison. Domine, miserere nobis. Paternoster. Ave Maria. Protege, salva, benedic, sanctifica.

Ad finem dicatur: Domine Jhesu Christe, qui per os prophete tui dixisti [Jer. 31,3]: *In caritate perpetua dilexi te, ideo attraxisti me miserans tui.* Obsecro te, Domine, ut eandem caritatem illam, que te de celo ad terram ad toleranciam omnium passionum tuarum traxit, ut offerre et obtendere digneris Deo patri omnipotenti contra omnes penas et passiones hujus famuli N, quas pro peccatis suis timet se meruisse. Salva, Domine Jhesu Christe, animam ejus in hac hora exitus sui. Item oracio: Domine Jhesu Christe, qui redemisti nos precioso sanguine tuo, scribe in animam famuli tui N vulnera tua preciosa precioso sanguine tuo, ut sciat in eis legere tuum dolorem et tuum amorem contra omnes dolores et penas, quas pro peccatis suis timet se meruisse, amorem ut vivat tibi amore invisibili, quo a te et omnibus electis tuis numquam possit eternaliter separari. Et fac eam, Domine Jhesu Christe, participem glorie et resurreccionis tue. Et fac eam **[79v:]** participem omnium oracionum et beneficiorum, que fiunt in ecclesia tua sancta. Et fac eam participem omnium beneficiorum, graciarum, meritorum et gaudiorum omnium electorum tuorum, qui tibi placuerunt ab inicio mundi. Et concede ei ut cum hiis omnibus in conspectu tuo gaudeat eternaliter. Amen.

Cum igitur tota salus hominis in fine consistit, sollicite et merito curare debemus ut unusquisque nostrum de socio vel amico fideli, devoto et idoneo ante mortem sibi prevideat, qui in extremis fideliter ei assistat, ut ad fidei constanciam, patienciam atque devocionem, confidenciam et perseveranciam, sollicitus incitaret atque animaret, ut eciam in agonia omnes precedentes oraciones super eum fideliter legat et cum devocione dicat. Ad quam tamen oracionem efficativa extat oracio necessaria morientis, sicut in precedenti materia de arte moriendi certius est expressum. Unde unicuique secure mori volenti super omnia est necesse, ut prius antequam mors eum occupat, mori discat. Et tantum de illo.

## De passione Domini[29]

*Cum egressus fuero de civitate hac vel urbe, extendam palmas meas ad Dominum, et cessabunt tonitrua, et grando non erit.* Exo. xxi. [9,29]. In verbis autem premissis duo notari possunt. Primo qualis fuit Christi passio. 2° notatur fructus passionis ejus. Primo tamen videamus qualis fuit passio **[80r:]** ejus. Certe fuit ignominosa, dolorosa, diuturna et injusta. Fuit enim ejus passio ignominosa, quando captus est ut latro. Unde dicebat [Mat. 26,55]: *Tamquam ad latronem etc.* Verberatus ut malefactor, derisus ut fatuus, consputus ut leprosus, crucifixus ut homicida. Cum vellet eum occidere judei, dicebant: Si decollaverimus eum vel comburimus, nimis erit ei honorificum. Sed suspendamus eum, que fuit vilior pena.

Fuit eciam ejus pena dolorosa ceteris passionibus sanctorum et hoc propter ejus corpus delicatum. Quanto enim delicacior rnatura, tanto dolorosior pena. Magis enim filius principis dolet quam filius rustici. Fuit enim passio ejus dolorosa et acerba, quia passus fuit in omnibus membris, quia [Is. 1,6] *a planta pedis usque ad verticem capitis non fuit in eo sanitas.* Unde Ps. [37,13]: *Vim faciebant qui etc.*

Primo enim afflixerunt eum in capite, quando spinis caput ad cerebrum percusserunt. Item afflixerunt eum in corde, quando latus ejus apertum fuit. Item in manibus et pedibus, quando corpus ejus aridum in cruce remansit. Item afflixerunt eum in omnibus quinque sensibus, ut peccata per quinque sensus curaret, que quidem in Eva inicium sumpserit. Ipsa quidem peccavit in auditu, quando verba serpentis audivit. Ideo in auditu passus est Christus, quando contumelias multas audivit. Quando appellabant eum filium fabri et dicebant [Mat. 11,18]: *Demonium habes tu.*

Item Eva peccavit in visu. [Gen. 3,6:] *Vidit,* inquit, *mulier lignum* visu, quod erat preclarum. Ideo Christus fuit velatus, cum ligaverunt oculos ejus tamquam esset fur. Peccavit Eva in odoratu, quando multum **[80v:]** in odoratu pomi delectata fuit. Ideo Christus in odoratu passus est, quando sputis fetidis delinitus et inter corpora mortuorum crucifixus. Peccavit Eva in tactu, quando manum ad pomum porrexit accipiendo. Ideo Christus manus extensas in cruce habere voluit. Peccavit eciam Eva in gustu, quando prohibitum pomum comedit. Ideo Christus felle et aceto potatus fuit, in collo colaphizatus fuit, facies percussa, barba depilata, totum corpus denudatum. Et sic patet ejus pena dolorosa et acerba.

[29] Almost the same sermon fol. 146v Both by Peregrinus Polonus

2[o] sequitur fructus istius passionis in hoc quod dicit: Cessabunt tonitrua. gGlosa: Comminacionis, quia olim comminabatur anima, que potest ipsa mori. Sed hic cessabunt tonitrua, quia Christus pro peccatis nostris mortuus est et oravit dicens [Luc. 23,34]: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt etc.* Unde Bernardus: Flagellis cesus, spinis coronatus, clanis confixus, obprobriis saturatus, omnium tamen dolorum immemor clamat: Ignosce illis. Alius fructus qui ex passione Christi sequitur, quia diabolus confusus est, quod notatur in hoc quod dicit: Et grando non erit. Grando diabolumg signat, et sicut grando induratus est, sic diabolus per obstinacionem. Hic, inquit, grando non erit sc. potestas ejus tanta super genus humanum, quanta fuit ante passionem Christi, quia tunc multis dominabatur eos ad infernum deducendo.

3[ius] fructus passionis ejus est, quia genus humanum excecatum propter peccatum illuminavit, et hoc patuit bene in passione ejus. Unde miles qui latus ejus perforavit, prius clare non vidit. Sed quedam gutta sanguinis sibi in oculos cecidit, et continuo clare vidit. 4[tus] fructus sue passionis est, quod hominibus paradiso expulsis **[81r:]** celum aperuit. Ideo Christus sanguinem suum in clavem celestis reseracionis dedit. Unde Jheronimus: Sanguis Christi clavis paradisi facta est. 5[tus] fructus est, quod hominem mortuum vivificavit, et ideo Christus sanguinem suum fudit in potum nostri vivificacionis.

Exemplum: Legitur quod inter serpentem et pellicanum est odium generale et naturale. Serpens autem ascendens absente pellicano pullos ejus occidit. Rediens autem tribus diebus pellicanus super eos plangit, et tunc rostro suo cor suum vulnerat et sanguine proprio eos aspergit, et reviviscunt. Serpens sc. diabolus hominem occiderat. Christus autem se in quinque partibus vulnerari permisit, et sanguine suo hominem aspergens ipsum vivificavit. Unde Christus assimilavit se pellicano.

6[tus] fructus est quod homo esset durus, nec poterat mollificari ad contricionem. Ideo Christus fudit suum sanguinem ut mollificaret nos. In signum hujus lapis iste, in quo crux steterat, quam cito stillavit sanguis Christi super eum, in xiiii partes scissus fuit. O quot peccatores mollificati sunt per sanguinem Christi, ut in multis reperimus miraculis. Et quia hodie recolimus passionem Christi, debemus eum juvare per compassionem et deflere peccata nostra, quia multa sunt, que hodie nos inducunt ad fletum. Unde Ps. [94,8]: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

Hodie enim flevit Christus, quia matrem consolari non potuit. Cum dixit illud Jeremie [15,10]: *Ve mihi, mater mea, quia genuisti me, virum*

*rixe, virum discordie in universa terra, omnes maledicunt mihi.* Ipsa autem pre dolore non potuit respondere. Flebat autem Christus propter corporis passionem, flebat eciam propter parvi **[81v:]** fructus considera-cionem, quando sibi considerabat, quod illa die 6$^{ta}$ solummodo unum latronem lucratus est. Flebat eciam Christus propter dispersionem et infidelitatem discipulorum, quod eciam oculos vix aperire poterat, ut matrem discipulo commendaret.

Hodie eciam flevit discipulus quando egressus foras flevit amare. Hodie eciam fleverunt omnes apostoli. Unde cantatur: Tristes erant apostoli. Flevit infernus ut cantat ecclesia: Gemens infernus ululat, quia spoliatus fuit. Flevit turba que sequebatur eum, sicut sancte mulieres erant. Flevit eciam creatura superior et inferior. Superior ut sol qui obscuratus fuit. Inferior ut terra que mota est, et petre scisse sunt. Hodie eciam fleverunt campane que non pulsantur. Flent eciam altaria que sunt nudata. Flent sacerdotes et clerici, quia cantant lamentaciones. Sed super omnes delicata Maria flevit, quia omnia, que passus est Christus in corpore, ipsa passa est in corde. Quotquot ictus audivit, totiens ad terram corruit.

Unde Augustinus: Flebat mater ejus irremediabilibus lacrimis dicens: Heu me, fili mi. Magnitudo igitur fletus et doloris ejus causabatur ex eo, quod erat mater unici filii. Unde si aliqua mater suum filium amittit, consolacionem recipit, quia alios habet vel alios habere sperat. Maria autem nullum alium habebat nec alium habere sperabat. Accrevit autem dolor ejus eo quod presens erat ad videndum sub oculis suis filium suum crucifixi, lacerari, vulnerari. Multum dolet mater quando audit filium suum mortuum. Sed plus dolet quando audivit ipsum horribili tormento necatum. Maxime autem dolet quando de cruce depositus recentibus vulneribus in sinu ejus erat positus. Tantum de illo.

## De apostolis Petro et Paulo[30]

*Ecce nos reliquimus omnia etc.* Mat. xix° [19,27]. Ubi tria notantur. Primo qualem esse oportet, qui ista dicit ad Dominum. 2° que reliquenda sunt sequenti. 3° in quibus debet homo sequi Deum. Qui debet hec dicere, debet esse Simeon sc. verus obediens, per quem designantur viri religiosi qui debent vere obedire, ut possint dicere: Ecce nos reliquimus etc. Unde Hebr. xii [13,17]: *Filii, obedite prepositis vestris.* Exemplum de obediencia.[31] Unde obediencia est scala salvatoris.

Unde nota quod salvator exemplo suo docuit obedienciam tripliciter. Ad mundum veniens, in mundo manens, de mundo transiens. Ad mundum veniens obedienciam docuit, ut dicitur Joh. vi° [6,38]: *Descendi de celo, non ut facerem voluntatem meam, sed ejus qui misit me,* patris. Obedienciam docuit in mundo manens. Unde dicitur Phil. 2[,8]: *Factus est obediens usque ad etc.* Obedienciam docuit de mundo transiens, nam dixit [Mat. 26,39]: *Pater, non sicut ego volo etc.*

Est autem obediencia scala paradisi, cujus vii sunt gradus quos assignat Bernardus: Primus gradus obediencie est obedire libenter. Exemplum de Paulo qui dixit [Act. 9,6]: *Domine, quid vis me facere?* 2us est obedire sinceriter sine simulacione. Exemplum de David qui dixit in Ps. [72,23]: *Ut jumentum factus* iterum absque noticia sui creatoris. 3us gradus est obedire hilariter sine murmuracione. Exemplum de Simeone Cyreneo qui portavit in angaria crucem Christi. Mat. xxvii° [27,32]. 4us gradus est obedire velociter.

Exemplum de Petro et Andrea. 5us gradus est obedire civiliter. Exemplum de Petro qui dixit: *Domine, paratus sum in carcerem tecum et mortem ire.* Luc. xxxii°. [22,33]. 6us gradus est obedire humiliter.

Exemplum de discipulis.

7us gradus est obedire perseveranter, exemplum de Christo, **[82v:]** de quo dixit apostolus [Phil. 2,8]: *Factus est obediens patri usque ad mortem.* Bernardus: Si portamina[?] Christi pensamus, levius nostra portabimus. Et tantum de primo principali.

2° que reliquenda sunt sequenti. Debet autem homo relinquere alienum et proprium et seipsum. Primo peccatum quod separat a Deo et conjungit diabolo sc. proprium. Item alienum sc. alienas res. Luc. xix° [19,8]: *Ecce, dimidium bonorum omnium do etc.* Et eciam propria cum beato Petro qui ad vocem unius jussionis etc. Debet homo relinquere

[30] Perhaps from the sermons of Matthias Ripensis
[31] Perhaps the story f. 18r.

seipsum. Unde Bernardus: O homo, qui omnia relinquere disponis, teipsum inter relinquenda numerare memento. Debet autem dupliciter relinquere se, intus et exterius. Intus secundum propriam voluntatem ut non coactus peccata confitetur, exterius relinquendo carnis cupiditatem, quia crassitudo carnis et deliciose epule provocant carnem ad libidinem. Hec omnia relinquenda sunt.

Unde Bernardus: Non est inutilis commutacio omnia propter illum relinquere, qui est super omnia. Unde Petrus [1. Pet. 2,21-22-]: *Christus passus est pro nobis, vobis etc. Qui peccatum non fecit, et non est inventus dolus in ore ejus*. Joh. [1.Joh. 1,8]: *Si dixerimus, quod peccatum non habemus etc.* Ideo Dominus apposuit remedium sc. confessionem, ut quam sepe homo labitur per peccatum, tam sepe resurgat per confessionem. Et tantum de 2$^{o}$.

De 3$^{o}$ in quibus homo debet sequi Deum qui hec verba dicat. Tripliciter: In humilitate vincendo diabolum. In abstinencia vincendo corpus proprium. Sic beati apostoli. In paupertate vincendo mundum. Sic Petrus et Paulus. Ergo merito possunt dicere: Ecce reliquimus omnia etc.

Erat autem Jacob cxlvii annorum, antequam moriebatur. Et reduxit eum Joseph filius ejus ex Egypto post mortem ejus in sepulturam patrum suorum antiquorum sc. Abrahe, Isaach etc., prout idem habetur Genesis penultimo capitulo. 50 . Vixit autem Joseph cx annis et vidit filios Ephraim usque ad 3$^{am}$ generacionem.

**Nota de nativitatibus Christi**

Marie, nota penitenciam quantum ad primorum parentum inobedienciam. Christi, primo nota gaudium felicitatis quantum ad humani generis salvacionem. eJohannis, nota aquam baptismatis quantum ad divini paracliti inspiracionem.

Ad conficiendam hominis sanctitatem requiritur corporis mortificacio, frequens deprecacio, pravorum evitacio. [Rom. 8,13:] *Si secundum carnem vixeritis etc.* Frequens deprecacio. Unde oracio oranti

est subsidium, Deo officium, diabolo autem flagellum. Pravorum evitacio. Unde Salomon: Consilium stultorum penitus evitabis. Stulta enim stulti diligunt, et sua consilia ad stulticiam trahunt. Proprium enim stulti est aliena vicia cernere, suorum autem oblivisci. Unde [Prov. 23,9]: *In auribus insipientium ne loquaris, quia despiciunt doctrinam eloquii tui.* Unde *Arcta via que ducit ad vitam est, et pauci sunt qui inveniunt eam*.[Mat. 7,14] De duplici via et sociis sapientis et fatuus multus insipiens et stultum.

Triplex baptismus: Fluminis per aquam, flaminis per spiritum sanctum, sanguinis per effusionem propter Deum ut sancti martyres. Unde describitur sic: Baptismus est visibilis forma invisibilis gracieb anime data collata.

De hoc cogitavit sanctus Johannes, quia heremum petiit sub annis puerilibus, ubi archangelum Dei videre oravit. Primo hominem lignum colligentem. 2$^{o}$: hominem aquam cum crebro haurientem. 3$^{o}$ hominem oneratum faleris etc. Require in vocabulario.[32]

[32] cf . f. 190r

### De Johanne evangelista

*Do tibi unam partem preter fratres tuos.* [Gen. 48,22]. Verbum istud scriptum est in Genesi penultimo capitulo de Jacob, qui cum diligeret Joseph instante mortis sue tempore, quia ipsum nimium amabat, et possunt exponi de Christo in cruce moriente et Johanne assistente, cui Christus matrem virginem virgini commendavit.

In quibus verbis tria tanguntur ad laudem sancti Johannis. Primum est infatigabilis affluenta liberalitatis, quod ibi notatur: Do tibi etc. Mira res, Domine, tu pendis in cruce et das teipsum in precium pro Johanne et aliis. Nec adhuc sufficit, sed das ei matrem tuam. 2^m^ est preciositas muneris oblati, quod notatur ibi: Partem unam sc. virginem matrem tamquam dignissimam porcionem omnium creaturarum.

3^m^ est prerogativa dileccionis specialis et ibi notatur: Preter fratres tuos sc. alios apostolos. Et hoc triplici de causa loquitur Jhesus ita de Johanne. Primo a diligenti obediencia, quia erat Christi discipulus, que facit hominem Deo carum. 2^o^ diligebat eum Christus, et loquitur de eo propter mentis et carnis mundiciam, que mundicia facit hominem Deo carissimum. 3^o^ a dulci familiaritate, quia concubuit in cena Domini supra pectus Christi, quia dixit Christus de eo [Joh. 21,22]: *Sed sic eum volo manere, donec veniam* sc. ad judicium.

Hec dileccio ostendit hominem [Johannem] esse beatum et apud Dominum potentissimum. Ex hiis verbis considerate, quante dignitatis et sanctitatis fuerit sanctus Johannes vivens in mundo, et quante felicitatis et potestatis existit in celo. Unde de ipso digne cantatur: Valde honorandus est beatus Johannes etc. Quare? Quia in hodierno evangelio, ut habetur, dixit Jhesus Petro [-Joh. 21,19-23]: *Sequere me. Conversus ergo Petrus videns discipulum, quem diligebat Jhesus, sequentem, qui etc. dixit: Quis est, qui tradet te? etc.* Sed sic eum volo etc.

Primo enim beatus Johannes discipulus Christi dicitur propter doctrine disciplinam, quam ex Christo didicit, et quam scripto perpetue memorie commendavit et quam longo tempore predicavit. **[83v:]** 2^o^ dicitur discipulus quem diligebat Jhesus. Ecce magna laus inter omnes apostolos, quia meruit nominari iste apostolus sive discipulus, quem diligebat Jhesus. Quamvis enim Christus omnes apostolos diligebat, tamen multa signa precipue amoris ostendit Johanni sc. novem, que sunt novem privilegia gracie spiritualis.

Primum est quod elegit eum virginem ad statum apostolorum ut in virginitate sua permaneret et inter virgines coronam acciperet. 2^m^ est

quod traditorem suum, quem nulli apostolorum revelare voluit, sancto Johanni manifestavit. 3^m quod ipsum in cena supra pectus suum quiescere fecit. 4^m quod pendens in cruce matrem ei tradidit in suam matrem et ipsum matri sue dedit in filium ut esset specialis filius matris Dei. 5^m quod voluit eum sua voluntate esse martyr absque corporis lesionenJohannes evangelista. Unde paratum ad subeundum martyrium et mortem Christus eum de ferventi oleo et a venenato poculo custodivit illesum, et sic ille coronam martyrii non amisit.

6^m quod Christus Johanni viventi et sano cum omnibus apostolis apparuit, invitans eum ad epulas paradisi, revelans ei diem et horam, qua ad eum veniret et eum in celum assumeret. Talem graciam et tale signum amoris numquam legitur Christus alicui apostolorum ostendisse. 7^m quod Christus fecit eum a dolore mortis extraneum. Unde in die obitus sui coram populo congregato vivus et sanus in fossam et locum sepulture sue descendit. Hoc est sicut pie credit ecclesia. Johannes statim post mortem recepit glorificacionem.

**De invencione sancte crucis**

*Qui me invenerit, inveniet vitam et hauriet salutem a Deo.* Prov. viii [8,35]. Verba proposita, et si ad literam intelliguntur de sapiencia, tamen secundum allegoriam exponi possunt legitime de sancta cruce. In quibus quidem de seipsa loquens nos allicit ad inquirendum se et inveniendum. Festum quippe hodiernum invencio sancte crucis appellatur. Proponitur ergo nobis ipsa beata crux in verbis propositis ut mistica, vivifica, ut salvifica seu salutifera. Mistica quia dat plenitudinem spiritualis intelligencie ibi: Qui me invenerit. $2^{m}$ describitur sancta crux vivifica ibi: Ille inveniet vitam. Quod evidenter patuit hodierna die, quando crux Domini noviter inventa posita fuit super mortuum, et statim vitam invenit, ut postea patebit de invencione ejus. $3^{o}$ describitur salvifica ibi: Et hauriet salutem a Deo.

Primomodo crux dicitur mistica quia defendit hominem a diabolo, ut patet in natura. Quia quando homo insequitur a lupo, si ille inclinet se et fecerit crucem lupo vidente, lupus dimittit eum. Timet enim quod homo facit laqueum ad capiendum eum. Sic spiritualiter quando diabolus insequitur hominem temptando de peccato, si homo recurrat ad crucem Christi et fecerit signum ejus in eo, vel se recommendet Deo per aliquam devotam oracionem, statim cessabit diabolus eum persequi nec amplius temptabit eum de isto peccato. Item ferrum quod in aqua mergitur, si prius adhereat ligno, non querit fundum, sed supernatat sicut habetur 4. Reg. um $vi^{o}$ [5] capitulo.

Sic homo quantumcunque ponderosus sit peccatis, si ligno crucis adhereat per devocionem, supernatat et non dimergitur in profundum inferni. Item avis non potest melius capi quam in nido, ubi cubat. Unde illi qui volunt capere nobiles aves, **[84v:]** observant arborem, in qua nidus est, et jacent sub ea ne alius furetur ova, et tunc tempore debito capient pullos. Sic ille qui vult Christum capere et invenire, observet arborem crucis, ubi nidus ejus fuit, et ibi eum inveniet. Unde ipse ait [Mat. 8,20]: *Vulpes foveas habent et volucres celi nidos, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet etc.*

,$2^{o}$ dicitur sancta crux vivifica, patebit postea. $3^{o}$ salvifica, unde invencio sancte crucis post cc annos a resurreccione Domini facta est. Legitur enim in evangelio Nichodemi[33] quod cum in extremis Adam infirmaretur, Seth filius ejus portas paradisi terrestris adiit et oleum misericordie, quo patris corpus perungeret ut sanitatem reciperet,

[33] cf. f. 45v[1]

postulavit. Cui apparens angelus  Michael ait: Noli laborare nec flere pro oleo ligni misericordie obtinendo, quia nullatenus illud assequi poteris, nisi quando completi fuerint 5 milia quingenti anni. Licet ab Ada usque ad passionem Christi anni tamen anni 5e milia ducenti xxxiii fluxisionemse credantur.

Legitur quoque alibi quod angelus eidem ramusculum quendam obtulit et jussit ut in montem Libani plantaretur. In quadam vero historia grecorum legitur, licet apocripha. quod angelus de ligno, in quo peccavit Adam, ei tradidit dicens quod quando fecerit fructum, sanaretur pater. Qui rediens ad patrem mortuum inveniens, ipsum ramum super tumulum patris plantavit, qui plantatus in arborem magnam crevit et usque ad Salomonis tempora perduravit.

Salomon considerans arborem pulchram nimis ipsam precedit incidi et in domo saltus locari. Nusquam autem, ut ait Joh. Beleth, locari poterat nec alicui loco apta reperiri valebat, quia aut excedebat longitudine aut deficiebat brevitate. Ob hoc indignati artifices reprobraverunt et super quendam lacum, ut esset pons transeuntibus, projecerunt.

Regina autem Saba cum venisset **[85r:]** audire sapienciam Salomonis et predictum lacum transire vellet, vidit in spiritu quod salvator mundi in illo ligno suspendendus erit, et ideo super lignum transire noluit, sed ipsum protinus adoravit. Cumque ad domum redisset, intimavit Salomoni quod illo ligno quidam suspendendus erat, per cujus mortem judeorum regnum deleri debebat. Salomon igitur predictum lignum inde sustulit et in profundissimis terre visceribus dimergi fecit illud. Postea probatica piscina facta est ibidem, ubi victimas et hostias obluebant, et non solum ex descensu angeli, sed eciam virtute ligni dicitur ibidem fieri aque commocionem et infirmorum curacionem. Appropinquante autem Christi passione predictum lignum supernatasse perhibetur. Cum ergo judei illud vidissent, ipsum acceperunt et crucem Domino paraverunt.

Ipsa autem crux 4or generum esse perhibetur sc. cipressi, cedri, palme et olive. Stipes de cipresso per quam signatur sobrietas. Osee 4o[,11]: *Vinum et ebrietas auferunt cor, in gulosis namque requiescit etc.* Job xli: *Sicut fames facit lupum exire etc.* Truncus de cedro per quam signatur spiritualis paupertas et voluntaria. Unde apostolus [Mat. 5,3]: *Beati pauperi spiritu, quoniam eorum est regnum.* Lignum transversale de palma per quam describitur castitatis mundicia.

Unde Bernardus: Quid decorius castitate, que corpus et animam a corrupcione preservat, de hoste domesticum de homine angelum facit. Lignum olive per quam signatur misericordie pietas cum pauperibus. Unde Luc. $6^{o}$ [,36]: *Estote misericordes.* Item ad Thim. $4^{o}$ [1.Tim. 4,8]: *Pietas*, que operatur bona, fratribus valet ad promerendum Dominum. Prov. $3^{o}$[,3]: *Misericordia et veritas non te deserant.* Describe eas in tabulis cordis tui et invenias misericordiam et disciplinam bonam coram Deo et hominibus. Et tantum de illo.

Modus invencionis sancte crucis requiretur ex passionali.

## In cena Domini sermo

*Vidimus mirabilia hodie.* Luc. v° [5,26]. Quamvis in inicio mundi in creacione omnium mirabilia erant opera Dei nostri, sed et quotidie magna et mirabilia operatur, precipue tamen die hodierna nimis mirabilia ostendere dignatus est. Unde merito ab ecclesia sic dicatur: Vidimus mirabilia hodie. In quibus verbis tria notantur. Primum est mentalium oculorum illustracio, 2^m^ est carismatum divinorum exhibicio, 3^m^ est temporum certorum insinuacio. Primum perficit intellectum, 2^m^ reficit affectum, 3^m^ elicit sive ostendit effectum.

Primo igitur notatur mentalium oculorum illustracio ibi: Vidimus. Verbum quidem apostolorum potuit hoc esse, qui hiis mirabilibus corporaliter affuerunt, et nihilominus verbum fidelium esse potest, qui hec mirabilia quotidie spiritualiter intuentur. 2° notatur carismatum divinorum exhibicio ibi: Mirabilia. Illa quidem mirabilia non tantum apostolis, ut dictum est, ostensa sunt, verum eciam ejus fidelibus per ipsos apostolos sunt monstrata. Ps. [138,14]: *Mirabilia opera tua, Domine, et anima mea cognoscit etc.* 3° notatur temporum certorum insinuacio ibi: Hodie sc. in cena Domini.

Quamvis autem hec mirabilia mentis oculis quotidie contemplamur spiritualiter, tamen de illo hodie sc. de illo die qui diem parasceves immediate precessit, intelligendum est, de quo dici potuit illud [Eccli. 10,12]: *Ecce homo hodie rex est et cras morietur.* Vidimus igitur mirabilia hodie que sunt tria valde mirabilia, quia hodie incomprehensibilissimus factus est cibus peccatorum, omnipotentissimus factus est servus piscatoris, innocentissimus factus est captivus proditoris.

Primo hodie vidimus mirabile, quod incomprehensibilissimus factus est cibus peccatorum. Hodie namque primo Christus sanctissimum instituit eucaristie sacramentum ut corpus suum et sanguinem manducaret homo. Unde Augustinus: Christus eucaristiam primo confectam manibus suis et ore suo commendatam sicut ceteris apostolis tradidit, sic et Jude pessimo Christus dedit. **[86r:]** Hic est panis de quo ipse ait [Joh. 6,51-52-]: *Ego sum panis vite, qui de celo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in eternum.* O mirabile! Ore devoras, inde in eternum vivas. Super hoc scandalizati discipuli quidam abierunt retrorsum, quia dixerat Jhesus [Joh. 6,54]: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habueritis vitam in vobis.* Qui dixerunt [Joh. 6,61]: *Durus est sermo hic* et recesserunt a Jhesu.

Exemplum. Monachus quidam proponens communicare post Agnus Dei orans devote vidit puerum Jhesum quasi cruci affixum et omnia eucaristia. vulnera ejus corporis in calicem distillare. Unde indignum se reputans non accessit. Postea beata virgo sibi oranti ante altare sancte crucis apparens dixit: Cur hodie corpus et sanguinem filii mei non sumpsisti? Respondit se indignum. Ad quem virgo: Tu te cogites indignum, et quis potest tanta re dignus esse? Hanc offensam tibi condono, sed vide ne de cetero amplius facias.

Ecce multum mirabile. Mirabile valde erat, quando populo israelitico nubes pluebat manna habens omnem saporem suavitatis, ut panem celi manducaret homo. Sed multo mirabilius operatur divinitas in isto pane azimo ad verbum Christi prolatum, ut ipsum Deum celi manducet homo. Panis videtur corporaliter, sed Deus et homo existens satiat animas spiritualiter. Gregorius: Bona hec victima ab eterno interitu animam salvat. Idem: Eucaristia non solum delet venialia sed et confessum fortificat, ne inducat[?] ad mortalia.

2° vidimus hodie mirabile quia omnipotentissimus factus est servus piscatoris. Hodie namque Christus lavit pedes Petri. Augustinus: Misericordia Christum usque ad pedum nostrorum ablucionem humiliavit. Unde dixit [Joh. 13,7]: *Quod ego facio, tu nescis modo. Scies autem postea.* Ecclesiasticus [3,20]: *Quanto* **[86v:]** *major es, humilia te in omnibus.* Unde Ps. [85,10] de Christo: *Magnus es tu et faciens mirabilia, tu es Deus solus.* Hic nota contra superbos et elatos, qui non sunt dii sed vermium cibi, nec tamen volunt humiliari.

3° vidimus hodie magnum mirabile quia innocentissimus factus est captivus proditoris. Proditor enim qui vendidit eum, osculo tradidit eum, cepit et traxit eum. O bone Jhesu et mitissime, non propter te, sed propter me captivatus es et male tractatus. Bernardus: Homo, respice Jhesum de virgine natum per discipulum suum osculo traditum, respice eum cum gladiis et fustibus captivatum, respice eum misericordem et mitem propter te ligatum ad stipitem et vestibus denudatum. Augustinus: Dulcis Jhesus redemit te venditus, honoravit te injuriatus, vivificavit te occisus. O mirabilia et inexplicabilia. Unde Jer. v° [5,30]: *Stupor et mirabilia facta sunt in terra,* quando sc. vita mortua est, lux obscurata est, omnipotencia capta est. Hec tria predicta mirabilia hodie sunt pensata, necnon et plurima alia mirabilia circa tempus resurreccionis et mortis ejus Jhesu Christi mirabiliter sunt ostensa etc.

## De sancto Laurencio[34]

*Probasti, Domine, cor meum et visitasti nocte. Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.* [Ps. 16,3 ]. Hec verba bene potuit dicere beatus Laurencius, in quibus tria ponit. Primo gracias Domino quod ipsum in hoc probavit sicut pueri, qui disciplinantur et regraciantur parentibus suis, quando osculantur virgas cum quibus percussi sunt. Similiter fecit hodie beatus Laurencius. 2$^{o}$ dicit suam sanctitatem ibi: Non est inventa in me iniquitas. Pauci sunt hodie tales Laurencii qui possunt dicere: Non est in me peccatum. Joh. [1.Joh. 1,8]: *Si dixerimus, quod peccatum non habemus etc.* Pro hiis duobus dicit se visitatum a Domino ibi: Et visitasti nocte.

Circa primum nota quod Dominus amicos suos in presenti examinat, quos vult habere in claustro suo celesti. Unde mos est quod novicii, qui debent recipi ad ordinem, primo examinantur. Si tunc fratres vident quod sint **[87r:]** disciplinati, studiosi, devoti, moderati, postmodo recipiuntur ad professionem celestem. Probat autem Deus novicios suos in presenti dupliciter, videlicet in prosperis et in adversis. Item prospera possunt hominem seducere a via Dei sc. divicie et dignitates. Unde Deus dat homini divicias in presenti, quibus, si bene utitur, bene conservat, bene dispensat, addit sibi celestes divicias.

Sed frequenter cupiditas seducit hominem et multos dampnat, quod homini non sufficit in hoc, quod habet, sed semper plus appetit et numquam satiatur. Omnes thesauri numquam satiant cor avari. [ Ps. 61,11:] *Divicie, si affluant, nolite cor apponere.* Sicut miles JosveArchor, de quo legitur Josve ii [7]. Josva antequam acquireret Jericho, examinavit omne quod erat in civitate, et quod nullus aliquid acciperet, sed comburetur. Iste tulit clamidem coccineum et coronam auream abscondit et non fuit contentus in hiis, que habebat. Qui postmodo deprehensus fuit, ductus extra civitatem lapidatus est. . seductus cupiditateJudas seductus cupiditate vendidit Christum pro pecunia, qui postmodo se suspendit.

2$^{m}$ quod hominem seducit a via Dei, sunt prosperitates sc. dignitates. Quandocunque enim Deus aliquem exaltat ad aliquam dignitatem in presenti, in qua, si bene rexerit, in futuro exaltabitur. Sed veniens . Lucifer propter superbiam depulsussuperbia seipsum seducit, et ad ordinem celestem numquam admittitur. Lucifer cum esset in dignitate, et quia super omnes alios angelos esset pulchrior et altior, superbivit

[34] By Peregrinus Polonus

volens se facere equalem Deo. Ejectus est de claustro celesti quia in probacione non permansit, et qui prius dicebatur Lucifer, modo secundum Bernardum Noctifer. [Eccli. 3,20:] *Quanto major es, humilia te in omnibus*.

rex superbivitNabuchodonosor, cum esset in regali dignitate, superbivit. Unde mutatus est in bovem quia fenum ut bos comedit. Multi sunt homines in inferno qui fenum libenter comederent. Unde de divite sepulto in inferno sepultus  minimam guttam aque postulans non impetravit.

Talis non fuit beatus Laurencius, **[87v:]** qui cum magnos thesauros habuit, et Christus eum in iis probasset, certe eum a via non seduxerunt, quia thesauros pro se non tenuit nec potentibus nec divitibus dedit sed pauperibus. Et ideo legitur de eo quod erat quidam imperator nomine Philippus qui tempore beati Laurencii fidem christianam receperat. Hic habebat militem unum nomine Decius.

Cum autem eodem tempore sibi  contra Romam rebellaretGallia rebellaret, imperator hunc Decium misit, qui ad libitum potitus victoria Romam rediit, quem imperator cum honore recepit. Tunc ipse imperium cepit ambire et de morte sui domini cogitare. Cum ergo in stratu suo dormiret, Decius latenter intravit et sic dominum suum jugulavit et tunc ad urbem regiam properavit. Audiens hoc filius ejus nomine eciam Philippus contremuit et totum thesaurum patris sui Sixto pape et Laurencio commendavit, ut si ipsum a Decio contingit interfici, thesauros ecclesiis et pauperibus erogarent.

Post hoc Philippus aufuit, et Decius in imperatorem sublimatur. Tunc ipse cepit christianos persequi, et iniqua persecucione multi martyres ceciderunt. Philippus martyrio coronatus est. Quod videns Laurencius omnes thesauros distribuit pauperibus. Et sic patet quod per divicias non fuit seductus a via Dei.

2$^{o}$ non fuit seductus per dignitates, quia cum esset in magna dignitate, quia fuit archidiaconus summi pape et pontificis, tamen in hoc non superbivit, quia legitur de eo quod tempore persecucionis querebat pauperes per domos et pascebat eos et pedes eorum lavit et osculabatur exemplo sui salvatoris. Probavit eum in adversis, que solent hominem seducere a via Dei, videlicet damna rerum et timor mortis. Unde Herodes timens amittere regnum suum quando Christus natus fuit, omnes pueros, qui erant in Bethlehem, occidit. De **[88r:]** 2$^{o}$ habemus in Petro qui timens amittere vitam ad vocem unius ancille negavit Christum. Hoc non fecit beatus Laurencius qui, cum videret beatum Sixtum duci ad mortem,

exclamavit: Non progrederis sine filio, pater. Nec timuit dignitatem nec vitam.

Ideo legitur, cum Decius de thesauro sui domini quereret, oblatus est ei [ut?] beatus Sixtus tamquam qui coleret Christum imperatoris thesaurum haberet. Qui dum ad decollandum duceretur, beatus Laurencius post ipsum clamavit: Noli me derelinquere, pater sancte, quia thesauros tuos jam expendi, quas tradidisti mihi. Quem cum Decius cepisset, dixit ei: Ubi sunt thesauri quos [apud te] audivimus esse? Cui ipse: College omnes pauperes, cecos, claudos, debiles. Dicens: Ecce isti sunt thesauri eterni, qui numquam deficient, horum manus in celum deportaverunt. Iratus Decius jussit eum scorpionibus cedi, quem cum sacrificare juberet ut omnia tormenta evaderet, respondit infelix: Has epulas semper optavi.

Tunc jubente Decio fustibus ceditur, et ardentes lamine ad latera apponuntur. Dixitque Laurencius: Domine Jhesu Christe, miserere mihi servo tuo. Cui Decius: Scio quod per artem magicam deludis. Tunc jussit eum plumbatis cedi. Iste autem oravit dicens: Domine Jhesu Christe, accipe spiritum meum. Cui vox de celo: Adhuc multa tibi debentur certamina. Cui Decius dixit: Afferatur lectus ferreus ut requiescat in eo Laurencius contumax. Quem ministri exuentes super cratem ferream et prunis suppositis disposuerunt. Dixitque ideo Laurencius ei: Scias, miser, quod carbones isti refrigerium mihi prestant, tibi autem eternum supplicium. Dixit hilari vultu ad Decium: Ecce miser, assasti **[88v:]** unam partem, gira aliam et manduca. Et exclamavit: Gracias ago tibi, Domine, quia januas tuas ingredi merui, et sic emisit spiritum. Et beatus Hippolitus, quem ipse converterat, corpus ejus ab igne capiens honorifice sepelivit. Et sic patet quod probatus fuit inter prospera et adversa tamquam bonus novicius et ideo receptus est ad professionem celestem. Et ideo bene dicitur: Probasti, Domine, cor meum.

3$^{o}$ dicit se visitatum a Domino: Et visitasti nocte, et hoc pro hiis miraculis. Unde legitur in vita sancti Henrici imperator 3$^{us}$is, et cum ipse et , virgo permansitKonegudis uxor ejus insimul in virginitate permanerent, diabolo suadente de quodam milite uxorem suspectam habens super candentes xv vomeres nudis pedibus eam incedere fecit, qua se excusante dixit: Sicut ab Henrico sic ab omnibus intacta me novisti, ita, Christe, me adjuva. Cui vox dixit: Virgo Maria te virginem liberabit. Tunc ista illesa permansit.

Cum autem dictus cesar obiisset, multi demones ante cellam cujusdam heremite transibant. Qui interrogavit ultimum quidnam esset.

Ait iste: Legio sumus demoniorum et ad mortem cesaris propiamus. Quem  conjurans demonesheremita conjurans ut ad se rediret, qui rediens dixit: Nil profecimus, quia dum bona et mala in statera fuissent posita, adustus iste Laurencius ollam auream attulit et in statera posuit, et sic nos preponderavit. Tunc ego iratus unam aurem prerupi. Ollam calicem nominabat, quem idem cesar ad honorem sancti Laurencii fabricari fecerat, cui propter magnitudinem due aures inerant. Repertum erat quoque imperatorem tunc obiisse et unam aurem calicis fractam esse.

Quidam sacerdos sancti Laurencii ecclesiam reparare volens artifices conduxit. Quadam vice, dum quid eis apponeret non haberet, promissa oracione in clibanum respexit, et ibidem candidum panem invenit. Sed cum vix ad unius prandii esum sufficere tribus videretur, beatus Laurencius volens reficere suos artifices sic predictum **[89r:]** panem multiplicavit, quod in alimentum x dierum operariis sufficeret. Et tantum de illo.

## De omnibus sanctis

*Reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum.* Sap. x [10,17]. Sicut dicit Beda festivitas omnium sanctorum 4[or] de causis celebratur. Unde ait: Festivitates sanctorum sancti patres celebrare sanxerunt ut oracionibus eorum adjuvemur, et ideo valde utile est ut qualiter sancti sunt salvati nobis ad memoriam reducatur. Hec autem solempnitas, que sit ad honorem omnium sanctorum, quadruplici causa instituta est. Prima sumitur ex parte cujusdam basilice consecrate, que quidem consecrata erat omnibus idolis. Sed postmodo consecrata est omnibus sanctis.

2[a] causa institucionis sumitur a parte nostre insufficiencie. Sancti enim sunt quasi infiniti, et quia non possumus omnibus festum facere specialiter, hodie faciamus festum singulariter. Unde Jheronimus in epistola ad Heliodorum: Quia nullus est dies quin non ultra 5[e] milia martyrum reperiri possit ascriptus dempto die kalendarum januarii. 3[a] racio est ex parte nostre negligencie. Nos enim festa sanctorum negligenter egimus aut propter humanam fragilitatem aut propter ignoranciam aut oblivionem aut propter negociorum secularium nimiam occupacionem.

Ista 4[or] tangit Rabanus dicens: Decretum est ut hac die omnium sanctorum memoria habeatur, ut quidquid humana fragilitas per ignoranciam vel negligenciam aut per occupacionem rei secularis in solempnitatibus sanctorum minus peregisset, in hac sancta observacione salvatur.

**[89v:]** 4[a] racio sumitur a parte nostre indigencie. Nos enim sanctorum suffragiis indigemus. Propterea omnes eos honoramus, quia impossibile est oraciones multorum non exaudiri, impossibile est multorum preces non exaudiri, impossibile est eorum preces a Deo non admitti. Ideo regina virginum hodie omnibus sanctis associata pro nobis intercedat ad Dominum celestis curie, cum in ipsa celesti curia magnum posse habere probatur. Videamus enim quod aliquis in curia alicujus regis magnum posse habere aut propter parentelam sicut quis esset frater vel filius regis, vel propter graciam inventam, sicut quando quis propter piam probitatem et sapienciam invenisset graciam apud regem, aut propter obsequia exhibita sicut quis multum fecisserat in obsequium regis.

Sic beata virgo Maria habet magnum posse in curia celesti. Primo habet posse magnum racione gracie invente apud Deum juxta illud [Luc. 1,30]: *Invenisti graciam*. Eva quidem graciam perdidit, per quinque milia

annorum et amplius perdita remansit. Sed beata virgo ipsam invenit, non autem tantum invenit sibi sed eciam pro nobis reis, quia si nos peccatores non fuisserimus, Deus de ipsa carnem non assumpsisset. Et ideo possumus dicere ei: Redde nobis graciam, quam invenisti pro nobis.

2$^{o}$ habet magnum posse propter obsequia que regi exhibuit, quia omnia opera misericordie sibi impendit. Unde potest sibi dicere [-Mat. 25,35-36]: *Esurivi et dedisti mihi manducare* sc.infantem nutriendo. *Sitivi et dedisti mihi bibere* tuo lacte virgineo me potando. *Hospes eram, et collegisti me* novem mensibus in tuo utero hospitando. *Nudus eram, et cooperuisti me* vestimentum corporis mei tribuendo. *Infirmus eram et* **[90r:]** *visitasti me* sc. in necessitatibus subveniendo. Et *in carcere eram, et venisti ad me* incarceratum in crucis patibulo. 3$^{o}$ magnum posse habet propter parentelam, quia est mater regis regni celestis, et ideo rex sibi nihil debet denegare.

Unde dicit Salomon Bersabee matri sue Reg. 2$^{o}$ [3.Reg. 2,20]: *Pete enim, mater mea, neque enim phas est, ut avertam faciem meam.* Salomon sc. filius Dei dicit aBersabee sc. virgini Marie etac. Rogemus ergo eam ut intercedat pro nobis ad Dominum, ut avertet indignacionem suam etc.

Reddet Deus etc. In verbis propositis ad laudem omnium sanctorum duo notantur. Primo notatur in terris honesta conversacio, 2$^{o}$ in celis eterna premuneracio. Primum notatur ibi: Laborum sanctorum suorum, 2$^{m}$ ibi: Reddet Deus. Ideo notandum quod sancti tripliciter laboraverunt. Primo pro peccatis dolendo, 2$^{o}$ bonis operibus insistendo, 3$^{o}$ adversa patienter sustinendo. Pro dolore reddidit eis Deus mercedem consolacionis, pro bono opere mercedem requiecionis, pro adversitatis perpessione mercedem eterne exultacionis. Dico ergo quod sancti laboraverunt propriis peccatis dolendo. Unde Ps. [6,7]: *Laboravi in gemitu cordis mei.* Tu bene scis, karissime, quod quando aliqua adversitas tibi advenit, tunc maxime cor tuum inde tristatur, sed quid potest te magis tristem reddere quam hoc, quando mortaliter peccas, tunc derelinquis Dominum tuum. Istud considerabat beatus Petrus qui, postquam negaverat Dominum, egressus foras flevit amare. Sic eciam Maria Magdalena que lavit lacrimis pedes Domini et tersit capillis suis. Ita ergo sancti laboraverunt propriis peccatis dolendo. Idcirco meruerunt mercedem eterne consolacionis.

Unde in evangelio hodierno: *Beati* **[90v:]** *qui lugent* sc. dolent pro peccatis, *quoniam ipsi consolabuntur*. Mat. v$^{o}$ [5,5-9]. Vii utilitates ponuntur et vii promissiones, que vii ordinibus sanctorum coaptantur.

Prima est: *Beati pauperes spiritu*. Ista convenit ordini apostolorum. Huic beatitudini additur: *Quoniam ipsorum est etc*. 2[a] beatitudo: *Beati mites* et convenit angelis. Huic beatitudini additur promissio: *Quoniam ipsi possidebunt terram.*

3[a] beatitudo est: *Beati qui lugent* ut supra. 4[a] beatitudo est: *Beati qui esuriunt et sitiunt* et convenit prophetis qui vehementer esuriebant et sitiebant adventum Christi. Huic beatitudini additur: *Quoniam ipsi saturabuntur*. 5[a] beatitudo: *Beati misericordes* et convenit patriarchis. Huic additur: *Quoniam misericordiam consequentur*. 6[a]: *Beati mundo corde* et convenit virginibus, que mundiciam cordis et corporis habuerunt. Huic additur: *Quoniam ipsi Deum videbunt.* 7[a] beatitudo est: *Beati pacifici* et convenit confessoribus qui in se pacem consciencie habuerunt. Huic additur: *Quia filii Dei vocabuntur.*

Ecce quante consolaciones dantur sanctis. Iste eciam dantur hominibus, quando anima egreditur de corpore a miseria hujus mundi et suscipitur ab angelis in celum, et quando dicit ad animam sanctorum Deus illud Jer. xxvi[o] [31,16]: *Quiescat vox tua a ploratu et oculi tui a lacrimis, quia est merces operi tuo*.

Sed quia non est perfecta laus preterita mala plangere, nisi eciam studeat bona agere, ideo 2[o] laboraverunt sancti bonis operibus insistendo. Et que sunt ista bona opera in quibus sancti laboraverunt, habemus 2[o] ad Cor. vi[o] [2.Cor. 6,4-6-] ubi beatus apostolus hortatur suos discipulos dicens: *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patiencia, in laboribus et vigiliis et castitate, in caritate non ficta.*

Nota de singulis monet quemlibet nostrum ut laboremus ibi Thi. 4[o] [2.Tim. 4,5] dicens: *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangeliste*. **[91r:]** In istis fuit labor sanctorum. Et idcirco debet eis mercedem requiecionis sicut scribitur Apoc. xiiii[o] [14,13]: *Ammodo jam dicit spiritus* sc. modo habet requiem in anima sed in die judicii in anima et corpore, quando Deus pater dicit filio suo Jhesu Christo Mat. xx[o] [20,8]: *Voca operarios et redde illis mercedem suam.* Si vis tunc accipere mercedem cum illis, debes modo in bonis operibus exerceri secundum consilium sapientis [Eccles. 9,10]: *Quodcunque potest manus tua instanter operare*. 3[o] laboraverunt sancti adversa patienter tolerando. Unde possunt bene esse verba illorum illud quod legitur Deut.xxvi[o] [26,7]: *Clamavimus ad Dominum, qui exaudivit nos. Respexit humilitatem nostram et laborem et angustiam*.

Unde Tullius: Quando tibi aliquid adversitatis occurreret, clama ad Dominum, et liberabit te. Unde Ps. [90,15]: *Cum ipso sum in*

*tribulacione*. Ita fecit beatus Paulus qui dixit [Act. 21,13]: *Ego non solum ligari, sed eciam mori in Jherusalem paratus sum pro nomine Domini.* Consideravit enim quod Dei filius non intravit in gloriam suam sine pena. [Act. 14,21:] *Oportet nos per multas tribulaciones intrare regnum celorum.* Propterea dedit eis Deus mercedem eterne exultacionis, sicut ipse salvator dicit Mat. [5,12]: *Beati eritis, cum maledixerint vos homines etc.* Et sequitur infra: *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa erit in celis.* Quam mercedem cum eis nobis parare dignetur Deus pater eternus. Amen.

## De sancto Nicolao. Anno Domini mcdlviiiº [35]

*Quasi oliva pullulans, et quasi cipressus in altitudine se extollens, in accipiendo stolam glorie, et vestivi ipsum in consummacionem virtutis.* Eccli. 50 [,11]. Ista verba possunt exponi de sancto Nicolao qui commendatur hic a 4or. Primo ab officio miseracionis ibi: Quasi oliva, per quam signatur. 2º a celsitudine contemplacionis ibi: Et quasi cipressus in altitudine se extollens. 3º a pontificalis officii excellencia ibi: In accipiendo stolam glorie. 4º a finali in bonis operibus perseverancia ibi: Et vestivi eum veste virtutum. Beatus Nicolaus fuit misericors, ideo comparatur olive. Devotus, igitur comparatur cipresso.

Nota: Comparatur olive propter 4or. Propter ramum qui est signum reconsiliacionis, propter florem qui est boni odoris, propter liquorem sc. oleum, propter fructum qui est dulcis saporis, propter ramum Deo peccatores reconsiliando, propter florem aliis exemplum bonum prebendo, propter liquorem sive oleum misericordie operibus insistendo, propter fructum celestis vite dulcedinem in se habendo.

Primo comparatur olive propter ramum peccatores Deo reconsiliando. Gen. 8º,[11]: *Columba venit ad Noe ad vesperam portans ramum olive virentibus foliis.* Per hanc columbam significatur spiritus sanctus, per ramum olive beatus Nicolaus, quem spiritus sanctus vesperascente tulit ad vesperam Noe sc. celestem patrem ad reconsiliandum Deo hominem, et hoc quia pontifex erat, Deo placuit et in se justus fuit. Quamvis omnes sacerdotes habent officium cum Deo peccatores reconsiliando, tamen hoc specialiter spectat ad pontifices qui sunt vicarii Christi. Rom. 5º[,10]: *Reconsiliati sumus Deo per mortem filii ejus.* Christus enim verus existens pontifex volens hominem Deo reconsiliari semetipsum pro homine in cruce optulit.

Sed considera qualiter ad altare crucis processit. Certe aliter quam nostri pontifices. **[92r:]** Ipsi enim cum ornatu vestium etc. et jocundo statu procedunt. Christus nudus et flens crucem ascendit, pro infola portavit spineam coronam, pro baculo pastorali crucem habuit. Considera baculum pastoralem, qui superius est curvus, medio est rectus, inferius est acutus, in signum quod episcopus homines peccatores debet ad Deum trahere, subditos bene regere et malos punire. Versus: Attrahe per primum, medio rege, punge per immum, ut ergo crux baculo similis fieret.

---

[35] Partly the same sermon fol. 131v, both from Peregrinus Polonus

Ideo Christus clanos in pedibus sustinuit, ad dorsum lignum erectum habuit, caput pro curvatura baculi inclinavit, pedes cruentatos pro sandaliis, manus rubricatas pro cyrothecis. Ecce qualiter verus pontifex peccatores Deo reconsiliavit. Quid ergo faciat peccator qui modo peccat et Dominum offendit? Qualiter reconsiliabitur? Peccator, noli desperare. Adhuc multos habes in mundo pontifices et sacerdotes, qui te Deo reconsilient. Ad Heb. 5°[,1]: *Omnis pontifex ex hominibus etc.* Istud officium habuit sanctus Nicolaus. Unde de eo exponi possunt illud Eccli. X5° [45,4]: *Ipsum elegit ex omni viventi offerre sacrificium Deo*.

2° comparatur olive propter florem qui est boni odoris exemplum aliis prebendo. Unde de eo potest exponi Osee 14[,7]: *Erit quasi oliva gloria ejus et odor ejus ut Libani*. Numquam fuit oliva ita gloriosa in foliis, sicut iste sanctus in bonis operibus, in quibus odorem boni exempli de se emisit. Unde de illo dici potest Eccli. 24[,23]: *Flores mei fructus honoris et honestatis.* Honoris quantum ad Deum, honestatis quantum ad proximum, nam de bono ejus exemplo Deus honoratur. Cepit in infancia dare bonum exemplum et usque ad finem numquam destitit. Cum enim adhuc materno utero lactaretur, duobus diebus in septimana 4ª sc. et 6ª feria **[92v:]** jejunavit. In hiis siquidem diebus semel suxit et sic per totum diem abstinuit. Hic adverte stulticiam quorumdam hominum qui dicunt: Quid prodest homini quod multum jejunat? Jejunium non facit hominem beatum.

Nequaquam beatus Nicolaus spiritu sancto inspiratus in infancia jejunare incepisset, qui numquam adhuc peccatum commisisset. Et tu, miser peccator, multa peccata commisisti et pro eorum satisfaccione non vis jejunare. Beatus adhuc Nicolaus sugens bis jejunavit in septimana, et tu non vis jejunare saltem uno die sc. sexta feria, in qua Christus pro te in cruce magnam sitim sustinuit, felle et aceto potatus fuit, sanguinem fudit et mortem sustinuit ut te a morte liberaret. Certe si numquam aliquod peccatum commisisti, deberes tamen libenter feria 6ª jejunare ob honorem passionis.

Sic beatus Nicolaus dedit exemplum jejunando, libenter ecclesiam frequentabat, oracionibus insistebat, verbum Dei libenter audiebat. Hoc contra multos qui non libenter vadunt ad ecclesiam, inviti audiunt verbum Dei, parum attendunt et ideo parum inde ferunt. Audi quid de hoc sancto legitur: Cum defunctus esset episcopus Myrree civitatis, convenerunt alii episcopi ad providendum illi ecclesie de episcopo. Cumque vigiliis et oracionibus insisterent, uni eorum revelatum est ut

observaret foras ecclesie, et quem primum ibi tempore matutinis venire conspiceret, illum in episcopum consecrarent, et adjiciens quod Nicolaus vocaretur. Sicque sanctus Nicolaus ad ecclesiam tempore matutinis veniens in episcopum est ordinatus.

3$^{o}$ comparatur olive propter oleum, quod est fomentum ignis, operibus misericordie insistendo. Oleum quidem signat misericordiam. Propter hoc legitur de eo quod cum quidam convicanus ejus ad tantam venisset inopiam, ut tres suas filias virgines fornicari constituit ut illarum infami commercio miseram duceret vitam, beatus Nicolaus hoc audiens eidem condoluit. Accipiens aurum nocte ad domum viri pergens clamque intus jecit clamque recessit. At ille auro invento gracias Deo egit et primogenite filie nupcias celebravit. Sicque ter fecit ut illum **[93r:]** ab inopia et filias a stupro liberaret. Bene servavit iste doctrinam, quam docuit Thobias filio suo dicens [Thob. 4,8-9]: *Quomodo potueris, esto misericors. Si multum sit tibi etc. Si exiguum etc.* Beatus Nicolaus multum habuit, multum dedit, non modicum, ut quidam faciunt, nec vilius quam habuit dedit, sed aurum nobile. Hoc contra illos, qui vilius quam habent in mensa dant pauperibus. Non attendunt quod dant Deo. Mat. 25[,35]: *Esurivi et dedistis etc.*

4$^{o}$ comparatur olive propter fructum qui est dulcis. In mundo habuit hanc dulcedinem per spem in celo nunc per rem, quia eterne vite dulcedine abundanter satiatus. Unde Christus omnes ad se invitat dicens [Eccli. 24,26]: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me etc.* Heu quam stulti sunt peccatores qui hanc dulcedinem spernunt et ad infernum, ubi est amaritudo horribilis, currunt. -Deut. 12 [32,32-33]: *Uva eorum uva fellis et botrus amarissimus. Fel drachonum vinum eorum et venenum insanabile.*

Per ista que ponuntur, possumus accipere amaritudines, que sunt in inferno, que tante sunt quod ore explicari non possunt. Audi a peccatoribus qui dulce vinum quotidie bibunt non considerantes illud horribile verbum Johel 1$^{o}$[,5]: *Expergiscimini, ebrii, et flete et ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam periit ab ore vestro.* Dulcedo vini ab ore ejus perierat, qui in inferno positus pro gutta aque petiit et habere non potuit. Osee 4$^{0}$[,11]: *Vinum et ebrietas auferunt cor,* in gulosis requiescit diabolus, in abstinentibus vero non. 41Job xli$^{o}$: *Sicut fames facit lupum exire de nemore, ita abstinencia diabolum a homine.* Ista bene consideravit sanctus Nicolaus propter quod parce vixit, ut audistis, et quia fidelis servus Dei in officio commisso fuit. Ideo in

celum est introductus ad suam Dei gloriam. Ad quam venire parare dignetur nobis Deus qui vivit et regnat per secula seculorum.

## De nativitate Domini sermo[36]

*Puer natus est nobis, et filius Dei datus est nobis.* Isa. 9°[,6]. Hoc die nobis boni rumores adveniunt, qui Christi adventum desideramus. Ecce in prima dominica adventus petebant fideles Christi adventum dicentes: Veni, Domine, et non tardare. In sequenti autem dominica lectum est eis quomodo venimus ad judicium et signa precedencia. Sed in quarta dominica beatus Paulus Dominum appropinquasse dicit: Gaudete, quia prope est Dominus. Sed hodie certiores rumores dicti sunt per nuncium celestem [Luc. 2,10]: *Ecce annuncio vobis gaudium magnum*, quod est magnum quantum ad 4^or^.

Primo quantum ad altitudinem quia usque ad celum ascendit et angelos letificat. Unde JCangeli tanto gaudio repleti sunt, quod de celo descenderunt et suum gaudium pastoribus retulerunt. 2° est magnum quantum ad profunditatem quia infernum penetravit et sanctos, qui in limbo inferni erant, inenarrabili gaudio replebat. Isaie [9,2]: *Habitantibus in regione umbre mortis lux orta est.* 3° fuit magnum quantum ad longitudinem quia extendebatur usque ad Orientem, quia tanto gaudio [reges tres?] sunt repleti quo regna sua cum gaudio reliqueruntd sua regna liquerunt et ad puerum occurrerunt.

4° fuit magnum quantum ad latitudinem quia perfudit totum mundum. Et ideo nativitas hujus pueri magne jocunditatis fuit et virtutis. Ideo ecclesia in principio misse exultans canit: Puer natus est nobis, certe mirabilis, honorabilis, nobilis et amabilis. Mirabilis fuit in semetipso, in matre, mirabilis in celo, mirabilis in terra, mirabilis inter animalia, mirabilis inter demonia, mirabilis in sole, mirabilis in omni creatura.

Nota quod Maria quinquies ostendit filium suum mundo, primo in cunabulo pastoribus vigilantibus sc. prelatis ecclesie spiritualiter, qui sunt pastores animarum. 2° in hospicio tribus regibus qui Christum muneribus honoraverunt, sic et nunc devotis principibus qui ecclesiam Dei protegant et defendunt. 3° Simeoni seni et Anne prophetisse vidue in templo, sic et modo devotis hominibus contemplantibus. 4° judeis crudelibus, militibus et paganis in crucis patibulo, 5° apostolis, discipulis et mulieribus sanctis in alto montis Oliveti, **[94r:]** quando celos ascendit nobis glorie habitacula paraturus.

Primo sciendum est quod quicunque rex pro servo lese majestatis reo a morte liberaret aut precium daret aut servum, qui eum numquam offendisset, exponeret magnum quid pro eo fecisset, multo magis si

[36] Partly from the sermons of Parati and Peregrinus Polonus

filium unigenitum daret. Ita pater eternus, si ad liberandum nos aut precium dedisset aut angelum misisset, multum deberet nobis videri, multum tantum beneficii extolli. Quanto magis quod filium equalem sibi misit ut servum redimeret. Gregorius: Ut servum redimeres, filium tradidisti. Propterea Joh. 4 [1.Joh. 4,9]: *In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* Vere qui tantam graciam non cognoscit brutum se recognoscat. Ex istius muneris preciositate gaudium erat angelis in celo, sanctis in limbo et in mundo hominibus.

Primo angeli gaudebant propter peccatorum reconsiliacionem. Nam si super unius peccatoris conversione gaudium sit angelis, Luc. xv [15,10]: *Gaudium erit angelis Dei super uno etc.*, quanto magis super unius peccatoris reconsiliacione. 2$^{o}$ sancti in limbo gaudebant propter divine lucis visionem. Eccli. xx4$^{o}$ [24,45]: *Penetrabo inferiores partes terre,* sc. infernum, *et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes in Deo sperantes.* Isaie [9,2]: *Populus* gentium, *qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.*

3$^{o}$ populus gaudebat in mundo de adventu filii Dei, quia per eum reconsiliatus est Deo patri per pacem, quia quamdiu per peccatum erat sub potestate diaboli, fuit inimicus Dei. Sed in hac nocte qua natus est Christus, pax facta est inter Deum et hominem, inter angelum et hominem, et inter hominem et hominem. Et ideo angeli cantaverunt in hac nocte [Luc. 2,14]: *Gloria in excelsis Deo.*

Nota. Christus in Bethlehem natus est, in Nazareth nutritus et in Jherusalem mortuus. Bethlehem domus panis interpretatur, et potest significari per hanc civitatem cor penitentis, in quo reperiri debent illi tres panes, quos ab amico nostro, omnipotenti Deo, petere debemus. Luc. xi [11,5]: *Amice, commoda mihi tres panes etc.,* qui sunt contricio, confessio et satisfaccio.

**[94v:]** Nota maximam Dei caritatem in hoc, quod filius ejus datus est nobis sc. stolidis in exemplum conversacionis, captivis in precium redempcionis, nobis ad ipsum conversis in precium remuneracionis. 2$^{o}$ datus est nobis in precium redempcionis et hoc maxima caritate patris. Bernardus: Stat Jhesus ante presidem vultu placido, capite inclinato, sermone raro, in capite spinas habens, in oculis lacrimas, in facie alaphas, in auribus obprobrium, in ore absinthium et in fine mortem, mortem autem crucis. 3$^{o}$ datus est nobis in precium remuneracionis. Bernardus super Cantica: O Domine Jhesu, memoria tua super mel

dulce, te noscere tota consolacio, tibi adherere vita eterna, a te separari mors perpetua.

Nota triplex est causa quare filius Dei datus est nobis, primo in ducem nostre liberacionis. Reg. xiii [4.Reg. 13,5]: *Vidit Dominus angustiam Israel, quia attriverat eum rex Syrie, et dedit Dominus salvatorem Israeli, et liberatus est de manu Syrie.* Syria interpretatur sublimitas et signat superbiam, que semper sublima appetit, et in sublimibus incipit sc. in superbis. Talium rex est diabolus. Job 34 [?]: Ipse sc. diabolus est rex super omnes filios superbie, quia propter peccatum primum totum genus humanum tenuit captivatum et ad infernum, quantumque boni essent, trahit.

$2^0$ filius Dei datus est nobis in exemplum conversacionis. Unde ante adventum Christi tempus quasi nox fuit tenebrosum, quia sciverunt parum quid facere deberent, donec natus est Christus in carne, sicut dicit pater de eo Isaie 99 [49,6]: *Ded ite in lucem gencium.* [Joh. 1,9:]. *Ipse enim est lux vera, que illuminat omnem hominem.* $3^o$ datus est nobis in solacium nostre peregrinacionis. Unde postquam propter peccatum primum Adam cum posteritate sua in hoc exilium a facie Dei fuit ejectus, multis tribulacionibus fuit genus humanum expositum sicut quotidie experiuntur. Ideo pater misericordiarum vera misericordia motus nobis filium suum dedit, qui nobis in omni tribulacione subveniret. Unde Ps. xxviii$^o$ [28,11]: *Dominus virtutem populo suo dabit,* virtutem sc. Christum secundum apostolum [2.Cor. 1,4] te in omni angustia subvenientem et in omni tristicia consolantem, et nobis precium suum, regnum sine fine largientem. Quod parare dignetur nobis pater et filius et spiritus sanctus. Et tantum de illo.

**De circumscisione Domini**

*Octavo die circumscidetur infantulus.* Levit. 12[,3]. Dicatur evangelium ad finem. Primo nota quod infans octo dierum est circumscisus, sanguinem fudit pro nobis, et nos miseri ad etatem pervectam venientes non unicum verbum volumus sustinere pro eo, non attendentes illud Augustini: Si fuerimus socii passionis et minus consolacionis. Sed ad hoc quod tanto libentius sustineamus pro Christo, scire debemus quare Christus voluit mori et redimere nos in sanguine suo, cum in uno verbo potuit nos redimere si vellet. Ad hoc sunt tres raciones.

Primo effudit sanguinem ut gravitatem peccati nobis ostenderet. 2º ut precium sufficiens pro nobis solveret. 3º ut a peccatis suo sanguine nos lavaret. Primo effudit sanguinem suum ut ostenderet quam grave sit peccatum. Unde Augustinus: O homo, quam nobilis est anima mea, et quam gravia sunt peccata tua et vulnera, pro quibus Christum oportuit vulnerari. Unde multum cavendum est a peccatis, quia qui peccat voluntarie, quantum in eo est, iterum facit Christum sanguinem fundere, quia facit peccata pro quibus Christus fudit sanguinem. Contra quos apostolus [Hebr. 6,6]: *Rursum crucifigentes filium Dei in vobismetipsis*.

De 2º homo enim pro peccatis satisfacere deberet Deo patri, sed Christus factus est pro nobis fidejussor. Sed quia homo qui erat principalis fidejussor et debitor, non potuit solvere precium sufficiens, ideo Christus satisfecit pro nobis non in auro vel argento sed preciosi sanguinis effusione. 3º fudit sanguinem ut nos a peccatis lavaret. Apoc. [1,5]: *Dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Eramus fetidi de peccatis, de qua feditate numquam possemus mundari nisi mundissimo sanguine Christi, et licet minima gutta sanguinis ipsius sufficeret pro toto mundo redimendo et pro mille mundis redimendis, sequitur tamen ut copiosa esset redempcio, septies fudit sanguinem.

**[95v:]** Primo in circumscisione hodie ut mundaret nos ab acerrima concupiscencia contra luxuriam. 2º in agonia quando sudor ejus factus est sicut gutte sanguinis, et hoc in hortu quando orabat trina voce patrem pro imminente sua passione, contra :gulagulam. 3º in flagellacione contra iram. 4º in coronacione contra superbiam. Ipsa est caput omnium viciorum et queret pro aliis coronari. Unde superbit miser homo, cum vidit septies coronatum regem glorie. 5º in crucifixione manuum contra avariciam. Avari enim homines semper manus habent contractas, sed ut discerent dare pauperibus, suas manus in cruce Christus extendit.

6º in crucifixione pedum contra accidiam, que est peccatum mortale impediens bonum et augens malum. Ergo secundum apostolum [Galat.6,10]: *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* 7º Christus fudit sanguinem in lateris apercione contra invidiam. Ecce qualia pro te passus est, et tamen miser sine omni penitencia quasi ludendo vis habere regnum celorum quod non fiet. Ideo redimendo te penam sustinuit et ita gloriam suam intravit, ut nos per exemplum suum intrare mereamur.

## Dominica 2a p. Ep.[37]

[*Nupcie facte sunt in Cana*. Joh. 2,1. Primum matrimonium est] carnale inter virum et mulierem, et ad illud matrimonium pertinent nupcie, de quibus hic agitur. 2m est spirituale et hoc est inter Deum et animam, utputa in baptismo. 3m matrimonium est eternale et hoc erit in patria. Primo dico quod hoc sacramentum matrimonii dicitur esse magnum propter 4or dignitates in matrimonio factas.

Prima dignitas est quod sacramentum matrimonii dicitur religio, quam ipse solus Deus instituit. Alias religiones instituerunt sancti, videlicet instituit ordinemAugustinus, instituit ordinemBernardus, S. instituit ordinemDominicus, instituit ordinemBenedictus, sed istam religionem solus Deus instituit. Ideo felices sunt qui talem habent abbatem sc. Christum. Ideo dicitur magnum, quia primo a Deo est institutum.

2a dignitas matrimonii est, quia in feliciori tempore institutum est, videlicet antequam perpetratum fuisset peccatum, et hoc in signum quod homo in matrimonio posset vivere sine peccato, si vult tenere legem.

3a dignitas matrimonii est, quia in digniori et feliciori loco institutum est qui [quam?] est in mundo, videlicet in paradiso, qui locus dici non potest sed regio, quia est terra regalis, quam propter peccatum primi parentis perdidimus. Et hoc in signum quod homines existentes in matrimonio, si bene vixerint, possunt pervenire ad paradisum superiorem sc. celum.

4a dignitas matrimonii est quia Deus per se et matrem et discipulos nupcias visitavit et signo solempni decoravit, ubi aquam in vinum mutavit, ut habetur in evangelio: Nupcie etc. Item qui vult juste et legitime statum servare in matrimonio, mutuam matrimonium. caritatem servabit, ut nulla mulier sit ita pulchra ita nobilis vel dives, ut aliam diligas quam propriam uxorem. Item diligas eam tam fervens ut non malum verbum loquaris ad eam vel percutis. Diligas eam sicut teipsum videlicet in vestitu, esca et aliis modis etc.

---

[37] Partly the same sermon f. 321r. Both from Peregrinus Polonus

**De desperacione**[38]

Nota sex sunt pro quibus homines solent desperare. Primo propter peccati magnitudinem. Gen. 3$^o$ [4,13]: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* 2$^o$ propter peccatorum multitudinem. Prov. [18,3]: *Peccator, cum in profundis venit.* 3$^o$ pro peccati turpitudinem. Apostolus [Eph. 5,12]: *Que in occulto.* Quarto propter peccati diuturnitatem. Joh. [1.Joh. 5,16]: *Est peccatum ad mortem* sc. perseverans usque ad mortem. 5$^o$ propter peccati infamiam, quando quis considerat peccata sua ad noticiam pervenisse, desperat pre confusione. Jer. [2,25-26]: Dixisti: *Desperavi*, et redditur ibi causa, *quomodo confunditur fur, cum deprehenditur, sic confusa est domus Israel.* 6$^o$ propter peccati iteracionem. Jacob ii [2,10]: *Qui in uno offendit.*

Ita reus allegat pro se, sed dico tibi peccatori cuilibet, si desperas propter magnitudinem peccati, habes Petrum qui Christum negavit, quod est magnum peccatum. Tamen Dominus respexit eum oculis misericordie. Si pre multitudine desperares, habes Mariam Magdalena que habebat vii demonia. Tamen dimissa sunt ei peccata multa. Si propter turpitudinem habes mulierem in adulterio deprehensam, cui dictum est [Joh. 8,11]: *Vade et amplius noli peccare.* Si propter peccati diuturnitatem, habes latronem qui usque ad mortem in malo perseveravit, et dicitur ei [Luc. 23,43]: *Hodie mecum eris in paradiso.* Si propter infamiam habes  publicanus = publicus canisMatheum publicanum sc. publicum canem. Tamen dictum est ei [Marc. 2,4]: *Sequere me. Et secutus est eum.* Si propter peccati iteracionem, habes expressam auctoritatem Mat. [18,21]: *Quotiens peccabit etc.*

[38] f. 95Av is written in another hand. The same note on desperation f.330r.

**De tribus regibus**

*Apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus et mirram.* Mat. [2,11]. Multipliciter et in multis commendat hos tres reges evangelium hodiernum et eorum pium desiderium sc. quod Christum sedule et studiose quesierunt et inventum reverenter adoraverunt. Et sicut dicit beatus Gregorius: Probacio dileccionis exhibicio est operis. Unde Seneca: Omne beneficium redditur acceptum ex quantitate dati et ex modo dandi. Quantitas dati patet ex preciositate et varietate.

Ideo dicit: Apertis thesauris etc. et postea subdidit: Aurum, thus et mirram. Decet enim ut ei, qui omnibus omnia bona dat, de melioribus serviatur. Modus dandi patet commendabiliter ex spontanea liberalitate. Ideo dicitur: Obtulerunt, contra multos qui ita difficiles et tenaces sunt, quod si debent aliquid pro Deo facere, magis videntur extorqueri quam dari. [2.Cor. 9,7:] *Hilarem datorem diligit Deus.* Unde David qui multa et magna ad edificium templi paravit. [1.Par. 29,17:] *In simplicitate cordis mei letus obtuli universa.* Augustinus: Reges isti figuram tenent devotorum christianorum, et ideo sicut ipsi obtulerunt hec tria dona corporaliter, sic omnis homo eciam tria Deo offerre tenetur que per hec munera significantur.

Habet enim homo corpus a Deo et de hoc offerre debet opera penitencie, animam et de hac debet offerre opera devote oracionis, substanciam et de hac offerre debet opera misericordie et compassionis. Primo offerre debet opera penitencie, que significantur per mirram, que secundum Isidorum faccioneest herba amara et corpora peruncta servat a putrefaccione. Ad Rom. [8,13]: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

2$^{o}$ offerre debet opera devote oracionis, que significatur in thure. Gregorius et Isidorus: Quia sicut thus non redolet nisi in ignes, sic nec oracio placet saltem, quam devota esse debet, nisi de mundo corde procedit. Ps. [140,2]: *Dirigatur oracio mea sicut incensus in conspectu.* Apostolus [1.Tim. 1,5]: *De corde puro et consciencia bona,* hac diligimus Deum.

**[96v:]** 3$^{o}$ debet offerre de exteriori substancia sua opus opera misericordie et compassionis, et significatur in auro, quia opus misericordie cum caritate factum auro non est comparandum, quia inter omnia opera, sicut dicit apostolus ad Thim. [1.Tim.4,8]: *Pietas ad omnia utile est.* Ideo dicit Ambrosius quod summa christiane religionis in

misericordia et pietate consistit. Luc. 12º [11,41]: *Date eleemosynam, et omnia vobis munda erunt.*

De hoc eciam dicitur de Thobia [Thob. 1,6-7], quod erat *omnia primitiva et decimas fideliter offerens*. Nam proselitis et advenis ministrabat omnem decimacionem. Et sicut ipse fecit, ita filium suum facere docuit. Thob. 4[,7-12]: *Ex substancia tua fac eleemosynam, et noli avertere aurem tuam ab ullo paupere, ita enim ut non avertatur a te facies Domini. Quomodo poteris, esto misericors. Si multum tibi fuerit, habundanter tribue. Si exiguum etc. Fiducia enim magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.*

Per ista tria munera figurantur ista tria opera misericordie, ut audivit dileccio[?] vestra. Et propterea hodierna die nobis tria mirabilia ostendit. Primum est quod stella magos duxit ad cunabulum, et hoc quia eam sequebantur ipsos precedentem, ut habetur in evangelio hodierno [Mat. 2,11]: *Intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus et prociderunt etc.* Et iterum stella, quam viderunt magi in Oriente, antecedebat eos etc. 2m est quod hodie in Jordane a servo sc. Johanne Baptista baptizatus est Dominus sc. Christus. 3m est quod celi aperti sunt super eum, et spiritus sanctus in specie columbe visus est, paterna vox audita est [Mat. 3,17]: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Ipsum audire, ipsius mandatis ita obedire et ipsum ita audire concedat nobis pater et idem filius, qui cum spiritu sancto vivit et regnat in unitate.

**[97r:]** Cum itaque [39] omnia per ipsos tres reges laudabiliter essent disposita, ex tunc ad civitatem Syrillam se transtulerunt perpetue manentes et duobus annis supervixerunt. Et tunc modicum ante festum nativitatis Domini quedam stella nova super Syrillam civitatem apparuit, per quam eorum felicem resolucionem instare intellexerunt et quod a Deo vocabantur omnibus intimabant. Unde ibidem in ecclesia tumulum per ipsos factum sub more regio preparari jusserunt. Et ibidem instans nativitatis Domini festum divinum officium solempniter peregerunt, et octava nativitatis Domini extunc Melchior rex Nubie et Arabie mortuus anno 116 divino officio celebrato anno etatis sue centesimo x sexto coram omni populo inclinato capite absque dolore dulciter in Domino obdormuit. Cujus corpus alii duo reges sepelierunt honorifice et devote.

Et post hoc 5to die, que est festum Epiphanie Domini, ex tunc Balthazar rex Godolie et Saba mortuus 112 anno anno etatis sue centesimo duodecimo celebrata solempniter missa coram omni populo

[39] The death of the kings also fol. 272r-v

absque omni dolore ibidem in Domino quievit. Quem 3[us] rex et omnes principes et nobiles juxta prioris regis defuncti corpus eodem modo in cultu regio honorifice in tumulum posuerunt. Et non multum post sequenti die vi[a] extunc Jaspar 3[us] rex Tharsis et insule Grisolle. mortuus anno 109 anno etatis sue centesimo nono divino officio peracto devote coram omnibus astantibus sine dolore alios duos sequebatur. Qui dum more regio, prout decuit, juxta corpora duorum regum priorum in tumulo posita [locari deberet?], quilibet in partem suam cessit, et corpus 3[i] regis in medium eorum receperunt. Itaque hii gloriosi principes, quomodo in vita dilexerunt se, ita et in morte non sunt separati. Et stella rara que ante eorum obitum apparuit, quousque eorum corpora Colonie transferrentur, prout dicunt indii, immo supra civitatem Syrillam permansit.

## De purificacione Marie sermo[40]

*Postquam impleti sunt dies purgacionis Marie.* Luc. [2,22]. In istis verbis tria notantur, circa que versatur presens solempnitas sc. Marie purgacio, pueri oblacio et Simeonis obviacio. Et secundum hec tria hodiernum festum vocatur purificacio. Sed mirabile fuit quod illa purificari voluit que purificacione non indiguit. Sed ipsa fuit purificata et purior omni creatura in mundo. Fuit purificata quia numquam peccavit nec venialiter. Sed maxime purissima fuit in filii concepcione. Unde spiritus sanctus videns eam tam pulchram et purissimam ait [4Cant. 4,7]: *Tota pulchra es, amica, et macula non est in te.* Unde purificacio beate Marie virginis xl[o] die post nativitatem Domini facta est. Consuevit autem istud festum tribus nominibus appellari sc. purificacio, ypopanti et ca ndelaria.

Purificacio dicitur eo quod xl[o] die post nativitatem Domini beata virgo ad templum venit ut secundum legem mundaretur, cum tamen sub illa lege non teneretur. Precepit autem lex Levit. xii[o] quod mulier que suscepto semine filium peperisset, immunda esset vii diebus sc. a consorcio hominum et ab ingressu templi. Sed completis vii diebus munda quidem efficiebatur quoad consorcium hominum, sed adhuc usque xxxiii dies immunda quoad ingressum templi. Tandem completis xl diebus xl[o] die templum intrabat et puerum cum muneribus offerebat. Si vero feminam peperisset, duplicantur dies et quoad consorcium hominum et quoad ingressum templi.

Et quare Dominus ut xl[o] die presenti in templum offertur, triplex assignatur racio. Prima ut per hoc intelligitur quod sicut puer xl[o] die in materiale templum ducitur, sicut xl[o] die a concepcione ut sepius anima in corpus infusa tamquam in suum templum infunditur, sicut habetur in ecclesiastica historia. 2[a] ut sicut anima xl[o] die in corpori infusa ab ipso maculatur, sicut xl[o] die templum ingrediens per hostias ab **[98r:]** ipsa macula amplius expietur. 3[a] racio ut per hoc datur intelligi quod illi in templum celeste mereantur ingredi, qui x precepta Domini voluerint observare. Beata igitur virgo Maria huic legi purificacionis non tenebatur, quia non peperit suscepto semine sed mistico spiramine. Racio est ut humilitatis exemplum daret. Unde Bernardus: Vere, beata virgo, non habes causam, nec tibi opus est purificacione. Sed numquid filio tuo opus erat circumscisione? Esto inter mulieres tamquam una illarum, nam et filius

[40] Partly from Peregrinus Polonus, the rest perhaps from Jacobus de Voragine:Legenda Aurea

tuus sic est in medio puerorum. Hec autem humilitas non solum fuit ex parte matris sed eciam ex parte filii, qui similiter voluit se subdere legi.

De 2° presens festum dicitur ypopanti quod idem est quod presentacior, ex eo quod Christus est in templo presentatus. Vel hypopanti quod idem est quod obviacio, quia Simeon et Anna obviaverunt Domino, cum offeretur in templum, et dicitur ab ipo [hypa?] quod est ire, et anti. [Luc. 2,28:] *Tunc accepit eum Simeon in ulnas suas.* Ille qui est portans omnia verbo virtutis sue, hodie se in ulnis senis portari permisit, qui portabat portantem secundum illud: Senex puerum portabat, puer autem se regebat.

Tunc autem Simeon benedixit eum dicens [Luc. 2,29]: *Nunc dimittis servum tuum, Domine.* Et appellavit eum Simeon tribus nominibus sc. salutare, lumen et gloriam plebis sue Israel. Simeon interpretatur obediens contra eos qui nolunt obedire nisi in quantum eis placet, contra quos Jhesus Joh. [6,38]: *Descendi de celo non ut faciam voluntatem meam, sed etc.*

Racio autem hujus triplicis nominis sumitur quadrupliciter. Primo ponens[?] nostram justificacionem ut dicatur salutare remittendo culpam, quia Jhesus interpretatur salutare,nomen eo quod salvum faciet populum suum a peccatis eorum. 2° ponens[?] nostram regeneracionem, nam puer primo exorcizatur et baptizatur et sic a peccatis mundatur quoad primum. 2° candela accensa ei datur. 3° ad altare offertur.

**[98v:]** De 3° principali presens festum candelaria vocatur. Quare autem ecclesia hoc ordinavit ut candele accense in manibus portantur, triplex assignatur racio. Prima propter removendam erroneam consuetudinem. rRomani enim mense februario ad honorem Februe Martis, qui erat deus belli, urbem omni anno cum cereis et facibus tota nocte illuminabant, ut filius suus victoriam eis de inimicis suis concederet.

Ideo papa hanc consuetudinem in melius convertebat, ut istud christiani in honorem matris Domini nostri Jhesu Christi omni anno per totum mundum accensis luminibus illustrarent. 2° propter hodiernam processionem. Nam Maria, Joseph, Simeon et Anna venerabilem processionem fecerunt, cum puerum Jhesum in templum presentabant.

Sic et nos faciamus et cercam accensum in manibus, per quam signatur Christus, usque ad ecclesiam portemus. Tria enim sunt in cerea sc. cera, licnus et igniset per signantur tria que erant in Christo. Nam cera signat caro [carnem?] que nata est de virgine. Licnus in cera signat ejus animam candidissimam in carne latentem. Ignis sive lumen signat ejus divinitatem. Unde qui lumen sc. Christum portare in manibus voluerint, tria habere debeant sc. veram fidem, operacionem bonam et intencionem

rectam. 3º propter quoddam miraculum quod contigit isto die. Et illud require ex passionali. Require illud miraculum in cisterno de sermone de sancto Olavo, quod in fine illius libri sub tali signo.[41]

[41] f. 201r

## In annunciacione sancte Marie[42]

*Ave Maria gracia plena, Dominus tecum etc.* Luc. 1º[,28]. Albertus libro 3º de animalibus dicit quod ripam morantur quedam aves que dicuntur aves paradisi eo quod nullius pulchritudo coloris desit sibi. Si illaqueate fuerint, non cessant gemere donec moriantur vel liberentur. Que cum liberate fuerint, cantant suaviter valde et precipue tempore, quo flores incipiunt in terra apparere. Per aves intelliguntur angeli paradisi qui cum pulchritudine virtutum fuerunt in sua creacione decorati, quorum quidam per peccatum fuerunt illaqueati. Isaie xiº [14,14-15]: *Ascendam super altitudinem nubium, et similis ero altissimo.* Et sequitur: **[99r:]** *Verumtamen ad infernum detraheretis, in profumdum lacum.* Et cum immortales sint, gemere in perpetuum non cessant. Job 26[,5]: *Ecce gigantes gemiscunt sub aquis.*

Sed angeli beati vere et perpetue donati libertati consciencie et suaviter cantant et precipue tunc suaviter cantaverunt, quando terra florere cepit sc. quando beata virgo salvatorem concepit. Tunc enim angelus Gabriel suavissimum cantum emisit dicens [Luc. 1,28-31]: *Ave Maria*, ubi 4^or^ ostenduntur.

Nam primo eam singulariter salutavit: Ave Maria. 2º eam mirabiliter nominavit: *Gracia plena*. 3º eam nobiliter sociavit: *Dominus tecum.* 4º eam sublimiter commendavit dicens: *Benedicta tu in mulieribus.* De primo sciendum est quod Ave est idem quod sine ve. Unde ibidem: *Ecce concipies et paries etc.* Isaie 1º [7,14]. Dicunt naturales et experti quod argentum vivum, si ponatur inter metalla plura et ibi sit aurum, statim relictis ceteris metallis currat ad aurum et se ei incorporat.

Spiritualiter Deus videns antiquitus multas mulieres honestas non incorporavit se eis, quia in eis non inveniebatur aurum. Sed postquam vidit aurum sc. beatam virginem que sicut aurum nullam contrahit maculam seu rubiginem, sic virgo Maria nullam rubiginem peccati contrahit nec umquam contraxit, statim descendit de celo et ei se incorporavit.

Unde Aristoteles 7º Ethicorum refert dictum omnium, qui dicebat quod quidam ex hominibus sunt domini propter virtutum excellenciam. Propter hoc apud antiquos dicebatur, quando quis in virtutibus excellebat alios, ille non est homo, sed alius quam homo quia sicut deus. Christus autem excellit omnes homines in bonitate et virtutum excellencia. Cujus racio est quia secundum philosophum optime est optima producere. Sed balsamus est optima arbor omnium arborum, et quod in ea nihil sit quod

[42] From Peregrinus Polonus

non sit majoris valoris sive magne virtutis, sive cortex sive radix sive folia sive fructus sive succus revera fuit balsamus.

Sic Christus fuit optimus **[99v:]** quia omnia, que fuerunt in eo, fuerunt optima. Nam cortex sc. vestimenta ejus fuerunt optima quia ad eorum tactum infirmi sanabantur. Mat. [9,21]: *Si tetigero tantum fimbriam vestimenti ejus etc.* Fructus ejus sc. opera manuum ejus fuerunt optima quia ad posicionem manuum ejus leprosi sanantur. Mat. [8,3]: *Extendens manum ejus tetigit eum dicens: Volo mundare, et statim curata est lepra ejus.* Folia ejus sc. verba ejus optima quia solo verbo curabat. Succus ejus sc. sputum ejus fuit optimum quia oculos cecos illuminabat. Joh. 9$^{o}$. Modo medici ita non faciunt. Exemplum de avaro et trunco ejus[43] sc. de Adam.

Quia ergo Christus fuit excellens virtute super alios, merito debebat dici Deus immortalis, ut virgini gloriose dici possit illud quod est assumptum [Luc. 1,35:] *Quod nascetur ex te sanctum est etc.* Ubi tria notantur. Primo confitetur angelus filium virginis veram carnem assumpsisse ibi: Quod nascetur ex te. 2$^{o}$ confitetur eum veram animam habuisse ibi: Ex te sanctum. 3$^{o}$ confitetur in eo veram divinitatem fuisse ibi: Filius Dei. Unde potest beata virgo dicere: *Respexit humilitatem ancille sue.* Luc. 1$^{o}$ [1,48]. Augustinus de assumpcione ejus: O vera beata humilitas, que Dominum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, celos innovavit, mundum purificavit, paradisum aperuit et hominum animas ab inferis liberavit. Ubi tria notantur.

Primo respectus superne dileccionis ibi: Respexit. 2$^{o}$ actus vere sublimacionis ibi: Humilitatem. 3$^{o}$ status mire premuneracionis ibi: Ancille sue. De illo dicit Augustinus quod aquila est tam subtilis visus quod ipsa in aere existens ita alte volat, quod vix oculis hominum videri possit, videt aves aquaticas existentes in profundo aque, et quamdiu sub aqua stant, aquila non descendit ad capiendum eas, sed quam cito ad superficiem veniunt, statim descendit et capit eas. Per aves in profundo aque existentes intelliguntur homines in mundo mundanis delectacionibus dediti sc. peccatis. Per aquilam signatur Christus ex utero Marie genitus. Ps. [Deut.32,11]: *Sicut aquila provocans etc.* Sed aquila sc. Christus non descendit ad homines in profundo peccati existentes, sed cum a peccatis suis surrexerint, statim Christus descendit et miseretur eis. Tantum de illo.

[43] cf fol. 176r

## Nota de prohibendis a perceptione eucaristie

**[100r:]** Nota. Notandum quod isti prohibentur publice a percepcione corporis Christi tempore pasche. Primo publicandum est quod omnis inconfessus non accedat, nec eciam ille si confessus, qui reticuit et occultavit aliqua mortalia et gravia peccata. 2° nullus accedat qui habet intencionem peccandi mortaliter, quia penitencia est peccata sua deplangere et iterum plangenda non committere. 3° fides dubitantes et errantes de fide et eucaristie sacramento non accedant. 4° qui sunt constituti in rancore, ira vel odio non accedant. 5° usurarii, sortilegia facientes et incantatores vel incantatrices. 6° quod nullus accedat qui tenet in domo sua vel in curia sua scienter adulteros, fures, raptores vel alia enormia crimina facientes.

Qui talia agunt digni sunt morte, et eciam qui eis consentiunt secundum apostolum: Agens et consentiens pari pena puniantur. Eciam qui emunt res raptas, non accedant. Eciam excommunicati nec illi qui penitenciam injunctam complere contempserunt. Octavo quod extranei incogniti, tam viri quam mulieres qui non habent bonos testes et literas testimoniales, non admittantur. Nono quod raptores et depredatores ecclesiarum, monachorum et clericorum et colonorum eorumdem non accedant, antequam satisfecerint cum plena voluntate desistendi a rapina. Decimo quod occupantes scienter bona male acquisita et nolentes ea reddere. Item qui patrem vel matrem percusserit. Item qui fraudem in decimis et oblacionibus fecerit. Item qui divinum officium in ecclesia vel cimiterio conturbavit vel silencium non dederit[?].

Quicunque autem in premissis peccatis est constitutus, si accesserit sine satisfaccione et penitencia, penam eterne dampnacionis se noverit incursurum, dicente apostolo [1.Cor. 11,29]: *Qui indigne manducat et bibit non dijudicans corpus Domini.* Item prohibentur omnes isti predicti accedere ad altare offerendo, multo fortius prohibentur accedere sumendo corpus Christi, dicente Domino in evangelio [1.Cor. 11,29]: *Qui manducat et bibit indigne*.

**In die pasche**

*Hec est dies, quam fecit Dominus, exultemus etc.* Ps. cxvi° [117,24]. Ista verba scribit David propheta, in quibus demonstrat se spiritualiter vidisse diem dominice resurreccionis, in qua redempcio nostra per merita passionis Christi facta est, et hoc propter multas raciones. Primo quia dies dominica primitus a Deo creata est. In ipsa die sc. dominica mundus creatus est, in ipsa die filius Dei de beata Maria virgine natus est, in ipsa die filius Dei a morte resurrexit, in ipsa spiritum sanctum apostolis misit, in ipsa filius Dei ad judicium veniet unumquemque secundum opera sua judicare.

Licet scriptum est quod Deus requievit die 7° ab omni opere quod fecerat, tamen in ipso 7° die creavit sabbatum, et in sequenti die sc. octavo legitur in sacra scriptura eum nihil fecisse. Ideo teneamus diem dominicam in summa reverencia et honore, quia hoc est unum de precipuis x preceptis Domini. In ipsa enim die debemus exultare cum divino gaudio spirituali et ideo possum dicere: Hec est dies etc. que fuerunt verba thematis assumpte.

In quibus duo specialiter notantur. Primo paschalis diei solempnitas veneranda ibi: Hec est dies quam fecit Dominus. 2° fidei nostre tripudiacio recolenda ibi: Exultemus et letemur etc. Notandum quod hec est dies in qua filius Dei a Deo patre est coronatus. Hec est dies in qua adversarius noster diabolus eternaliter est religatus. Hec est dies in qua primus noster parens sc. Adam est liberatus. Primo dico quod hec est dies, in qua filius Dei a Deo patre est coronatus. Ps. viii° [8,6] scribitur: *Gloria et honore coronasti eum etc.* Ideo filius Dei per se ait post resurreccionem suam ut scribitur Mat. ultimo [28,18]: *Data est mihi omnis potestas a patre meo in celo et in terra*. Ad Rom. viii [?] : *Hec dies boni nuncii est.*

In ista die recepimus bonum nuncium, quia Maria Magdalena nunciavit discipulis quod Christus filius Dei a morte **[101r:]** resurrexit. In ipsa die meliorem nuncium habuimus, quia filius Dei intimavit se discipulis esse gloriosum et super omnia potentem esse. In ipsa die optimum nuncium habuimus, quia filius Dei nobis firmam spem dedit de sua resurreccione. Et invenimus scriptum quod multorum corpora sanctorum tunc cum eo surrexerunt et introierunt in Jherusalem et apparuerunt multis.

2° dico [quod] in ista nocte adversarius noster diabolus religatus est, quia anima Christi conjuncta divinitati in ista nocte descendit ad inferos et diabolum religavit, hoc est quod potestatem ejus multum detinuit, ne

homines possit temptare et decipere sicut prius temptavit eos ad peccatum perpetrandum.

3º dico quod in ista die Adam et omnes electi et sancti patres, qui fuerunt in limbo, liberati sunt a servitute diaboli. Sed in qua hora Christus eos liberavit, dubitari solet. Unde Jheronimus dicit quod Dominus surrexit in ista hora, quam ipse per se novit, et que nulli mortalium hominum cognita est. Sed magistri dicunt quod inter mediam noctem et mane prima sabbati Dominus resurrexit.

Licet statim porta celi aperta fuit, postquam Dominus spiritum suum emisit, et divina lux resplenduit animabus sanctorum, que fuerunt in limbo, tamen descendit ad inferos ad debellandum eos et hoc propter duas causas. [Primo] quia sanctis patribus, patriarchis et prophetis ejus presencia magna esset consolacio propter ipsorum longam exspectacionem. 2º quia demonibus esset magna confusio, quia quos tenebant, reddidit.

2º dico quod in premissis notatur nostra spiritualis tripudiacio, quia fides nostra maxime in ista die est sublimata et augmentata ex resurreccione Domini nostri Jhesu Christi. Et ideo exultemus et letemur in ea. Planete celi letantur in hac die, quia sol, qui est octies major **[101v:]** tota terra, in die paschali circa ortum suum credi potest volvi ut rota et revolvi quasi ludendo, saltando et tripudiando ad veneracionem paschalis diei et ad resurreccionis Domini laudem.

Quis ergo christianus non tripudiaret letissime in ista die, in qua frater noster sc. Dominus Jhesus filius Dei sua morte liberavit nos ab eterna morte. Unde Luc. xv [15,31] quod pater dixit filio suo: *Fili, gaudere oportet, quia frater tuus* sc. filius Dei *mortuus fuerat et revixit, perierat et inventus est.* Et ergo sicut magna fuit mesticia discipulis Christi in triduo mortis sue, ita maxima exultacio erat et est omnibus bonis christianis in resurreccione ejusdem Jhesu Christi.

Oportet autem nos plus letari hac die quam aliis diebus, precipue quia hodie in resurreccione Domini celum et terra letantur. Primo dico quod celum letatur in hac die, quia angeli Dei descendentes de celo sedentes in albis vestibus in sepulchro Christi apparuerunt mulieribus sc. Marie Magdalene, Marie Jacobi et Marie filie Salomee que deflebant Dominum mortuum. Angeli tunc sic dixisse possunt ad sanctas mulieres: Tantum gaudium est nobis sic in celo, quod celum non potuit nos continere. Sed descendimus nunciare vobis gaudium nostrum.

2º dico quod terra letatur hodie ex resurreccione Domini, quia Domino patiente mortem terra contremuit, sed ipso hodie resurgente maxime exultavit. 3º dico quod discipuli Christi maxime letabantur hodie,

qui prius maxime fuerunt turbati in morte filii Dei et eorum magistri, quia videbant eum tam ignominose tractari, ligari, colaphis cedi etc.

Sed propter metum judeorum omnes ab eo fugierunt eum reliquendo, quia **[102r:]** nondum fuerunt firmati in fide. 4º dico quod virgo Maria, ejus karissima mater, hodie letissima facta est, quia sicut filio suo moriente tristissima fuit pre omnibus aliis ex ardentissima caritate et materna dileccione, sic hodie ipsa indubitanter letissima facta est pre cunctis aliis ex sua resurreccione. Hic queri potest quare Christus non apparuit prius dilecte matri sue, que maximum dolorem habuit, quam Marie Magdalene peccatrici.

De hoc observat sancta ecclesia, licet evangeliste non scribunt de hoc quod Christus post suam resurreccionem primo apparuit dilecte sue matri et eam letificavit, quam maxime scivit doluisse de sua passione. Et sic festinavit alios letificare. Invenimus eciam scriptum quod virgo Maria loquebatur ad sanctam Birgittam de resurreccione filii sui dicens: Hodie surrexit a morte filius meus fortis ut leo, qui contrivit potestatem diaboli et eripuit animas sanctorum patrum a limbo, qui ascenderunt cum ipso ad regnum celorum.

Queri potest ubi fuerunt anime, quas tunc liberavit de limbo, a tempore resurreccionis sue et usque ipse celos ascendit. Respondetur sic quod fuerunt in gaudio, quod soli filio Dei notum erat. Nam ubicunque filius Dei erat et est, ibi erat et est gaudium et gloria sine fine. 5º dico quod nos omnes hodie gaudeamus de resurreccione Domini, quia sicut in die parasceves de passione filii Dei flevimus et multum tristes fuimus cum ejus matre et discipulis, ita hodie spiritualiter gaudeamus cum illis de sua resurreccione cum omni celesti exercitu, qui nunc gaudent eternaliter in leticia sempiterna. Ad quam nos perducat, qui vivit et regnat. Et tantum de illo.

## In ascensione Domini

*Dominus Jhesus postquam locutus est eis, assumptus est in celum.* Marc. ultimo [16,19]. Conveniens est quod sicut nuncius missus a principe completo negocio revertatur ad mittentem. Unde scribitur Thobie quod Raphael angelus Domini missus fuerat ad Thobiam curandum, et facta curacione dixit angelus [Thob. 12,20]: *Tempus est, ut revertar ad eum, qui misit me. Vos autem benedicite Deum.* Ita Dei filius missus a Deo patre in mundum ad salutem humani generis voluit reverti ad propria et ad patrem celestem peracto negocio hic in mundo sc. post passionem et mortem pro humani generis liberacione. Unde Joh. xvi$^{o}$ [16,28]: *Exivi a patre et veni in mundum, et iterum relinquo mundum et vado ad patrem* quasi dicens: Feci ut debui, habui quod quesivi et ideo ad propria revertar. Et hoc fecit quia videntibus apostolis ascendit in celum, ut dicunt verba loco thematis prenotata: Dominus Jhesus postquam locutus est eis etc.

In quibus verbis 4$^{or}$ de Christo declarantur. Primo eminencia potestatis ibi: Dominus, 2$^{o}$ excellencia pietatis, ibi: Jhesus, 3$^{o}$ perseverans doctrina veritatis ibi: Locutus est eis, 4$^{o}$ evidencia majestatis ibi: Assumptus est. Primo ergo notatur eminencia potestatis in eo quod appellaretur Dominus. Notandum est quod dominium ejus eminet dominium principum mundanorum 5$^{e}$ modis. Primo in magnitudine et dilatacione, quia Christus dominatur et regnat ubique potencialiter sc. in celo et in terra, in mari et super omnia creata, et hoc non facit aliquis princeps terrenus in mundo quantumcunque potens. Unde Ps. [102,22]: *In omni loco dominacionis ejus.*

2$^{o}$ preeminet dominium ejus in obediencia et subjeccione, quia non est aliqua creatura in celo nec in terra nec in mari, que non obediat voluntati sue. Unde Ps. [113,3]: *Omnia quecunque voluit Dominus, fecit in celo et in mari et in terra*. Sed hoc non possunt facere principes terre in suis terris, quia terre nascentia sc. arbores, vinee, segetes, herbe et gramina non obediant eis, ut germinent et fructificent quando principes volunt. Eciam **[103r:]** pisces, volucres seu bestie nihil pro eis faciunt.

Invenitur scriptum de quodam rege, qui in cathedra sedens circa mare extracto ense precipiebat mari ne in terram suam ulterius transiret, et cum sibi non obediret, prope submersionem ait: Non est Dominus nisi Deus qui est in celo. Ps. [96,9]: *Tu solus super omnem terram.* Unde Eccli. x [Ps. 94,4]: *In manu Dei potestas terre.*

3$^{o}$ in sciencia et cognicione, quia in terra principum seculi multe prodiciones et mala plurima contra principes machinantur, que ignorant.

Sed nihil potest cogitari vel loqui contra Dominum celi, quin non videat et cognoscat. Reg.2º [1.Reg. 2,3]: *Deus scienciarum Dominus est*. Ps. 4º dominium ejus eminet in duracione quia perpetuum est. Ps. [144,13]: *Regnum tuum regnum omnium seculorum et dominacio tua in omni generacione.* 5º eminet dominium ejus in gloria et nobilitate, quia rex celi et terre liberius et nobilius habet dominium quam principes terre, quia quidquid ipsi tenent, ab alio tenent, et si non ab homine certe de Deo. Deus autem a nullo dominium tenet nisi a seipso. Unde Ps. [82,19]: *Cognoscant quia nomen tibi Dominus.* Unde Apoc. xixº [19,16]: *Habet et in vestimento suo scriptum: Rex regum et Dominus etc.*

2º notatur excellencia pietatis in hoc quod dicitur: Jhesus, qui interpretatur salvator, qui in hoc mundo non quesivit honores, divicias seu delicias, sed solummodo salutem hominum. Mat. 1º[,21]: *Vocas nomen ejus Jhesus, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Unde Christus omnes salvat communiter. Sicut paterfamilias magnum habens prandium paratum quod omnibus potest sufficere, tunc januam suam non claudit sed omnes recipit. Thim. 2º [1.Tim. 2,4]: *Deus vult omnes homines salvos fieri.* Sed ante incarnacionem Christi tunc janua clausa fuit, quia nullum hominem ad beatitudinis prandium recipiebat. Sed modo janua celi est aperta per filium Dei ut omnes possunt intrare, nisi per peccatum excludentur ut fatue virgines, que non habuerunt oleum caritatis in vasis suis. Mat. 4º [25,3]: *Fatue autem virgines non sumpserunt oleum secum etc.*

3º notatur perseverancia **[103v:]** Christi in doctrina veritatis ibi: Locutus est eis, quia sicut fidelis magister non cessat discipulos erudire nec pia mater filios consolari, ita Dei filius, quamdiu erat in mundo, non cessavit predicare et erudire de regno Dei et salute eterna. Ps. [77,2]: *Aperiam in parabolam os meum et loquar proposiciones ab inicio*. Unde Christus loquitur homini quinque modis. Primo excitando ut domesticus suis operariis ut fideliter operentur. [Marc. 16,15:] *Ite in orbem etc.* [Ps. [98,7:] *In columpna nubis loquebatur ad eos.* Ite in omnibus terris.

Nota quod in ista processione ascensionis Christi fuerunt centum viginti sc. xi apostoli, beata virgo, Maria Magdalena cum aliis multis etc. Hec Augustinus. 2º loquitur eruditive sicut princeps loquitur subditis suis bonis et fidelibus premia promittendo et malis supplicia comminando. Ps. [61,12-13]: *Semel locutus est Deus, duo hec audivi: Quia potestas Dei est* ad puniendos malos, *et tibi misericordia*, Domine, ad remunerandos bonos sicut dicit Glosa, quia reddis unicuicunque juxta opera sua.

3º loquitur consolatorie penitenciam agentibus et tribulaciones sustinentibus eternam beatitudinem promittendo. 4º deprecatorie rogans peccatores de facienda pace cum eo. Ps. [84,9]: *Audiam quid loquatur in me Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam.* [Prov. 9,8:] *Argue consultum, te diligit.* Argue stultum, avertit vultum, nec te dimittit, nec in vultu. 5º loquitur inquisitive sicut judex loquitur reis venientibus coram se. Sic faciet Deus in extremo judicio quando judicat unumquemque secundum opera sua. Mat. xxv [25,42]: *Esurivi et non dedistis mihi etc.* quasi dicens: Mandata mea transgressores estis. Unde Ps. [2,5]: *Loquetur ad eos in ira sua, et furore suo conturbabit eos,* et tunc dat sentenciam contra peccatores dicens [Mat. 25,41]: *Ite, maledicti, in ignem eternum.* Sed justis loquitur mitissime dicens [Mat. 25,34]: *Venite, benedicti patris mei etc.*

4º notatur evidencia majestatis ejus in hoc quod dicit: Assumptus est. Notandum quod in assumpcione Jhesu Christi famulata sunt ei celestia et terrena, quia cum ministerio angelorum et nubis deportatus est in celum. Nota Christus tria genera hominum assumit ad se propter tria, que potentissime habuit homo Christus Jhesus in seipso.

Primo Christus assumit diligentes caritatem. [1.Joh. 3,15:] *Qui odit fratrem etc.* 2º patientes et mortificatos, et ideo si aliquis amore alicujus principis fuerat mutilatus **[104r:]** sc. caruerit membro suo aut corpore vulneratus, crudelis et tyrannus esset ille princeps, si vulneratum et lesum a domo sua repelleret et non assumeret talem ad se. Sic crudelis putari possit Deus, si jejunantes et afflictos propter se non assumeret ad regnum suum. Ps. [56,4]: *Misit de celo misericordiam suam* sc. graciam suam, et [Ps. 17,17] *accepit me de aquis multis* sc. de innumerabilibus mundi tribula00-cionibus.

3º assumit Deus mundum contempnentes. Sicut enim decet previsores domorum Dei pauperes et infirmos sumere, ita convenit quod Christus Jhesus, qui est previsor domus Dei sc. paradisi, quod pauperes et spretos in hoc mundo assumat ad se.

Ps. [26,10]: *Pater meus* sc. mundus, *et mater mea dereliquerunt me.* Mater mea sc. concupiscencia mundi dicitur. Dominus autem assumpsit me sc. ad misericordiam. Mat. xviiº [17,1]: *Assumpsit Jhesus Petrum, Jacobum et Johannem et duxit eos in montem excelsum et transfiguratus est ante eos.* Petrus interpretatur discalceans, signat pauperes bona temporalia spernentes. Jacobus interpretatur supprelatans et signat affligentes carnem suam. Sed Johannes, quem plus pre ceteris dilexit, signat caritatem diligentes. Unde Dominus dicit Prov. viiiº [8,17]: *Ego*

*diligentes me diligo etc.* Et Johannes xiii [15,13]: *Majorem hanc caritatem nemo habet, ut animam etc.*

Eciam homo Jhesus sustinuit corporis affliccionem pro salute humani generis. Unde [Thren. 1,12:] *O vos omnes, qui transitis etc.* Item in humanitate sua sustinuit mundi contemptum et paupertatem. Ps. [39,18]: *Ego autem mendicus sum et pauper* hic in mundo propter hominem, et ideo assumptus est merito in celum. Ad quam assumpcionem anhelare debemus ex toto desiderio ut ad eandem pervenire valeamus.

Videmus bene quod vacante dignitate seu prelatura in ecclesia cathedrali seu digno officio in curia principis secularis omnes laborant [pro] posse ut ad talem dignitatem vel ad tale officium assumi valeant. Sed multo magis laboremus corde, mente et cogitacione, ut mereamur post hanc vitam hujus miserie assumi ad sempiternam dignitatem que non est transitoria sed eterna. Ps. [64,5]: *Beatus quem elegisti et assumpsisti, habitabit in atriis tuis.* Unde idem [Ps. 83,11]: *Melior est dies una* etc. Ad hanc beatitudinem concedat etc.

## In die pentecostes

*Dabo vobis spiritum meum, et vivetis.* Ezechiel 37º[,6]. Dominus noster Jhesus Christus, cum dives esset in gloria patris sui, tunc voluit parare nobis divicias glorie sue. Propter suam misericordiam, caritatem et largitatem venit ad nos pauperes hic in mundo et [2.Cor. 8,9] *factus est egenus, ut nos essemus divites* ex illius inopia. Et cum iterum rediret ad regnum suum et ad divicias glorie sue, tunc non est oblitus suorum pauperum amicorum hic in mundo, quia misit eis hodie de celesti curia magnam et valde necessariam eleemosynam a Deo patre promissam, a sanctis prophetis desideratam et a sanctis patribus in limbo positis diu exspectatam et adoptatam, sed hodierna die ab apostolis et discipulis Christi exspectatam. Et propter hoc ipsi congregati tamquam pauperes se convenienter preparaverunt ad recipiendum tam magnam eleemosynam sc. spiritum sanctum. Et sicut ipse dedit apostolis donum spiritus sancti, ita paratus est dare nobis graciam hodie si parati sumus eam acceptare.

Et ideo sicut navis in mari non potest esse sine gubernaculo, ita nec homo in mundo potest se bene regere sine gubernaculo spiritus sancti, quo spiritu sancto apostoli Christi regebantur in mari hujus mundi, de quibus scriptum est [Act. 2,4 et 11]: *Repleti sunt omnes spiritu sancto et loquebantur magnalia.* Si ergo nos aliquid boni loquimur, hoc totum faciamus ex spiritu sancto, sine quo loqui non possumus verbum Dei. Mat.x [10,20]: *Non enim vos estis, qui loquimini etc.* Primo invocemus auxilium spiritus sancti cum verbis, que sancta ecclesia in presenti hebdomada sepe repetit et cantat dicens: Veni, sancte spiritus etc. ita quod aliqua verba possunt hic proferri ad laudem tuam.

Dabo vobis spiritum meum et vivetis. In quibus verbis tria specialiter notantur. Primo Dei clemencia sive largitas ibi: Dabo vobis, 2º excellencia doni seu preciositas ibi: Spiritum meum, 3º ipsius doni efficacia seu utilitas ibi: Vivetis. Notandum quod Christus 3ª excellentissima dona nobis dederat et 4ᵐ dare promiserat. Primo filium suum unigenitum ut pro hominis transgressione satisfaceret et ipsum ab eterna morte liberaret. 2º spiritum sanctum ut hominem omni virtute erudiret. 3º carnem suam **[105r:]** in cibum et sanguinem suum in potum, ne homo in vita hujus peregrinacionis deficeret. 4º vitam eternam sibi obtemperantibus infallibiliter promisit.

Primo dico quod in verbis premissis notatur divina largitas, quia communiter Dominus dederat omnibus hominibus bonis et malis animam cum quinque sensibus et corpus cum membris bene dispositum et mundum

cum nature sustentatibus et necessitatibus, pro quibus Deo esset serviendum. Sed preter ista dona dederat nobis filium suum unigenitum. Joh. 3º[,16]: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam eternam.*

2ᵐ donum dedit nobis hodie sc. spiritum sanctum ut hominem omni virtute erudiret. Nota quod spiritus sanctus datur hominibus et mittitur pluribus modis. Primo ad diligentes se ex toto corde, sicut dicitur in evangelio hodierno. Joh. 4º [14,23]: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus,* non ad tempus sed eternaliter. De ista dileccione dicit Gregorius: Qui vere Deum diligit et mandata ejus custodit, Deus in eo mansionem facit, quia amor Dei sic penetrat eum quod tempore temptacionis et tribulacionis ab illo amore, quem habet ad Deum, non recedit. Unde Joh. 4º [1.Joh. 4,16]: *Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.*

2º spiritus sanctus mittitur et cadit super audientes verbum Dei intente. Luc. [11,28]: *Beati qui audiunt verbum Dei*. Act. x [10,44]: *Adhuc loquente Petro verba hec cecidit spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum* Dei sc. de incarnacione sua, passione, resurreccione, ascensione, que quidem verba Christi vivificant hominem mortuum. Ps. [118,50]: *Eloquium Domini vivificavit me.* 3º spiritus sanctus mittitur et sedet super amantes concordiam.

Unde Act. 2[,1-2]: *Apostoli et discipuli Christi erant pariter in uno loco, et factus est de celo sonus tamquam advenientis spiritus, et replevit totam domum ubi erant sedentes.* Glosa dicit quod fuerunt in caritate perfecta manentes. Sed heu dolor, et pauci sunt in mundo ita concordes sicut apostoli Christi fuerunt. Sed magis ubi concordia deberet esse, ibi maxima discordia modo est. Et ideo spiritus sanctus non sedet super corda eorum, [in] quibus discordia regnat, sed super corda humilium. **[105v:]**

4º dico quod spiritus sanctus mittitur et replet devote orantes. Unde Act. 4º[,31]: *Cum orassent discipuli, motus est locus ille, in quo congregati erant, et repleti sunt omnes spiritu sancto.* Cum orassent. Glosa dicit: Cum devota oracione, humili et pura, que nullomodo de celo recedit vacua, donec aspiciat eam altissimus celi Deus. Et sicut ex jejunio sanantur pestes corporis, ita ex devota oracione sanantur pestes mentis sc. peccata hominis.

Item oracio vincit omnia temptamenta diaboli. Unde Augustinus: Magna virtus oracionis est quia omnia jacula removet inimici. Item per oracionem devotam omnia nobis conceduntur a Deo licite petenda. Et omnia non pia per oracionem devotam repelluntur. Item devota oracio est

angelis multum placita et Deo jocunda. De qua Bernardus dicit quod dum manibus et genibus pavimento tunduntur in oracionibus, nihil melius angelis spectare licet, et nihil Deo jocundius exhibetur. Et ergo cum apostoli et discipuli Christi orassent tali devota oracione ex intima caritate, tunc digni fuerunt acceptare spiritum sanctum.

Nota quod spiritus sanctus datus est ad tria specialiter: Ad consolandum tristes, ad confortandum timidos, ad erudiendum ignaros. Primomodo datus est ad consolandum tristes et ideo dicitur spiritus sanctus paraclitus sc. consolator optimus, dulcis hospes anime, dulce refrigerium. Ps. [90,15]: *Cum ipso sum in tribulacione.* 2° datus est spiritus sanctus ad confortandum timidos. Apostoli erant multum timidi ante adventum spiritus sancti, quia sanctus Petrus ad vocem unius mulieris Christum negavit. Sed postmodo per spiritum sanctum ita confortatus et confirmatus fuit quod non timebat impios tyrannos. Unde dixit in Actibus [5,29]: *Obedire magis oportet Deo quam hominibus.* Similiter fuit de omnibus apostolis et discipulis Christi, qui fortes facti sunt de adventu spiritus sancti. Ps. [32,6]: *Ex spiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

Nota quod sancti apostoli erant ignari sacre scripture, et ideo datus est eis spiritus sanctus **[106r:]** ad confortandum et erudiendum eos in omni veritate. Sicut Christus promiserat eis dicens [Joh. 16,13]: *Cum autem veniet iste spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Unde Zach. 8°[,19]: *Pacem et veritatem diligite, ait Dominus omnipotens.* Certe iste homo non diligit Deum, qui pacem et veritatem non diligit, et qui facit contra veritatem contra Deum facit. Ps. [5,7]: *Perdes omnes, qui loquntur mendacium.* Et ideo veniet spiritus sanctus ut doceret nos omnem veritatem. Unde petit sancta mater ecclesia dicens: Veni, sancte spiritus etc. ad docendum nos viam prudencie et veritatis. Et hoc tantum est de 2ª parte.

3° dico quod Jhesus Christus dedit nobis nobilissimum donum sc. corpus suum in cibum et sanguinem suum in potum, ne homo in vita hujus peregrinacionis deficeret. Unde Johannes in evangelio [Mat. 26,26]: *Accepit Jhesus panem, gracias agens, benedixit, fregit et dedit discipulis suis dicens* [Joh. 6,56]: *Caro mea vera est cibus, et sanguis meus verus est potus*. Et [1.Cor. 11,29] *qui indigne sumit, judicium sibi manducat et bibit.* Sicut fecit Judas de quo scriptum est [Joh. 13,27], quod *post bucellam panis introivit in eo Sathanas,* et postea complevit quod prius cogitavit sc. prodiit Dominum suum proprium. Et idem monet nos apostolus dicens [1.Cor. 11,28]: *Probet autem seipsum homo.* Qui digne sumit vitam

eternam sumit. Joh. [6,56]: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam eternam.*

Notandum vero est 4$^{m}$ donum quod promiserat nobis Deus dare sc. vitam eternam. O felix promissio et felicissima possessio. Unde Johannes in evangelio [Joh. 10,28]: *Ego vitam eternam do eis* sc. omnibus mihi obtemperantibus et mea precepta servantibus. Dominus enim dicit per sapientem [Prov. 4,2]: *Donum tribuam vobis, legem meam non derelinquatis.* Nota vita eterna est donum ad quod omnia dona ordinantur. Unde apostolus ad Rom. vi.[6,22]: *Habetis fructum vestrum in sanctificacionem* sc. decimas vestras et oblaciones, *finem vero vitam eternam* in regno celorum. Quod parare dignetur nobis qui cum Deo patre et spiritu sancto vivit etc.

[Nota f. **104v:**] Tria requiruntur ad recipiendum spiritum sanctum: Devota oracio, profunda humiliacio, cordis purificacio.

### In die Georgii martyris[44]

*Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.* Ephesorum vi° [6,11]. Militem strenuum primo oportet armis esse indutum, deinde debet ire contra hostes ad pugnam. Beatus Paulus hoc opus sciens primo milites Christi armavit dicens: Induite vos etc. Deinde armatos mittit ad pugnam cum dicit: Ut possitis stare adversus insidias diaboli. Et beatus Georgius fuit miles, immo princeps quia tribunus erat, qui habebat sub se mille milites. Et ideo hec verba possunt sibi convenire in quibus commendatur in duobus, primo ab induicione armorum, 2° expugnacione hostium. Circa primum nota quod ille habuit quadruplex genus armorum sc. clipeum, gladium, galeam et loricam, per que signantur arma spiritualia sc. quod ille habuit fidem, spem, caritatem et bonam operacionem.

Primo habuit fidem ut clipeum, sicut legitur de eo quod cum Dacianus compelleret homines ad sacrificia idolorum, ipse ad eum prosiliens ait [Ps. 95,5]: *Omnes dii gentium demonia, Dominus autem celos fecit.* Apostolus [Eph. 6,16]: *In omnibus sumentes scutum fidei.*

2° habuit spem tamquam galeam, ut legitur de eo quod cum in magna persecucione esset, et multi fidem Christi negarent, ipse [habuit] spem in Domino et omnes christianos sua doctrina confortabat. 3° habuit caritatem Dei et proximi tamquam gladium. Cum enim, sicut legitur de eo, tantam persecucionem et tantum timorem videret in christianis propter nimiam injuriam et perdicionem populi, gladio caritatis fuit verberatus. 4° habuit operacionem bonam tamquam loricam. Unde legitur de eo quod cum esset dives omnes divicias suas in servicio Dei et proximorum totaliter mancipavit. Sicut enim lorica totum corpus tegit, sic opera bona animam armant et defendunt.

2° commendatur ab expugnacione hostium cum dicitur: Ut possitis stare adversus insidias etc. Circa quod nota quod ille Georgius expugnavit 3ˢ hostes sc. mundum, diabolum et carnem. Primo vicit diabolum, sicut legitur de eo quod magnum drachonem interfecit, de quo drachone tria dicitur sc. quod in aqua habitavit et aerem suo flatu infecit et homines devorabat. Sic diabolus in aquis sc. in omnibus luxuriosis habitat, in qua homines cum anima **[107r:]** et corpore vult submergi.

Istum drachonem sive serpentem vicit beatus Georgius triplici lancea. Primo lancea devote oracionis. Unde legitur de eo quod Deo se commendabat. 2ª lancea dominice passionis. Unde legitur de eo [quod se

---

[44] From Peregrinus Polonus or Parati Sermones

commendabat lancee dominice passionis?]. $3^{a}$ lancea compassionis. Unde legitur de eo quod pro salute puelle morti se tradidit.

Unde legitur de eo quod cum quadam vice veniebat in provinciam Libie in civitate que dicitur Sylena, juxta quam stagnum erat in quo dracho latitabat, qui flatu suo accendens civitatem interficiebat homines, propter quod cives ei quotidie duas oves dabant. Cum ergo oves jam defecissent, hominem, quem sors offerebat, ei dabant quotidie. Tandem cecidit sors super filiam regis. Tunc rex contristatus ait: Tollite aurum et argentum et dimidium regni mei et filiam dimittite ne taliter moriatur. Cui populus: Tu rex hoc edictum fecisti, et nunc omnes pueri nostri sunt consumpti, et tu vis filiam tuam salvare. Tunc rex videns quod non potuit eam salvare a morte ait: Heu me, filia mea carissima, de te filios in gremio meo nutrire sperabam, et nunc vadis ut a drachone devoreris. Et processit ad stagnum sollicite cum solo agno, et populus civitatis aspexit.

Quam beatus Georgius ibidem transiens vidit plorantem et interrogavit quid quereret. Illa respondit: O bone juvenis, ascende equum tuum et fuge ne mecum a drachone devoreris. Cui Georgius: Filia, noli timere, quia in Christi nomine te juvabo. Dum hec loqueretur, dracho de suo lacu exivit, et Georgius Deo se commendans et se signo crucis muniens drachonem fortiter vulneravit. Dixit puelle: Projice cingulum tuum super collum ejus, quod cum fecisset, sequebatur eam sicut ovis ad civitatem. Quod cum populus vidisset cepit fugere de civitate. Tunc beatus Georgius dixit quod non timerent, quia Dominus misit me ad vos ut vos a drachone liberarem. Tantummodo in Christum credite, et interficiam drachonem.

Tunc evaginato gladio drachonem occidit, quem vix $4^{or}$ paria bovum extra civitatem deduxerunt, **[107v:]** et baptizati sunt in illo die 2 milia hominum exceptis pueris et mulieribus. Tunc beatus Georgius regem in $4^{or}$ instruxit sc. de ecclesia Dei curam haberet, sacerdotes honoraret, divinum officium libenter audiret et semper pauperum memor esset. Et sic inde recessit.

$2^{o}$ pugnavit contra mundum et mundus contra ipsum per prospera et adversa. Per prospera quando Dacianus imperator per blandimenta verborum et promissiones donorum, per que multos decipere consueverat, tamen ipsum non decepit. Per adversa quidem sc. in diversis suppliciis. Ejusque supplicia fuerunt multa, magna et longa. Dico quod fuerunt magna. Inter omnes martyres tres fuerunt qui magna supplicia passi sunt sc. Laurencius super cratem, Vincencius [per] aculei suspensionem et salis

fricacionem, Katerina S. super rotam cultellis circumdatam. Hec omnia et majora passus est beatus Georgius.

Unde legitur de eo quod cum Dacianus propter fidem multos christianos martyrizari fecit, cum ergo tanta esset persecucio christianorum ut per unum mensem multa milia xviii milia hominum martyrio coronarentur, quod beatus Georgius videns tactus dolore intrinsecus clamavit dicens [Ps. 95,5]: *Omnes dii gentium etc*. Cui iratus Dacianus dixit: Quomodo tu audes deos nostros demonia nominare? Et fecit eum in eculeo levari et corpus ejus membratim ungulis laniari. Deinde precepit lateribus ejus lampades ardentes applicari, ita ut ejus viscera interiora apparerent. Cumque martyr has penas pro Christo sustinuisset, jussit eum deponi et extra civitatem ejici et salem ad vulnera ejus spergi et cilicio vulnera fricari, et hiis penis corpus ejus manebat illesum. Athanasius.

Sequenti igitur die jussit rotam eneam preparari et gladios bene acutos in ea affigi et martyrem Georgium in eam levari. Hoc cum vidisset beatus Georgius dixit [Ps. 69,2]: *Deus, in adjutorium meum intende, Domine etc.* Et dum revolveretur statim minuta est rota, et martyr Christi permansit illesus. Hoc cum vidisset Dacianus, nimio furore repletus jussit ministris afferre sartaginem eneam plumbo plenam et illam combulire et martyrem Christi supponi. Cumque hec fuisset jam parata, beatus Georgius elevans oculos suos in celum dicens: In nomine Domini Jhesu Christi insilio in te. Et facto signo crucis in eam insilivit, plumbi vero densitate in pristinam materiam conglobata est [sartago?]. **[108r:]**

Tunc haustu diaboli percussus Dacianus dixit Georgio: Nonne scis, Georgi, quantum laborant pro te dii venerabiles nostri? Hortor te ut filium meum genitivum: Sacrifica magno deo nostro Apolloni quo poteris magnum honorem consequi. Sanctus vero Georgius spiritu sancto repletus subridens ait: Si contra phas mens cogatur supernis voluptatibus detenta velle quod non vult, oportet tamen nos immortali Deo sacrificium immolare. Propterea que cupis ab me fieri, tibi exhibentur.

Indicta vero die Dacianus gaudio repletus omnem molestiam abjiciens jubet ministris aram deorum splendidius ornari, plateas quoque et menia totius civitatis lucernis, lampadibus et luminaribus illuminari. Et preco circumiens civitatem clamabat dicens, si quis non adesset, quod Georgius relicta christianitatis fide reum sue consciencie confiteretur, diis sacrificaret. Tunc jussu Daciani Georgius adesset, et ut venit intra aram deorum aspiciens Apollinem figens genua Dominum Jhesum Christum precabatur dicens: Domine Deus omnipotens, exaudi precem servi tui ut sicut cera fluit a facie ignis, ita et hee imagines redigantur in pulverem, ut

hii qui credunt in te, cognoscunt te solum Deum et quem misisti in seculo, Jhesum. Completa oracione ignis de celo descendit et templum cum idolis, sacerdotibus templi et multitudine paganorum combussit. Et terra aperta est et eos absorbuit. Audiens hoc Dacianus quod dii ejus consumpti sunt et ad nullum redacti, jussit vocari beatum Georgium, et cum a ministris duceretur psallebat dicens [Ps. 128,1]*: Sepe expugnaverunt me a juventute mea etc*.

Et cum venisset ante Dacianum, dixit ei: Detestabile facinus audivi de te in diis fuisse commissum. Cui Georgius respondit: Ut deos conspicias illesos, perge hinc mecum ut sub presencia tua ipsis immolarem. Dacianus respondit hoc solummodo interius: Sicut dii in pulverem redacti sunt, sacerdotes absorpti, ita et meipsum vivum terra absorbebit. Cui Georgius respondit: Et quibus diis hortabaris, imperator? Qui se non potuerunt liberare ab inferis, quomodo te liberabunt? Hoc dicto ministris tradidit eum, et sedens pro tribunali talem **[108v:]** adversus eum dictavit sentenciam: Precipio eum facie prostratum per omnes vicos platearum ut homicidam et reum tractum peremi.

Cumque a ministris duceretur, veniens ad locum supplicii petiit ab eis inducias duarum horarum, sub quarum spacio flexis genibus Dominum deprecabatur dicens: Gracias ago tibi, Domine Deus celi et terre, quia mihi victoriam contra inimicos dedisti. Precor ergo te ut imbrem tue benediccionis et pluviarum securitatem emittere de celo digneris [super] cunctosque in te credentes, non in eis habeat aditum lupus rapax. Et hec dicens spiculatorem petiit ut eum gladio percuteret, et facto signo crucis a spiculatore est percussus.

Tunc venientes Cappadocie regionis viri excellentissimi et primi christiani civitatis corpus ejus nocturno silencio abstulerunt diversis odoribus et aromatibus conditum, in eadem civitate in qua martyrium consummavit reconditus est. Dominus vere omnipotens aperuit cataractas celi omnem terram aridam pluviis et imbribus jugiter inebrians. Daciano quoque impiissimo imperatore una cum suis ministris ad palacium properantibus repentim ignei cursus turbinum eos circumdederunt et pariter uno momemto devorati sunt. Et ulcio divina repente venit in persecutoribus. Martyr vero Georgius ab angelo in celis est coronatus regnante Domino nostro Jhesu Christo cum patre et spiritu sancto.

**[106Ar:]**Paulus [Eph. 6,17]: *Galeam salutis assumite* quod est vinculum pacis. Exemplum de invidis. [Mat. 6,12:] *Dimitte nobis debita*. Clipeum debet habere armator. Ps. [36,24]: *Cum ceciderit justus, non*

*collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Clipeum sc. fidem catholicam. Paulus [Hebr. 11,6]: *Sine fide nullus placere potest Deo.* Idem [Joh. 3,18]: *Qui non credit jam etc.* Idem [Eph. 6,16]: *In omnibus sumentes scutum fidei.* Arcum debet habere armator. Ps. [1.Reg. 2,4]: *Arcus fortium superatus est, et infirmi accincti* sc. peccator debet habere devotam oracionem contra inimicum sc. diabolum, quia oracio devota nocet diabolo sicut sagitta infixa homini sano. Cum viderit homo temptaciones diaboli, faciat arcum sc. crucem per quam diabolus superatur. Loricam debet habere armator sc. bona opera misericordie, quia sicut lorica totum corpus defendit sic bona opera animam ornant et defendunt. **[106Av:]** Primus hostis est diabolus. Apostolus [Eph. 4,27]: *Nolite dare locum diabolo*.

Bernardus: Si quis viderit diabolum in propria forma, qua dampnati eum visuri sunt, credo quod non vivere possit. Ita enim terribilis est in inferno, si dampnati non haberent aliam penam in inferno, miserrime cruciarentur. 2$^{us}$ hostis est caro unde apostolus [Rom. 8,13]: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem facta carnis etc.* 3$^{us}$ hostis est mundus. Bernardus: Mundus amatores suos novit vorare et non honorare. Leticia seculi cum magna exspectacione speratur ut veniet, et cum venerit non potest teneri. Hec Augustinus.

**[108r cont.:]** De corpore Christi nota quia propter tria sumi debet. Primo propter preceptum, 2$^{o}$ propter periculum, 3$^{o}$ propter gaudium. Primo sumi debet propter preceptum quia Deus hoc precepit. Postquam homo ad annos discrecionis pervenerit ad minus confiteatur in anno suo vero plebano et sumat reverenter tempore pasche corpus Christi. 2$^{o}$ propter periculum quia valde periculosum est non communicare. Joh. [6,54]: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis etc.* Sed tamen valde horribile est quod sequitur [1.Cor. 11,27-28]: *Qui manducat et bibit indigne etc.* Ideo apostolus ammonet dicens: *Probet etc.* 3$^{o}$ sumi debet propter gaudium. Joh. [6,52]: *Si quis manducaverit ex hoc pane*

.

## De corpore Christi sermo

*Panis, quem ego dabo, caro mea est pro vita mundi.* Joh. vi$^{o}$ [6,52]. Dominus Urbanus papa 4$^{tus}$ institutor hodierne festivitatis loquitur de sacramento eucaristie, quod sacramentum est maximum et sanctissimum omnium sacramentorum in sanctitate et essencia, quia continet in se veraciter illud quod designat. Et ideo nullum sacramentum est majus et dignius eo prout habetur 4$^{o}$ sentenciarum dis. xiii capitulo 1$^{o}$. Dominus noster Jhesus Christus ostendit nobis magnam caritatem, quia seipsum tribuit nobis sc. corpus suum et sanguinem suum in specie panis et vini, et ista est maxima dignitas quoad animam, sicut testatur Augustinus dicens: Ista est magna dignitas anime, quia ejus cibus est caro Christi, ejus potus est sanguis Christi, ejus precium est filius Dei et ejus custos est angelus Dei. Unde idem: Panis iste sc. corpus Christi est egris salus. Qui quidem panis sumendus est cum maxima reverencia et timore, ut in anima dulcoretur.

Sed contra illos qui indigne sumunt, loquitur apostolus 1$^{0}$ ad Cor. xi$^{o}$ [11,27-29] dicens: *Quicunque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit. Probet autem seipsum etc. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi etc.* Indigne sc. in mortali peccato, quia non discernit istum cibum spiritualem ab aliis cibis corporabilibus, et quia sanctus Petrus digne et reverenter et cum lacrimis sumpsit corpus Domini, ideo accepit illud ad eternam vitam. Sed quia Judas irreverenter sumpsit, quia proditor proprii sui Domini fuit, ideo accepit illud ad eternam dampnacionem quoad corpus et animam.

Et iste homo comparatur Jude proditori, qui in mortali peccato scienter accedit ad corpus sumendum Domini, quia accipit illud ad eternam dampnacionem. Et ergo consultum est omni christiano ut pure confiteatur, antequam accedat ad sumendum illud sacramentum, quia panis eterne vite est sicut dicit Dominus: Panis quem ego dabo etc., que fuerunt verba thematis preassumpte.

In quibus verbis duo notantur. Primo inenarrabilis Christi curialitas, 2$^{o}$ interminabilis christianorum felicitas. Primo notatur Christi inenarrabilis curialitas que est multum commendabilis quia dicit: Panis quem ego dabo, caro **[109v:]** mea est, et non dicit: Panis quem vendidero, sed panis quem ego dabo ex mea liberalitate. Joh. vi [6,32]: *Amen dico vobis, non Moises dedit vobis panem de celo, sed pater meus dat vobis panem de celo verum* sc. sacramentum eucaristie. 2$^{o}$ notatur interminabilis christianorum felicitas, que quidem felicitas citissime acquiritur per istum panem. Joh. vi

[6,33]: *Iste est panis* verus, *qui de celo descendit et dat vitam mundo.* Nota quod caro Christi sumitur in hoc sacramento occulte in specie panis et vini, et non videtur esse ibi caro aut sanguis, et hoc propter tres raciones.

Primo ut horror sc. vederstynkelsse temperetur, 2º ut derisio exstirpatur, 3º ut fidei meritum cumuletur. Versus: Sumitur occulte Christus, nec sit tibi, stulte, horror vel risus sicque ludicrosa fides. Primo dico quod caro Christi sumitur occulte, ut horror non generetur ex hoc quod homo potest pensare per se, quantus horror esset, si sacerdos vel alius homo comederet carnem vivi hominis et biberet ejus sanguinem. Sed Jhesus Christus fecerat multum misericorditer nobiscum, ut comedamus et bibamus ejus carnem in specie panis et vini.

Istud eciam sacramentum proprie dicitur viaticum, quia per longam viam ducit nos sine fame et sine siti. Unde Chrisostemus: Sanguis Christi salus est anime, in quo ipsa lavatur a peccato et fit multum pulchra, et facit animam lucidiorem auro purissimo, et non possimus venire ad celum nisi sanguine Christi mundati fuissemus et ejus benedicto corpore cibati. Et hoc de primo.

2º dico quod caro Christi sumitur occulte et non apparenter in hoc sacramento, ut derisio non fiat ex hoc, quod si vivum hominem devoraremus et ejus sanguinem biberemus, tunc pagani et judei deriderent nos et totam christianitatem propter eorum perfidiam. Attamen aliquantuli derident nos. Sed Jhesus Christus optime disposuerat sic ut ipsum degustemus suaviter in specie panis et vini. Unde Augustinus capitulo 3º et libro 3º: Judei sunt similes demonibus, quia ipsi vituperant nostra pia opera.

Unde Seneca: Non felix es et carus apud Deum, si pravi homines non derident te. Sed certe ille bonus reputatur ante Deum qui sustinuit adversa hujus mundi cum patiencia, quia Christus nos consolatur et letificat. Joh. vii [6,55]: *Qui manducatverit* **[110r:]** *meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam eternam,* quasi dicens: Econtrario contempnentes et deridentes carnem meam et sanguinem habebunt eternam condempnacionem, et hoc propter eorum incredulitatem et contemptum. Et hoc de 2º.

3º dico quod caro Christi sumitur in hoc sacramento occulte et non apparenter, ut fidei meritum exaltetur. Unde Gregorius in homelia super Joh.: Fides non habet meritum, ubi humana racio habet experimentum. Sed si illud mirabile opus Jhesu Christi non potest comprehendi aliqua humana racione tunc ex aliis mirabilibus operibus ejus.

Pensemus igitur in isto mirabili opere, quomodo idem Dominus noster Jhesus Christus in ictu oculi conceptus est verus Deus et verus homo in utero Marie virginis et ex ea natus, passus, mortuus et resurrexit et post resurreccionem suam a morte intravit ad discipulos suos clausis januis ut scribitur Joh. xx [20,20]: *Et ostendit eis manus et latus,* et [Joh. 20,29] dixit Thome: *Quia vidisti me, Thomas, etc. Beati qui non viderunt et crediderunt.*

Unde Augustinus super Johannem dicit quod nulla pulchritudo apparet in radice arboris et tamen, quidquid pulchritudinis in arbore est, ex ista radice procedit. Similiter quidquid meriti et beatitudinis anima suscipit, illud totum provenit ex radice et fundamento fidei. Et ideo dicit Augustinus: Fides est illuminacio mentis sc. ad summam veritatem intelligendam, et ergo necesse est, si vitam eternam cupimus habere, ut credamus firma fide Dominum Jhesum Christum esse verum Deum et verum hominem in hoc sacramento, et ergo dicit evangelista Joh. vi [6,54]: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem* et hoc firma fide credentes, *non habebitis vitam in vobis* sc. spiritualem et eternalem.

De ista vita scribit Jheronimus: Vita nostra similis est naviganti, quia licet navigans sedet, stat aut jacet, tamen semper movetur ex fluctibus maris et flatu aeris. Ita nos homines existentes in hoc mundo utrum sedemus, stamus aut jacemus semper tamen movemur et appropinquamus ad finem vite nostre. Et ergo **[110v:]** consultum est ut quilibet cogitet de vite sue brevitate, sicut scribit Augustinus dicens: Cogitemus quam brevis est vita nostra, quam lubrica est via per quam eamus, quam certa est mors quam patiamur, et quam incerta est hora mortis, quam non fugiamus.

Et ideo vita nostra in hoc seculo semper est sine quiete, sicut scribit Gregorius de vita presentis seculi dicens: Est laboribus plena, cum luctu agitur et cum lacrimis terminatur. Et ergo necesse est ut dum transituri sumus ex hac vita, quod habeamus nobiscum illud viaticum sc. corpus dominicum. Unde Joh. vi$^{o}$ [6,33]: *Panis qui de celo descendit, dat vitam mundo.* Certe panis qui de celo descendit et dat vitam mundo, est filius Dei vivi. Et hoc de prima vita.

2$^{a}$ vita est vita gracie in qua vivunt justi spiritualiter, et hec est peramanda quia eam fundaverat caritas perfecta, et hanc vitam non habebimus nisi a pane vite qui est filius Dei vivi. Joh. vi$^{o}$ [6,35] dicitur: *Ego sum panis vite. Qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet umquam.* Non esuriet, dicit Dominus quia habeat panem vite, nec sitiet quia habeat fontem totius sapiencie et aque vive. Et hoc de 2$^{a}$ vita.

3[a] vita est vita glorie in qua vivunt beati eternaliter, et hec est summe appetenda, quia in hac vita ministrabitur homini cibus deliciosus sc. lignum vite, et ibi datur ornatus ei preciosus sc. jocunda stola que est immortalitas, et ibi disponitur ei status gloriosus quia coronabitur regali diademate, et hanc vitam non habebimus sine isto viatico, quod est benedictum corpus Domini. De qua vita scribit Ambrosius dicens quod in ista eterna vita ibi pulchritudo sanctorum comparatur pulchritudini solis, qui erit septemplicior pulchrior quam modo apparet et hoc post diem judicii.

De ista eterna vita dicit Joh. vi[o] [6,55]: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem etc.* Non dicit Dominus quod habebit vitam eternam, sed dicit: Habet. Propter hoc quod certus sit homo, quod habebit illam vitam, et ideo ponit presens pro futuro. De illo sacramento legitur Chrisostemus dicens: O benedicta eucaristia, per te habemus in hoc mundo vitam naturalem, vitam spiritualem et per te habebimus post mortem vitam eternam. Et ergo consultum nobis Augustinus dicens: O homo, illam vitam desiderare deberes, ubi vita sine morte, juventus sine senectute, lux sine tenebris, leticia sine tristicia, pax sine discordia et gaudium infinitum. Ad quod perduci etc.

**Nota f. 109v-110r:] Panis est quadruplex**.

Materialis de quo sustentamur et ille acquirendus est cum magno labore. Unde in Gen. [3,19]: *In sudore vultus tui etc.* Pro illo pane parum laborant usurarii. De celis. Mat. [4,4]: *Non in solo pane vivit etc.* Item Joh. [8,47]: *Qui ex Deo est, verba Dei audit etc.* Sacramentum et est corpus Christi, de quo habemus in premissis sc. panem, quem ego dabo etc. Eternalis unde Mat. 4[o] [Luc. 22,28-29]: *Vos estis, qui permansistis mecum in tribulacionibus, et ideo dispono vobis regnum, ut edatis et bibatis semper* spiritualiter.

## De visitacione Marie

*Columba portans ramum olive venit ad Noe.* Gen. 8vo[,11]. Deus pater omnia homini subjecit non pro sua utilitate sed hominis. Ramum olive misit Noe ut nunciaret inundacionem aquarum cessasse. Sic Gabriel archangelus virgini Marie non pro sua utilitate, sed pro nostra salvacione fructuosissimum ramum olive sc. filium Dei portavit in verbo dicens [Luc. 1,28]: *Ave Maria, gracia plena etc.* In quibus verbis notatur historia.

Nam per columbam ramum olive portantem designatur virgo Maria portans ramum olive sc. Christum. Venit ad Noe sc. ad sanctum Johannem Baptistam, ad sanctam Elizabeth cognatam suam et matrem sancti Johannis Baptiste. In quibus verbis tria notantur que presens festum magnificant et extollunt.

Primo enim notatur Marie humilitas in obsequii exhibicione ibi: Columba humiliter. 2o dicitur Maria esse utilis in prolis nondum nate presentacione cum dicitur: Portans ramum olive. Primo beata virgo Maria comparatur columbe propter aliquas virtutes suas, quas habet columba. Versus: Grana legit, volitat sociata, cadavera vitat, felle caret, plangit sociumque per oscula tangit, petra dat nidum, fugit hostem flumine visum, rostro non ledit, geminos pullos bene metit.

Sic beata Maria nam ipsa per se dixit in domo Zacharie Luc. 1o[,53]: *Esurientes implevit bonis etc.* Item columba volat sociata sc. cum socio, sic beata virgo vult omnes ad se ascendere. Item vitat cadavera, sic beata virgo vitat corporalia vana et mundana ibi [Luc. 1,52:] *Divites dimittens inanes.* Item caret columba felle, sic virgo Maria omni invidia, cujus exemplo tu similiter facias juxta illud 1.Petri 2o[,1]: *Deponentes omnem maliciam et omnem dolum et simulaciones et invidias.* Item Mat. x [10,16]: *Estote simplices sicut columbe.*

Item columba exultat, sic hodie Maria dixit [Luc. 1,47]: *Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Et hoc propter magnum ejus desiderium ad Deum, quod impletum est in ejus assumpcione. Ps. [20,3]: *Desiderium anime ejus tribuisti ei, Domine.* Sed ejus cantus mutatus erat in gemitum propter illud dictum Simeonis Luc. 2o[,35]: *Tuam ipsius animam pertransibit etc.* Item columba socium osculatur quod est signum pacis. Sic tu christianum bonum in facie **[111v:]** ei loquendo, sed timendum est quod das ei osculum Jude traditoris.

Item columba sedens super aquas videt umbram accipitris, fugere potest. Sic beata virgo videns umbram vane glorie hujus mundi fugiebat eam per suam humilitatem. Sic tu facias, sub umbra et proteccione beate

virginis securus sedeas dicens illud Cant. 2°[,3]: *Sub umbra illius, quem desiderabam, sedi.* Has virtutes serva cum Maria et sic per eas ad eam pervenies. Et hoc de primo principali.

De 2° quod beata virgo est humilis in obsequii exhibicione cum sequitur: Venit ad Noe sc. ad sanctum Johannem. Noe dicitur requiescens vel qui requievit, Johannes vero gracia Domini vel in quo est gracia Dei, quia gracia spiritus sancti requievit in eo et in matre sua Elizabeth. Isa. xi. [11,2]: *Requiescit super eum spiritus* timoris *Domini* et spiritus prophetandi ipsum, quia finem prophetis imposuit. Unde ipse inter omnes prophetas Deum digito demonstravit dicens [Joh. 1,29]: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Unde audita Elizabeth salutacionem Marie jam vi mensibus gravidata sensit infantem in utero se moventem et dixit [Luc. 1,42-43]: *Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat etc.*

Illa verba finem dederunt aliis prophetis, quia tunc mater et filius indicaverunt illum in carne tunc ibi presentem, quem prius alii prophete predicaverunt esse venturum. Et hoc quia columba sc. Maria venit ad Noe sc. ad Johannem requiescentem in utero matris per humilis obsequii exhibicionem. Et hoc de 2°.

De 3° quod Maria est utilis in prolis nondum nate presentacione ibi: Portans ramum olive sc. Jhesum Christum filium Dei. Nam oliva habet in frondibus multitudinem, in fructu dulcedinem, in liquore pinguedinem. Sic habet in frondibus multitudinem per acquisicionem nacionum. Luc. 13°[,29]: *Multi venient ab Oriente et Occidente etc.* Habet in fructu dulcedinem quoad nos per amaram passionem suam in cruce, cujus una pars erat oliva.

3° habet pinguedinem in liquore sc. quando veniet ad judicium per diversitatem remuneracionis. Hujus olive pinguedo descendit in inferno cum dampnatis per justiciam. Mat. [25,41]: *Ite maledicti in ignem eternum, qui preparatus est etc.* Eciam **[112r:]** hujus olive pinguedo sanat et levat tunc justos per pietatem, quia ipsi hic digne servierunt et sumpserunt oleum leviticum. Levit. 23°[,40]: *Sumetis vobis fructum arboris pulcherrime, et letabimini coram Domino Deo vestro.*

Si vis fructum istius arboris habere, audi fabulam vulpis. Unde vulpes quesivit quot consilia sciret murilegus, qui dixit: Non nisi unum. Vulpes autem dixit se scire multa ut saccum plenum. Fugati autem a venatoribus cattus arborem ascendit et vulpes a canibus capiatur. Cattus clamat: Aperi saccum tuum etc. Mistice per vulpes intellige fraudolentos et divites, qui sciunt multa consilia mundana et habent saccum plenum fallaciis. Per

cattum nota justos et simplices, quia nesciunt nisi unum artificium sc. ascendere in arborem sc. in celum. Venatores sc. diaboli cum suis canibus infernalibus in morte querentes quem devorant. Sed cattus sc. justus pauper et simplex arborem ascendit dicens Cant. 1º [7,8]: *Ascendam in palmam et apprehendam fructus ejus.* Dives autem cum sacco suo capitur a canibus infernalibus, sicut habetur de divite in inferno sepulto etc. [Luc. 17,24]: *Pater Abraham etc.* Pauper vero improperat ei dicens: Aperi saccum et redime te etc.

Mat. [16,26]: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, anime vero sue detrimentum patiatur*. Unde Ps. [48,17-18]: *Ne timeres, cum dives factus fuerit homo etc. Quoniam, cum interierit, non sumet omnia neque descendit cum eo gloria domus ejus etc*. Igitur simplices justi et pauperes ramum portant humiliter cum Maria dicentes Eccli. 4º [24,19]: *Quasi oliva speciosa in campis* sc. Maria, unde processit ramus sc. Christus, quem nobis propicium portavit virgo Maria. Unde ergo merito dici possunt de ea verba preassumpta: Columba portans ramum olive venit ad Noe sc. ad sanctum Johannem. Sicut ipsa venit ad eum, antequam nasceretur ex utero matris, sic rogamus eam venire ad nos tempore mortis, et ducat nos ad gaudium.

## De assumpcione Marie

*Recipiunt me in domos suas*. Luc. xvi° [16,4]. Invenimus scriptum, amici karissimi, quod ista res que habet universaliores virtutes, solet recipi ad substancialiores sc. apparet in rebus creatis sc. in spirituali natura sc. angelica, in corporea natura et eciam humana. Primo in angelica natura, quia [angeli] dicuntur esse superiores ceteris sanctis.

2° dico quod apparet in corporea natura, quia celum quod habet universalem virtutem et influenciam in omnia corpora, ipsum celum collocatum est super omnia. 3° dico quod apparet in humana natura, quia caput humanum habet universalem virtutem et influenciam ad omnia membra.

Et ideo caput positum est super omnia membra. Et ideo quia beata virgo Maria, cujus solempnitatem hodierne assumpcionis sancta ecclesia hodie celebrat, ipsa habuit universalem graciam et virtutem in se et omnem modum virtutis et gracie, qui modus potest reperiri in omnibus sanctis, sicut scribitur de ea in libris sapientis Eccli. xxvi° [24,25]: *In me omnis gracia vie et veritatis, in me omnis spes vite et virtutis.* Et ideo congrue potest ipsa dicere ad omnes sanctos et angelos Dei: Recipiunt me in domos suas, que fuerunt verba thematis preassumpte.

In quibus verbis tria de assumpcione gloriose virginis Marie describuntur. Primum est Marie specialis dignitas ut ibi: Recipiunt, 2^m^ est sua simplex bonitas ibi: Me, 3^m^ est eterna et jocunda hodie adepta felicitas. Primo dico quod virginis Marie specialis dignitas proponitur in sua assumpcione, in qua assumpcione tria generaliter sunt notanda. Primo persone recipientes que fuerunt diligentes, 2° causa que fuit decens, 3° persone recepte leticia que fuit ingens. Primo dico quod persona principalis, qui ipsam recepit, fuit Christus filius Dei et omnes angeli Dei cum eo et tota celestis curia.

Sed alii sancti qui recipiuntur ad celum, recipiuntur et deferuntur per angelos, sicut patet et scribitur de paupere Lazaro qui portatus fuit ab angelo in sinum Abrahe, ut scribitur Luc. xv. Sic et nunc anime sanctorum deferuntur in celum per angelos Dei, sed Dominus noster Jhesus Christus descendit ad beatam virginem Mariam et assumpsit eam ad celum, teste beato Jheronimo sic dicente de presenti festivitate: Credendum est quod Jhesus Christus, salvator noster, per se totus festinus matri sue occurrit et eam secum in throno cum gaudio collocavit. **[113r:]** Alioquin non crederetur implevisse illud, quod ipse mandavit in lege veteris et novi

testamenti [Deut. 5,10 et Mat. 19,19]: *Honora patrem tuum et matrem tua etc.*

2o dico quod causa assumpcionis Marie fuit multum decens et fuit duplex, una ex parte Christi sc. implecio legis, alia ex parte sui sc. humilitatis exhibicio. Unde Eccli.xxixo [29,12]: *Propter mandatum assume pauperem.* Notandum est quod licet Christus filius Dei non esset subjectus legi, tamen decebat ipsum legem servare quam dederit, sicut dicitur de papa quod nulli legi subjacet, sed tamen decet eum jura servare.

Et ideo Christus hanc legem dederat, et ideo contra non honorantes parentes suos et contra transgredientes hoc mandatum Dominus dicit in evangelio Mat. xvo [15,3]: *Quare vos transgrediemini mandatum Dei propter tradiciones vestras* sc. leges proprias. Deus enim dixit [Mat. 19,19:] *Honora patrem tuum etc.* Christus filius Dei hoc mandatum in patre servavit. Unde Joh. vii. [8,49]: *Ego demonium non habeo, sed honorifico patrem meum,* per quod intelligitur quod qui non honorificat patrem et matrem, demonium habet. Et ideo Dominus noster Jhesus Christus non neglexit servare hoc mandatum in matre sua.

Notandum Christus multipliciter honoravit matrem suam in vita, in morte et post mortem ejus. Primo eam honoravit in vita, quia eam in matrem elegit pre cunctis mulieribus, non tantum propter suam virginitatem sed eciam propter suam humilitatem. 2o honoravit eam in hoc quod dignatus est ejus filius esse et dici et ei subjici. Unde Bernardus dicit: Maria virgo appellavit audacter Dominum omnium hominum et angelorum esse filium suum.

3o honoravit eam quando fuit in cruce et commendavit eam discipulo suo, ut scribitur Joh. xiio [19,26]: *Mulier ecce etc.* 2omodo filius Dei honoravit matrem suam in morte ejus, quia ipse venit cum tota celesti curia ad ejus obitum et ipsam de hoc mundo vocavit dicens ei, ut scribit beatus Jheronimus de presenti festo: Veni, columba mea, veni de Libano et in monte non maneas, et jubetur de Libano, quia Libanus interpretatur candidacio, quia ipsa candida facta est ex virtutibus omnium meritorum, ex muneribus spiritus sancti, et ipsa in omnibus columbe simplicitatem representavit.

4o honoravit eam post mortem ejus, quia post triduum sue transmigracionis venit ad eam cum tota celesti curia et eam resuscitavit cum corpore **[113v:]** et anima et glorificavit eam taliter, quod eam in throno glorie sue ad dextram suam collocavit, quia congruum et racionale erat ut mater ista, que steterat juxta crucem suam dolorosa de passione ipsius, ut scribitur Joh. xixo [19,25]: *Stabat juxta crucem Jhesu mater ejus,*

staret ipsa eciam juxta thronum glorie sue in celesti beatitudine et eterna gloria.

3º dico quod assumpcio Marie virginis fuit leticia ingens, quia tota celestis curia venit in ejus occursum, et cum immensa laude fuit deducta in celum. Nota quod omnes sancti ex merito eam honorare tenebantur. Primo angeli quia ipsa duxit angelicam vitam, 2º patriarche quia ipsa de eorum stirpe nata fuit, 3º prophete quia ipsa prophetico spiritu plena fuit et vera propheta fuit. Apostoli quia ipsorum magistra fuit, martyres quia ipsa fuit perforata doloris gladio in passione filii sui, confessores quia ipsa sola in passione filii tenuit fidem et Christum confessa est et non negavit ipsum, virgines quia ipsa principissa virginum extitit. Unde Jheronimus: Nulli dubium est totam celestem curiam ineffabili leticia tunc exultasse et tunc jocundam fuisse ex ineffabili caritate, quando virgo Maria fuit assumpta cum corpore et anima ad eterna gaudia.

De ista letissima assumpcione Marie virginis loquitur Augustinus dicens quod Jhesus intravit in quoddam castellum hujus mundi, quem virgo Maria suscepit, a quo ipsa hodie suscipitur intrando sanctam civitatem cum magno honore, cum magna exultacione et multiplici gracia. Notandum est quod in mundo non est dignior locus thalamo virginalis uteri, in quo virgo Maria suscepit Dei filium benedictum. Nec est dignior locus in celi palacio quam ille, in quo hodie filius Dei matrem suam sublimavit.

De ista eciam festivitate loquitur beatus Jheronimus dicens: Quam gloriose processit hodie regina mundi. Quis hoc potest cogitare, et quis potest cogitare quanto devocionis affectu multitudo celestis legacionis venit in ejus occursum, et quis potest cogitare quibus canticis sit deducta hodie ad thronum glorie. Quam placido vultu, quam serena facie et quam letis amplexibus sit suscepta a filio et super omnem creaturam sit exaltata. **[Nota 113v-114r:]** Racio hujus est quod sicut beata virgo concipiens et pariens filium Dei dedit ei integrum corpus, visibile, palpabile et mortale etc. Visibile quia post resurreccionem suam per xlª dies etc. Palpabile quia sanctus Thomas qui dicitur etc. Mortale etc., quia [Rom. 6,9] *mors illi ultra non dominabitur etc.*

Ergo non fuit decens ut talis virgo que tale corpus filio dedit, non sua racione gloriose resurrexit etc., ita et mater ejus cum corpore et anima glorificata in terra non consisteret, sed in celum letantibus celestis curie agminibus ad ethereum thalamum feliciter etc. **[113v cont.:]** Et ergo bene possum dicere verba beati Augustini dicentis de presenti festo: Quis enarrabit Christi gratificacionem et Marie virginis assumpcionem, quasi

diceret: Nullus, quia quantam graciam adepta est in terris pre ceteris, tantam gloriam habet singulariter pre ceteris in celis, cujus glorie et gaudii participes nos faciet Christus.

**[Nota f. 113r:]** Quare Deus creavit hominem, quem lapsurum esse scivit etc. Require in minore libro 8$^{o}$ [45]condiciones ejus etc.

**[114r:]** Bernardus de etate beate Marie virginis.

Virgo parens vixit sexaginta tribus annis, 4$^{or}$ atque decem fuit in partu benedicto, trigintaque tribus cum nato manserit ejus, sexque decem sola Christo simul astra petiit.

Nota quod beata virgo Maria fuit xiiii annis, quando peperit Christum. Item sequebatur ipsum xxxiii annis in mundo. Item post mortem ejus vixit sedecim, et hoc sunt in universo lxiii.

Nota quod Sulamitis est Deo barbara et interpretatur anima peccatrix.

Unde cantatur in assumpcione beate virginis [Cant. 6,12]: *Revertere, revertere Sulamitis terre* et hoc propter 4$^{or}$ casus sive lapsus satis miserabiles illius Sulamitis. Primo quia, quando homo concipit peccatum, tunc anima ejus dicitur dissoluta propter cogitacionem, quia anima et consciencia discordat a Christo qui est vera consciencia. 2$^{o}$ quando peccatum conceptum perpetrat, tunc anima dicitur captiva propter consensum quia tunc capitur a diabolo. 3$^{o}$ quando peccatum conceptum et perpetratum continuat, tunc anima dicitur deserta propter operacionem, quia tunc deseritur a Deo. 4$^{o}$ quando peccatum conceptum, perpetratum et continuatum per penitenciam abluit et post penitenciam recidivat iterum in idem peccatum. Tunc anima dicitur aliena propter usum peccati quia tunc alienatur a Deo. Unde versus: Quid Sulamitis signat, si scire velitis: Dissoluta, captiva, deserta sit ac aliena.

Nota quod beata virgo Maria ante tres dies assumpcionis sue per angelum Domini fuit ammonita ut morte temporali etc. Sic tu peccator ante

[45] cf. f. 225v

3[s] dies etc. sc. affectum ante mortem tuam sc. puram confessionem. Nam in confessione omnia peccata confesssa condonantur etc. Item veram contricionem etc. Racio quia [Ps. 50,19] *cor contritum et humiliatum etc*. Item extremam unccionem, quia omnia venalia peccata commissa et omnia mortalia neglecta et non confessa per extremam unccionem deleantur etc.

**[114Ar:]** Item nota quod mater concipiens pueros, et statim post baptismum morientes antequam mortaliter peccaverint, erunt in occursum anime matris eorum morientis sicut et angeli. Ergo gaudete et letamini, tales matres. Sed sunt alique matres inde multum dolentes, quando sic contigit eis in puerperio post baptismum pueros suos sic mittere etc.

Nota Jheronimus scribit quod beata virgo Maria, mater Domini nostri Jhesu Christi, xii annorum erat quando per spiritum sanctum angelo annunciante concepit, et Dominus noster Jhesus Christus erat xxx[a] annorum quando baptizatus fuit a Johanne in Jordane. Tribusque annis predicavit et tribus mensibus, postea crucifixus, mortuus et sepultus, 3[a] die resurrexit, per xl[a] dies conversatus est in terris, xl[mo] resurreccionis ascendit et decimo die ascensionis spiritum sanctum misit discipulis. Beata autem virgo post passionem Domini annis octo in domo Johannis apostoli, et assumpta est in celis, et sic sunt omnes dies illius anni liiii.

**[114Av is blank]**

## In nativitate sancte Marie sermo

*Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* Cant. $4^o$[,7]. Karissimi, hodie sancta ecclesia tenet magnam solempnitatem de nativitate sancte Marie virginis, quam non potest alius mortalis homo implere et laudare plene, teste Jheronimo qui ait: Quid nos ignari preferamus in laudem Marie, quia si adhuc omnium nostrorum membra verterentur in linguas, tamen non sufficerent plene eam laudare.

Cum quibus verbis concordat Bernardus de presenti festo: Non est aliqua res que me magis terreat quam predicare de laude et gloria virginis Marie, quia nulla lingua poterit eam laudare tam digna laude quam ipsa debet habere, quia angeli Dei in celo non possunt eam laudare. Ergo bene possum dicere verba doctoris sancti Jheronimi sic dicentis: Ego satis pertimesco ut queam laudare matrem Dei, precipue quia nescio me habere scienciam ad hoc et bonam loquelam, quia nec angeli neque homines possunt eam plene honorare et laudare, presertim quia transcendit omnem humanam laudem.

Ergo bene possum dicere verba primo posita de ea ibi.: Tota pulchra es, amica mea. In quibus verbis virgo Maria dupliciter designatur. Primo ut exemplum in complemento justicie ut ibi: Tota pulchra es, amica mea. $2^o$ ut experimentum sine fermento malicie et hoc ibi: Et macula non est in te. Primo dico quod virgo Maria describitur exemplum perfectum in omni justicia, ut scribitur in eodem capitulo [Cant. 4,1]: *Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es, oculi tui sunt pulchri sicut oculi columbarum, et sunt simplices et decori.* Bis dicit: Pulchra es per quod datur intelligi quod ipsa habet duplicem pulchritudinem, quia ipsa est casta corpore et mente. Unde Anselmus: Decet ut mater filii Dei niteret tanta puritate, qua sub Deo nequit major intelligi.

Et debemus notare quod beata virgo Maria fuit nata ex devotis parentibus et diu infecundis sc. de Joachim et Anna, quorum vita fuit sancta, recta et pia. Et ambo vivebant sine reprehensione secundum mandata Domini, et omnem substanciam suam trifarie diviserunt, unam partem templo et templi servitoribus impendebant, aliam peregrinis et pauperibus erogabant, $3^{am}$ vero sibi et familie sue usibus reservabant. Tali modo per xx annos castum conjugium habuerunt sine liberis, tamen voverunt Deo quod, si concesserit eis prolem, eam manciparent servicio Domini.

Contigit autem quadam die quod angelus Domini apparuit Joachim cum magna claritate et dixit ei: Non turberis quia ego missus sum a Deo ad

te, ut annunciem tibi preces tuas esse exauditas et eleemosynas tuas in conspectu Dei ascendisse. Ita quod Anna uxor tua **[115r:]** pariet filiam, et vocabitur nomen ejus Maria. Hec erit consecrata a Domino ab infancia sua, ut vovisti, et spiritu sanctu repletur in utero matris sue et morabitur semper in templo Domini, ne alias aliquid sinistrum de ea suspicetur. Et sicut ipsa nascetur ex infecunda et sterili matre, ita filius Dei generetur mirabiliter ex ea, cujus nomen erit Jhesus, et per eum eterna salus erit omnibus gentibus.

Cum autem esset Maria trium annorum, fuit stabilis in gressu et racione et persanctissime loquebatur quasi jam esset xxx annorum, et devotis oracionibus insistebat, et facies ejus splendebat ut vix aliquis possit intendere in ejus vultum. Tamen non potuit illicite ab aliquo concupisci, quia castitatis sue virtus penetravit cunctos in ea aspicientes et expellebat omnem concupiscenciam ab eis. Et ipsa sibi hanc regulam statuit ut a mane usque ad $3^{am}$ oracioni insistebat. A $3^{a}$ usque ad nonam in opere textrino cum virginibus se habuit et a nona iterum ab oracione non recedebat, usquedum angelus Domini apparauit ei, de cujus manu escam accepit qua nutriebatur. Illam vero escam distribuit pauperibus, quam habuit a servitoribus templi, et videbant frequenter angelos Dei loqui cum ea manifeste.

De ista virgine dicit Epiphanius sic, quod habuit modestam loquelam, perfectam obedienciam, fuit sine audacia et sine risu, honoravit omnem hominem et erat bene instructa in sancta scriptura et fuit mirabilis in sapiencia super omnes mulieres. Et omnes homines mirabantur super ejus sapienciam et eloquenciam. Assidue erat in devotis oracionibus et jejuniis et in aliis bonis operibus, propter que bona opera ipsa dicitur esse pulchritudo et regina celi et omnium sanctorum corona et gloria. Unde Ps. [149,9]: *Gloria hec est omnibus sanctis ejus.* Ista virgo eciam erat concepta et nata sine peccato sicut dicit Augustinus: Beate virgini Marie collatum est plus gracie ad vincendum peccatum ex omni parte. Que virgo concipere et parere meruit illum, qui nullum peccatum fecerat, et quem nullum constat peccatum habuisse.

Et ista virgine excepta si omnes sancti, cum hic in mundo viverent, interrogati essent utrum sine peccato essent, tunc omnes dixissent una voce Joh. vii [1.Joh. 1,8]: *Si dixerimus, quod peccatum non habemus etc.* Et ergo doctor Richardus de ea sic ait: Decebat virginem Mariam ex singulari privilegio sanctitatis vivere, vitam innocentem sine peccatis habere, que **[115v:]** illum, qui destrueret mortis et peccati peremptorem, [pareret?]. Et sicut ipsa fuit particeps omnium mulierum benediccione, ita ipsa erat libera et experta ab omnium mulierum malediccione. Et ideo bene possum dicere

de ea, prout in themate dixi, quod ipsa fuit tota pulchra ad suum ingressum nasci in hoc mundo. Et hoc de primo quia nata fuit ad salutem omnium populorum.

$2^{o}$modo dico quod virgo Maria describitur esse experimentum sine omni macula. Illud proponitur in progressu suo in hoc mundo, quia ipsa habuit gracie et sanctitatis pulchritudinem in sua conversacione quamdiu vixit in hac vita. Unde Bernardus: O Maria, unde venit tibi tanta humilitas, ad quam Dominus voluit respicere et cujus decorem altissimus rex voluit concupiscere, ex cujus suavissimo odore Dei filius traheretur in tuo benedicto utero, de sinu Dei patris, de celesti palacio. Invenimus scriptum sic [Mat. 1,18], *quod dum Maria esset desponsata Joseph, antequam convenirent, inventa est habens in suo benedicto utero filium Dei conceptum de spiritu sancto.* Luc. 22. Sed Joseph habuit ex divino amore circumspeccionem et curam de virgine Maria et nihil sinistrum inveniebat in ea. Sed ipse reperit in ea omnia que fuerunt honesta, sancta, laudabilia, et omnia que fuerunt virtuosa ex sancti spiritus infusione, propter quas virtuosas res concessit ei [Deus] vii maxima privilegia pre omnibus aliis sanctis.

Primum privilegium Marie fuit illud quod ipsa fuit purissima et mundissima ab omni peccato super omnes sanctos, quia ipsa fuit tam perfecte sanctificata in utero matris sue, quod numquam inclinata fuit ad aliquod veniale peccatum in omnibus diebus suis. $2^{m}$ privilegium est quod ipsa fuit plenissima gracia super omnes sanctos et sanctas. Unde Jheronimus: Gracia prestatur per partes ceteris hominibus, sed plenitudo gracie infudit se totam Marie. $3^{m}$ privilegium Marie est illud quod ipsa solummodo est castissima mater et virgo. Unde Bernardus dicit quod virgo Maria elegit [optimam] partem sc. virginalem vitam, quia vita conjugalis est bona, melior est vidualis, sed virginalis vita est optima. Quam vitam ipsa elegit quia fuit virgo ante partum, in partu et post partum.

$4^{m}$ privilegium Marie est illud quod ipsa est mater filii Dei, que est mater ineffabilissima in omni bonitate et sanctitate. Ipsa eciam fuit humilissima pre omnibus sanctis, et ergo ipsa fuit mater illius filii in terris, qui habuit patrem Deum in celis. $5^{m}$ privilegium Marie fuit illud quod ipsa fuit familiarissima Deo corporaliter super omnem creaturam, et istud privilegium numquam fuit concessum alicui creature preter ipsam, nec alicui concedatur in posteris, quia ipsa fuit digna portare **[116r:]** Deum et hominem novem mensibus in suo benedicto utero, et ipsa eciam lactavit eum propriis uberibus cum proprio lacte et tractavit Deum et hominem cum suis sanctissimis brachiis et osculis suavissimis eum sepius osculaba-

tur, sicut Augustinus testatur dicens: O Deus, non est mirum quod Maria dignetur regnare et gaudere tecum in celis, ubi tu Deus regnas, quem ipsa osculabatur totiens in terris sc. filium suum ex se natum corporaliter.

6[m] privilegium Marie fuit illud quod ipsa est potentissima super omnem creaturam apud Deum. Unde Augustinus: Nullum dubium est quod virgo Maria que meruit portare precium nostre redempcionis contra potestatem inferni, quod ipsa potest plus omnibus sanctis impetrare peccatoribus suffragium et absolucionem a peccatis eorum. 7[m] privilegium Marie fuit illud quod ipsa est summe exaltata in eterna gloria super omnes sanctos. Unde Jheronimus dicit sic, quod virgo Maria transcenderet ultra merita angelorum et archangelorum, quod non est phas credere de aliquo alio sanctorum preter solumnmodo de ipsa, et illud privilegium non est ex natura sed est collatum sibi ex speciali Dei gracia.

Et ideo obsecremus ipsam sicut Abraham obsecravit uxorem Saram dicens Gen. xii [12,13]: *Obsecro ut dicas, quod soror mea sis, ut bene mihi sit propter te, et vivere possum ob graciam tui.* Que quidem verba dicamus ad Mariam eodem modo: O Maria, dic quod soror nostra sis, ut bene sit nobis apud Deum ob merita gracie tue, ut possimus vivere eterna vita. Dic eciam quod soror nostra sis, ut propter talem sororem demones, qui sunt inimici nostri, a nobis terreantur ut nullam potestatem habeant ad nocendem nobis. Dic eciam quod soror nostra sis, ut per talem sororem angeli Dei nobis conjungantur et tueantur nos ab omni malo. Dic eciam quod soror nostra sis, ut per talem sororem benedictus filius tuus misereatur nostri et concedat nobis pervenire ad regnum suum, ubi vita est sine morte et leticia sine fine, de qua vita dicit Bernardus: Oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit quanta claritas, quanta suavitas, quanta jocunditas expectant nos in patria, ubi Christus est patria credentium, vita viventium, corona vincentium. Quam coronam nobis concedat Deus eternus. Amen.

**De eodem**

*Hodie aurora visa est, de cujus radio totus mundus illuminatus est.* Esther 8vo[,16] Per auroram notatur Maria, per radium Jhesus. Maria comparatur aurora propter 4or. Primo quia aurora annunciat diem, ita dum beata Maria fuit nata, nunciavit nobis diem sc. *veram lucem* Joh. [1,9], *qui illuminat omnem hominem etc.* Item comparatur aurora, quia totum tempus ante nativitatem Marie ab inicio preteritum nox appellabatur in scriptura, et ideo ipsa media inter diem et noctem. Ita Maria inter Deum et hominem ut patet in miraculis ejus. Contigit quod quidam multi navigarent ad Jherusalem inter quos erat quidam clericus. Instante autem tempestate valida, clericus incepit dicere horas beate virginis dicens: Ave Maria, et statim submerserunt. Cujus anima clerici ab angelis bonis et malis deportata fuit coram judice. Beata Maria statim affuit dicens: In hora mortis sue in servicio meo fuit. Omnes vero contradixerunt, et aperto ore funeris scriptum fuit cum aureis literis: Ave Maria. Et precibus beate Marie anima ejus salvata est a demonibus, et ad vitam pervenit et ad mortem caste vixit. Ita ipsa est mediatrix inter Deum et hominem. Bernardus: Felicem adjutricem transmisimus[?] ad celum, que fideliter procurabit.

3o aurora impetrat lumen a sole. Sic beata Maria omnem sanctitatem cognoscit se habere a suo dilecto suo [filio]. 4o dum aurora instat, volucres letantur et exultant et cantant. Ita dum beata Maria nata fuit, angeli gavisi sunt quia de ejus nativitate celum gaudet, quia angeli laudant filium Dei, qui eam creavit. Terra exultat quia ipsa protulit fructum suum. De nativitate ejus terra obtinuit multiplicem utilitatem. Eramus enim rei culpa, privati gracia, obligati pena et exclusi a gloria, sed per beatam Mariam sumus absoluti a culpa, quia quidquid male infusum est per Evam, abstulit benediccio Marie.

Unde cantat ecclesia: Per te reis datur venia, per te justis confertur gracia, per te celum aperitur. Ergo tenemur eam honorare ut nobis remuneret. Unde contigit in nativitate beate Marie in quodam monasterio quod multe moniales cantaverunt: Audi nos, nam te filius nulli etc. Eo tempore quedam virgo assumpta est in celum, et ipsa vidit beatam virginem Mariam flexis genibus orantem et sedentem coram filio suo orantem pro peccatoribus. Angelus dixit: Tu eris testis quod sicut adoratis eam in terris, ita orat pro vobis in celis, et post ea retulit.

**De vii gaudiis Marie virginis**.

**[117r:]** Primum. Apparuit beatissima virgo Maria sibi devoto episcopo et dixit: Gaudeo pro eo quod assumpta sum in celo super omne, quod estimari potest humana opinione, ita quod solius mei benediccio et beatitudo gloriam omnium angelorum et omnium sanctorum precellit. Gaudeo 2$^{o}$modo quia sicut dies a sole, ita celestis patria mea beatitudine jocundatur. Gaudeo 3$^{o}$modo quod omnes cives celestis curie mihi sunt obedientes, me tamquam matrem regis sui venerantur. 4$^{o}$ gaudeo eo quod summe majestatis et mea in omnibus est una. 5$^{o}$ gaudeo quod mihi servientibus secundum mee voluntatis arbitrium hic et in futuro remunerantur. 6$^{o}$ gaudeo quod super choros angelorum exaltata proxima sum summe trinitati. 7$^{o}$ gaudeo quia omnino secura sum, quod gaudium meum numquam deficiet et numquam minuetur. Ex quo talis est virgo beata et tanta.

Erat quidam sanctus sedule contemplacionis insistens, singulis annis vi$^{o}$ idus septembris in oracione positus jocundam solempnitatem angelorum audivit. Cumque devote peteret revelari cur quolibet anno tantum ista die et non alia hec audierit, divinum accepit responsum quod tali die beata virgo in mundo fuit nata, et ideo manifestares filiis ecclesie ut concordes fierent hanc solempnitatem celebrare. Cum autem hoc summo pontifici intimasset, hunc diem honore beate virginis et ejus nativitatis instituit celebrare.

Maria literaliter interpretatur mater justorum, advocata peccatorum, regina celorum, jaculum adversariorum, arca celestium thesaurorum.

## De exaltacione sancte crucis[46]

*Lignum forte et imputribile elegit sibi artifex sapiens.* Ezechiel x7 capitulo [Is. 40,20]. Per istum sapientem artificem intelligitur Christus, qui est sapiencia patris Dei, qui elegit sibi lignum forte sc. sanctam crucem ad hoc, ut per eam et in ea operaretur nostram salutem. In quibus verbis duo notantur. Primo quod lignum crucis est forte, 2° quod est electum a sapiente. Circa primum nota quod lignum crucis fuit forte triplici racione, primo quia expugnat inimicum, 2° quia corroborat infirmum, 3° quia portat [animas] ad regnum celorum. Primo dicitur lignum forte quia expugnat inimicum, et ideo dicitur scutum sicut dicit Damascenus. Hoc scuto munitus rex Heraclius hostem suum sc. Cosdram superavit, et propter hanc magnam victoriam et insigne miraculum, quod tunc Deus ostendit et per sanctam crucem, illud festum ab ecclesia celebratur et exaltacio sancte crucis appellatur, quia tali die fides multum fuit exaltata.

Unde legitur[47] quod anno Domini cccxv permittente Deo populum suum flagellari per paganos Cosdras rex persarum totum mundum sibi subjugavit. Jherusalem veniens partem crucis, quam sancta Helena ibi superliquerat, asportavit. Volens igitur ab hominibus coli ut deus, turrim ex auro et argento et lucentibus gemmis fecit, et sic in throno residens tamquam Deus pater. Lignum sancte crucis a dextris loco filii posuit et gallum a sinistris loco spiritus sancti et sic se sicut Deum adorare precepit.

Tunc Heraclius imperator exercitum collegit et contra filium Cosdre juxta fluvium Danubii dimicaturus advenit. Tandem utrique exercitui placuit ut ipsi soli super pontem convenirent, et qui victor existeret imperium sibi usurparet. Tunc Heraclius Deo se totum commendavit et sancte cruci, ambobus igitur in conflictu perdurantibus Heraclio Dominus victoriam dedit et cunctum exercitum suo imperio subjugavit, ita quod totus populus Cosdre sacrum baptisma suscepit. Tunc Heraclius ad Cosdram pervenit et in throno aureo eum reperiens sedere dixit ei: Quia lignum sancte crucis secundum modulum tuum honorasti, si fidem Christi et baptisma receperis, vitam et regnum servabis. Sin autem non gladio meo punieris. Cum autem acquiescere nollet, ipsum decollavit et filium suum x annorum, quem secum reperit, baptizavit et regnum paternum sibi dimisit. Turrim vero destruens aurum et argentum ad reparandas ecclesias destinavit. Sanctam igitur crucem accipiens Jherusalem deportavit.

[46] From Peregrinus Polonus
[47] Also fol. 316v

Cum autem de monte Oliveti descendisset et per portam, quam Dominus passurus intravit, in equo regio et ornamento preclaro ingredi vellet, lapides porte repente descenderunt et ad invicem tamquam unus paries se clauserunt. Super hoc cunctis stupentibus angelus Domini signum crucis in manibus tenens super portam apparuit dicens: Cum rex celorum per hanc portam passurus intravit non cultu regio sed humili asello ingrediens, humilitatis exemplum suis cultoribus reliquit. Hiis dictis angelus discessit.

Tunc imperator lacrimans seipsum discalcavit et vestimenta regia usque ad camisiam exuit. Crucem Domini accipiens humiliter bajulavit. Statim se porta aperuit et libitum intrantibus patefecit ingressum. Sicque sancta crux in suo loco restituitur. Mortuus quidam resuscitatur, $4^{or}$ paralitici curantur, xv ceci illuminantur, x leprosi mundantur et multi obsessi a demonibus liberantur etc. Ecclesie reparantur, et sic imperator ad propria remeavit, et sic patet primum.

$2^{m}$ autem sequitur. **[117Ar:]** $2^{o}$modo hoc lignum dicitur forte quia roborat infirmos. Unde dicit Damascenus quod crux est baculus infirmorum, quia sicut baculum materialem seu manualem timent canes seu animalia irracionalia, ita demones timent crucem.

$3^{o}$modo dicitur lignum forte quia animas nostras portat ad regnum celorum, et racione hujus vocatur navis. Non enim potest aliquis transire per mare hujus mundi nisi sedeat in navi. Sic eciam nullus potest transire ad regnum celorum nisi beneficio sancte crucis. Unde Augustinus: Instituit Christus lignum quo mare transeamus. Elegit autem Christus hoc lignum $4^{or}$ modis. Primo sicut candelabrum ad illuminandum, $2^{o}$ ut faber malleum ad novum opus operandum, $3^{o}$ sicut pugil scalam ad expugnandum castrum, $4^{o}$ sicut fatigatus lectum ad quiescendum. Primo elegit Christus crucem sicut candelabrum. Videns enim Deus pater totum mundum esse in tenebris et quod homines [habentes] oculos non viderent, Ps. [134,16]: *Oculos habent et non etc.* et quod omnes homines ad tenebras eternas tenderent, quia viam ad celum non viderunt. [Sap. 2,21:] *Excecaverat enim eos malicia eorum.*

Unde per istum candelabrum sancti patres, qui erant in tenebris, illuminati dixerunt: Advenisti, desiderabilis, quem exspectabamus in tenebris, quia eorum tenebre fuerunt converse in lucem et claritatem. Super hoc dicit Chrisostemus quod crux Christi et cicatrices in die judicii radiis solis erunt lucidiores, et sic omnes qui lucidam vitam hic duxerunt, ad illud candelabrum congregabuntur ut securi sint a tenebris inferni.

2º elegit Christus sanctam crucem sicut faber malleum ad operandum novum opus. Comparatur enim fabro quia opera ejus firmiora sunt omni ferro. Quam nobilis faber, qui tam nobile et tam durabile opus fecit sc. celum et terram et omnia que in eis sunt, qui tam pulchra luminaria fabricatus est. Ps. [73,16]: *Tu fabricatus es auroram et solem.* Sed cum omnia bene fecisset, sicut habetur in prophecia [Gen. 1,31], et *erant omnia valde bona,* unum de operibus suis sc. anima rubigine peccati deformata erat. Unde ut eam purgaret et rubiginem peccati deponeret, oportet eum ad modum fabri facere qui, cum vult aliquid novi facere, deponit solempnem vestem et induit vilem et eligit sibi malleum pro tali opere. Sic fecit Deus. Quando voluit animam mundare a rubigine peccati, tunc induit ignobilem vestem sc. carnem nostram que terra est, et elegit crucem pro malleo et sic animam calefactam igne caritatis ejus **[117Av:]** existens[?] in cruce ipsam purgavit a rubigine peccati, et tantum eam mundavit quod in die judicii clarior sole apparebit. Et ideo dicere potuit [Is. 43,19]: *Ecce nova facio omnia.*

3º elegit crucem tamquam bellator scalam ad expugnandum castrum. Qui autem vult pugnare, oportet eum habere arma ad expugnandum inimicos suos sc. Deus habuit divinitatem conjunctam humanitati, qua adversarium sc. diabolum superavit, et scalam erexit sc. sanctam crucem. Et ita viriliter pugnavit quod gravissima vulnera recepit et in tantum vulneratus fuit quod Ps. ei compatiens exclamavit dicens [Is. 1,6]: *A planta pedis usque etc.* Et postmodo in tantum convaluit bellum quod in hac scala stans occubuit et cum eo xii principes sc. apostoli. Paulus in tantum pugnavit quod fuit decollatus, Petrus et Andreas suspensi in ligno, Bartholomeus vivus excoriatus, et alii quamplures. Immo et debilis sexus muliebris in illo bello pugnaverunt sicut Katerina, Margaretha et alie plures virgines.

4º elegit Christus crucem tamquam fatigatus lectum ad quiescendum. Certe ipse frequenter fatigatus fuit. Joh. [4,6]: *Christus autem fatigatus ex itinere,* sicut dicit Ps. [68,4]: Fatigatus, inquit, ex sua predicacione, *rauce facte sunt fauces mee etc.* Ideo quesivit sibi lectum ad quiescendum sc. crucem. Hic est lectus quem sancta ejus anima desideravit post laborem, ut ipsemet testatur dicens [Mat. 26,38]: *Tristis est anima mea usque ad mortem etc.*

**De exaltacione sancte crucis. Anno Domini m$^{o}$cdlx$^{o}$.**[48]

*Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jhesu Christi*. Ad Galat.[6,14]. In quibus verbis duo ostenduntur. Primo ostenditur mundana gloria contempnendi cum dixi: Mihi absit autem gloria. 2$^{o}$ innuitur crucis Christi ignominia appetendi cum dixi: Nisi in cruce Domini nostri Jhesu Christi. Primum notatur cum dixi: Mihi autem absit gloria sc. in mundi vanitatibus. 2$^{m}$ notatur ibi: Nisi in cruce etc. sc. in crucis asperitate. Notandum quod duplex est crux sc. spiritualis et corporalis. Spiritualis portatur per sanctam conversacionem, corporalis vero portatur per mortis passionem. Spiritualem crucem tenentur omnes fideles portare, unde Mat. x$^{o}$ [10,38]: *Qui non accipiet crucem suam* vanitatem mundi contempnendo *et sequitur me* sancte vivendo, *non est me dignus* ut mecum sit eternaliter gaudendo.

Et quod omnes christifideles ad spiritualem crucem portandam necessario obligantur, expresse dicit beatus Augustinus in sermone de sancto Laurencio: Tota, inquit, vita christiani hominis est ut secundum evangelium vivat sc. in cruce et in penitencia. Crux autem spiritualis accipitur ad similitudinem corporalis crucis. Nam corporalis crux habet 4$^{or}$ angulos sc. inferius, superius, ad dextram et sinistram. Ita crux spiritualis sc. bona vita habet 4$^{or}$ angulos: Ad inferius ut penam infernalem semper fugiat, ad superius ut gloriam celestem semper appetat, ad dextram ut bonum faciat, ad sinistram ut malum pene sustineat.

Ad istos 4$^{or}$ angulos configitur homo 4$^{or}$ clanis. Ad inferiorem angulum hujus crucis configitur per unum clanum, qui dicitur formido eterne dampnacionis. Ad superiorem partem configitur per clanum, qui est certitudo eterne superne fruicionis. Ad dextram partem per clanum, qui est sollicitudo bone operacionis. Ad sinistram partem configitur homo per clanum, qui est amaritudo dominice tribulacionis.

Primo loquamur de cruce spirituali quantum ad ejus angulum inferiorem, qui est fuga eterne pene. Unde Zacharias [2,6]: *Fugite de terra aquilonis, dicit Dominus.* De terra aquilonis sc. pena infernalis, quam fugere debent omnes qui cum Christo partem habere volunt. Ad hunc angulum crucis configitur homo per clanum, qui est formido mortis eterne. De isto clano loquitur propheta David in Ps. [54,5]: *Formido mortis cecidit super me*.

Quamdiu enim iste clanus formidinis hominem ad istam crucem spiritualem configit, tamdiu penam eternam effugiat. Istum autem clanum

[48] From Peregrinus Polonus

formidinis et timoris tria solent fabricare sc. peccati commissi recordacio, inimici impugnacio et proprie infirmitatis et ignorancie consideracio. **[118v:]** Qui enim frequenter peccata sua ducit ad memoriam, racionaliter possit formidare penam infernalem. Ps. [54,6]: *Timor et tremor venerunt super me etc.* de peccati recordacione. Et tremor de demonum astutissima impugnacione.[Ps. 54,6:] *Et tenebre contexerunt me* de naturali condicione.

2us angulus crucis est ut homo semper faciat bonum. Apostolus ad Galat.vi [6,9]: *Bonum facientes non deficiamus*. [Ad] istum angulum debet homo configere [configi?] clano, qui dicitur diligencia seu sollicitudo operacionis. Hic clanus sollicitudinis stimulat ad triplex opus, primo ut homo peccatum fugiat, 2o ut bona opera exerceat, 3o ut alios edificet et instruat. Primo dico quod iste clanus sollicitudinis instigat ad peccatum fugiendum. Eccli. xxi [21,2] dicit sapiens: *Quasi a facie colubri fuge peccatum,* et si homo non potest hoc facere ex propria virtute, imploret ad hoc divinum adjutorium. 2o instigat iste clanus ad bene operandum. Rom. xiio [12,11]: *Sollicitudine non pigri,* quasi diceret: Sitis solliciti ad bene operandum et nolite pigri esse ab opere cessando. Qui enim multum operatur, mercedem multam habebit, et qui parum laborat modicum fructum congregabit. Ad Cor. 2o [2.Cor. 9,6]: *Qui parce seminat, parce et metet.* 3o iste clanus instigat ad proximum convertendum. Unde [Jacob 5,20:] *Converti qui fecerit peccatorem ab errore vie sue, ipse animam suam salvabit et operit multitudinem peccatorum.*

3us angulus crucis spiritualis est ut homo pene malum sustineat. Unde ad Thi. 4o [2.Tim. 3,12]: *Omnes enim, qui pie volunt vivere, persecucionem etc.* Iste clanus, per quem configatur, dicitur amaritudo dominice passionis. Quis enim in malis suis et tribulacionibus patienciam non servaret, qui diligenter attenderet, quantam passionem et penam et amaritudinem Dominus Jhesus non pro se, sed pro nobis innocentissime passus esset. Hic enim clanus sc. recognicionis et amaritudinis passionis Christi configit hominem ad crucem spiritualem, ut per tribulaciones temporales patienciam non amittat, sed acerbitatem passionis Christi frequenter recogitet.

Est autem triplex malum per quod homo quotidie affligitur sc. infirmitas corporalis, paupertas temporalis et malignitas hominis persequentis. De istis tribus miseriis et tribulacionibus, que omnis homo aliqua sustinebit, sicut patet in Job primo, in corporis infirmitate, in omnium rerum amissione et demum in inimicorum persecucione, qui in omnibus istis malis **[119r:]** patienciam servavit.

4us angulus crucis spiritualis est ut homo semper celestia appetit, et hoc monstravit Dominus noster, quando ad primam horam diei et ad 3am et sextam et nonam et ximam dixit ad aliquos vocatos ad laborandum in vinea et ad vesperam singulos recepisse denarios. Quid est laborare in vinea quam in cruce spirituali pendere. Nam ille vere laborat in vinea qui conversacionem sanctam observat. Ad quid laborandum est in vinea nisi ut mercedem ad vesperam recipiant. Ideo sequitur ibidem Mat. x [20,8]: *Dixit enim dominus vinee procuratori suo: Voca operarios et redde etc.*

Ista crux erat ex 4or lignis, per que signantur 4or virtutes. Superior pars signat caritatem, qua debemus solum Deum diligere ut nobis janua celi aperiatur. Inferior pars signat devocionem[?] quam debemus habere ut nobis janua inferni obstruatur. Pars a dextris signat obedienciam, qua debemus omnia propter Deum obedire. Pars a sinistris signat patienciam, qua debemus compati et adversa patienter tolerare.

In cruce angelus et homo reconsiliatur. Erat enim inimicicia inter illos, sed nunc per crucem angeli et homines pacificantur, unde Rabanus: In sancta cruce angeli gaudia sua augmentata conspiciunt. Unde Gen. 28o[,12]: *Vidit Jacob scalam, cujus summitas celum tangebat, et angeli per eam ad homines descendebant.* In cruce homo salvatur, unde Rabanus: Tu sancta crux, peccatorum est remissio, pietatis exhibicio, meritorum accumulacio, remedium infirmorum, et hoc est magna virtus crucis. Unde latro in cruce pendens ad dextram dixit [Luc. 23,42-43]: *Domine, memento mei*. Meruit audire: *Hodie mecum eris etc.* In cruce diabolus superatur, quia cyrographum diabolice fraudis Christus per crucem tulit. Nam exspoliavit potestates infernales auferens ab eo animas per mortem crucis in seipso, et sic patet quid Christus, quid angelus, quid homo, quid diabolus per crucem est consecutus.

Unde Cassiodorus: Crux victoria Christi, perdicio diaboli, infernorum destruccio, celestium reformacio, mors infidelium, vita justorum. Ideo respicere debemus in crucem sicut in clipeum protegentem corpus et in navem traducentem. Mat. 8 [9,1]: *Ascendens in naviculam et transfretavit et venit in civitatem suam.* Hec navicula secundum glosam est crux Christi, in qua mortuus venit in celestem patriam. Per eandem venimus et nos, si perspicimus eum per compatienciam sue passionis.

**[118Ar:]** Exemplum[49] legitur de quodam viro qui ivit in silva per totum diem et non potuit habere hospicium. Contigit ut videret stupam in silva, intravit stupam cogitans secum ubi deberet jacere. Signavit se signo

[49] Almost the same story f. 315v

sancte crucis et intravit fornacem, et ipse fuit paganus. Vespere facto venerunt demones et habuerunt generale consilium. Dixit presul ad unum eorum: Ubi fuisti? Ego fui in curia episcopi hic prope, et ita disposueram ut in alia nocte debet habere concubinam secum. Dixit in fornacem: Vide, quid ibi intus est. Dixit alter: Hic jacet vas vacuum, et tamen ligatum est cum argento, et recesserunt omnes demones, et sic eum liberavit sancta crux. Postea ivit ad episcopum et fecit se baptizari et dixit episcopo a fine usque ad finem, et tale miraculum cum eo fecit sancta crux, et sic quilibet homo libenter oportet servire sancte cruci etc.

**[118Av is blank]**

## De sancto Michaele archangelo

*Angeli pacis amare flebant*. Isa. xxxiii [33,7]. Vulgariter dicitur: Quis citius potest effundere ciphum quam ille, qui in manu tenet. Nota pater misericordiarum condidit hominem naturalibus decorum, liberum ex proprio arbitrio, dedit ei angelum ministrum, dedit ei unigenitum suum filium in redemptorem et socium. Sed quis hec omnia citius potest effundere quam stultus homo, qui tot et tanta Dei beneficia minime recognoscit sed spernit. Et ideo propheta compatiens generi humano dicit propter stulticiam hominis verba thematis preassumpta: Angeli pacis etc.

Ubi duo specialiter notantur. Primo pietatis officium in angelis ibi: Angeli pacis. 2° iniquitatis excidium in fatuis hominibus ibi: Amare flebant. Nota quod officium angelorum primo est et specialiter sancti Michaelis, qui est patronus presentis ecclesie, conservare christifideles in bona pace et fide catholica et eos in eorum tribulacione roborare, eciam pro eis in temptacione postulare et in celesti gloria animas eorum Deo presentare. Unde Mat. xv [18,10]: *Angeli eorum semper vident faciem patris*.

2° notatur inquitatis excidium ibi: Amare flebant. Nec mirum cum enim Deus pater condidit hominem ad percipiendum divinum patrocinium, ad habendum angelicum obsequium, ad vitandum diabolicum commercium, ad gustandum celicum gaudium, et homo per se hec omnia effundit. Tunc merito quilibet angelus homini deputatus et sua diligenti custodia defraudatus potest dicere illud Isa. xxii [22,4]: *Recedite a me, amare flebo* propter peccata vestra commissa. Nota quod angeli dicuntur flere propter 4^or^ causas, primo quia propter scelera hominum annihilantur divina patrocinia, 2° quia in dampnatis hominibus cessantur angelorum obsequia, 3° quia sanctis animabus in celo propter dampnatos retardantur completa gaudia, 4° quia propter dampnatos multiplicantur reproborum supplicia.

Primo dico quod angeli flebant amare, quia propter scelera hominum divina patrocinia annihilantur. Unde Jer. xii [22,10]: *Nolite*, inquit, *flere mortuum, neque lugeatis super eum fletu*, quia [Jer. 22,19] *sepultura asini sepelietur, putrefactus et projectus extra portas Jherusalem.* Ille dicitur mortuus, cui omnis gracia collata annihilatur et perpetua gloria denegatur, et quia hoc justo Dei judicio agitur. Ps. [22,4] *Sanctus es, Domine*. Ideo angelis ministratoriis **[120r:]** recte dicitur: Nolite flere mortuum sc. peccatorem jam dampnatum et triplici vita privatum sc. vita corporali, spirituali et eternali. Et ideo in sepultura asini sepelietur, quia in ster-

quilinium tartareum dimergetur. Et subdit: Putrefactus in sordibus viciorum et projectus a consorcio beatorum extra portam Jherusalem sc. celestem.

2° dicuntur angeli flere quia in peccatoribus cessantur eorum obsequia. *Omnes enim sunt ministratorii spiritus.* Apostolus ad Hebr. 1[,14]° et concordat Jheronimus: Magna dignitas animarum ut unaquam ab ortu nativitatis sue habeat angelum ad sui custodiam deputatum. Et hoc triplici de causa. Primo ad cautelam providencie ne peccent, 2° ad medelam penitencie ut peccata commissa defleant, 3° ut semitam justicie cognitam non derelinquant. Sed miser homo in omnibus hiis non curat angelicum ministerium, sed ad propria desideria proclivus currit. Ergo merito dicuntur angeli flere. Unde Ps. [125,6]: *Euntes ibant et fleverunt se sua, mittentes semina sua.* Euntes, inquit, ibant, quia cum hominibus euntibus ad diversas partes mundi sancti[?] ipsi angeli de eorum salute solliciti pariter ibant.

Unde Bernardus: Angelus in omni loco est sedulus pedisequus sc. servus anime, non cessat sollicitare et ammonere eam ab assiduis suggestionibus dicens [Ps. 36,4]: *Delectare in Deo, et dabit tibi peticiones cordis tui.* Et ideo sequitur [Ps. 125,6]: *Mittentes semina sua* sc. dantes seculis consilia.

3° dicuntur angeli flere quia beatis animabus retardantur completa [gaudia]. Unde legimus quod quidam diabolus interrogatus cur tam sollicite homines temptaret respondit: Certe propter hoc ut supplicia nostra protelentur et celica gaudia retardentur. Et ideo clamant angeli [Ps. 136,1]: *Super flumina Babilonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur tui, Sion.* Flumina Babilonis sunt providentes[?] peccandi cum impetu, per preceps tendentes ad profundissimum infernalis confusionis. Unde Gregorius: Peccatum quod non per penitenciam diluitur mox suo pondere ad aliud trahit. Illic, inquit, sedimus considerantes mundanorum lasciviam et vanitatem et compatientes dampnacioni eorum, et ideo flevimus contemplantes eciam protraccionem finalis gaudii beatorum, dum recordaremur Tui, Sion, que est civitas Dei celestis nondum habens sua gaudia consummata.

**[120v:]** 4° dicuntur angeli amare flere quia propter tam plurimos dampnatos reproborum et malorum supplicia cumulantur, et hoc facit ipsorum in inferno compressio, quia ibi est malignorum demonum associacio, ignium concremacio et variarum penarum accumulacio et omnium predictarum penarum eterna continuacio. Cum igitur sancti angeli vident homines taliter tractari, quos cum reverencia et obsequio antea

custodiebant, merito tunc possunt dici flere amare, ut dixi in themate hujus: Angeli pacis etc.

Videtur Dominus peccatoribus dormire, et ergo filii hominum perpetrant malum absque omni pavore. Sed cito consurgit Dominus et arripit virgam ferream et gladium ulcionis. Unde Isidorus de summo bono libro 3° capitulo liiii° dicit: Qui Dei judicia oculis proponit semper timens tremensque in omni negocio formidat. Unde Ps. [90,11]: *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*, et ideo boni angeli nobis sunt dati in proteccionem hostium. Unde Daniel propheta [12,1]: *Angelus Domini consurget quasi adjutor et protector* contra antichristum *et fortiter stabit.* Unde angeli ad tria nobis dati sunt: Potestatem diaboli refrenandam, concupiscenciam carnis refrigerandam, memoriam dominice passionis mentibus nostris imprimendam.

[Nota f. **119v**:] *Justus es, Domine* [Ps. 118,137].

## 2us sermo de omnibus sanctis anno mcdlxo

*Laudes dicite Deo, omnes sancti.* Apoc. xixo [19,5]. Egregius doctor sanctus Augustinus docet nos ad quam refugium habeamus, si misencicordiam Dei consequamur sc. ad virginem Mariam, que est potentissima apud Deum super omnem creaturam. Et videmus hic in mundo quod qui vult impetrare aliquid in curia pape seu alicujus principis, tunc habeat oculum ad quemlibet in curia, sed specialiter ad eum qui potest eum juvare. Ita nos peccatores habeamus mentem nostram et cor nostrum specialiter ad virginem Mariam, si volumus aliquid impetrare a Domino, quia ipsa est potentissima apud Deum ad succurrendum nobis. Quod patet in quodam miraculo quod scriptum invenimus de ea.

Fuit quidam abbas qui positus fuit in magna tempestate maris cum multis aliis, et erant tantum oppressi a tempestate, ita ut omnes desperarent de vita sua. Et quidam invocabant in necessitate sua unum sanctum et alii alium sanctum et unusquisque illum, cui plus servierat, invocabat. Cum ergo abbas videret eos sic invocare tot sanctos et non per hoc liberatos a periculis maris, sed neminem audivit invocare matrem misericordie, que est potentior omnibus sanctis ad impetrandum constitutis in periculis adjutorium, dixit ad illos abbas: Fratres, quid agitis? Ad quid invocatis ceteros sanctos qui minus potentes sunt, et ipsam que omnibus plus potest, negligitis? Bonum est, inquit, quod agitis, sed multo melius esset ut vos omnes simul matrem misericordie acclamaretis.

Tunc omnes illi una voce clamabant ad virginem Mariam ut sui misereatur, et dicebant: Pia mater, virgo Maria, succurre nobis miseris ne pereamus, sed fac nos sentire tuum juvamen. Tunc statim in summitate maris[?] apparuit lux magna ad instar cere, que noctis tenebras fugans et illuminavit omnes qui erant in navi, sua claritate. Et cessavit tota tempestas pelagi et facta est tranquillitas magna propter preces virginis gloriose. Et modicum post incepit diescere, et applicuerunt terre ad quam tendebant, cum leticia. Isto modo et multis aliis juvat Dei genitrix, qui ipsam devote deprecatur. Rogemus ergo etc.

Laudes dicite Deo, omnes sancti, ut supra. Ista verba **[121v:]** congruunt presenti festo in quo memoria omnium sanctorum celebratur, qui Deum celi semper laudant. Nec mirum est si sancti ipsum laudant, quia vident faciem ejus benedictam, qui eos creavit secundum propriam suam imaginem. Gen. io [9,6]: *Ad imaginem quippe Dei factus est homo*. Unde omnes sancti laudant Deum 4or modis, quia semper Deum vident clarissime in celesti gloria. Quamdiu ipsi erant in ista transitoria vita, non

poterant ipsum perfecte videre. Ad Cor. xiii° [1.Cor. 13,12]: *Videmus* ipsum *nunc per speculum, in enigmate* sc. obscure, *tunc autem facie ad faciem* cognoscemus eum perfecte. Et sciatis quod facies Jhesu Christi est tam deliciosa quod sancti, qui hanc vident, numquam sitiunt, numquam esuriunt et numquam a Deo separabuntur.

Sed si est ita quod tu, homo, vis venire ad illud regnum, ubi potes illam benedictam faciem videre clare, tunc munda cor tuum a peccati macula. Unde Mat. [5,8]: *Beati mundo corde etc.* Est autem ista facies Jhesu Christi tam gaudiosa quod, si homo esset in inferno et videret hanc faciem, tunc pena infernalis non noceret ei, et ergo posset homo magis esse in inferno et videre hanc faciem quam esse in celo et non videre. Eciam ista facies est tam preclara quod nullum speculum potest esse tam clarum, quia in speculo non videt homo nisi ista, que solum sunt vicina sibi, sed in facie Christi non solum videntur illa, que sunt vicina et prope, sed eciam ista videntur que sunt longe distancia.

Ecce tu, homo, jaces in ecclesia et imploras sanctos Dei Petrum et Andream et ceteros sanctos qui in celo sunt. Tu das eleemosynam pauperibus in honore alicujus sancti vel sanctorum. Credis ergo quod sancti avertunt se a facie Dei gaudiosa et inspiciunt ista, que tu facis in mundo? Certe nullatenus hoc faciunt, sed ipsi vident in claritate vultus Dei bona opera, que tu facis in mundo in honore ipsorum. Et sic ipsi orant pro te ad Deum propter honorem, quem exhibes ipsis, et ergo, homo, si libenter servieris hic in mundo Deo et sanctis suis, tunc sine dubio mereberis videre faciem Dei eternaliter in regno celesti. Et hoc de primo.

2°modo laudant sancti Deum, quia cognoscunt eum sufficientissime. Unde Joh. xvii° [17,3]: *Hec est* sanctorum *vita eterna, ut cognoscant te solum Deum verum esse et quem misisti, Jhesum Christum* filium tuum. Sed in isto mundo cognoscitur Deus imperfecte, sed in celo perfecte **[122r:]** ab omnibus sanctis cognoscitur tam bene a minore quam a maximo. Nos videmus quod infans, quod hodie aut heri natus est, neminem cognoscit. Adeo insipiens est, quod nescit discernere inter bonum et malum, et illo baptizato moritur, venerit ad celum. Tunc videt clare faciem Dei, de qua visione efficitur ita sapiens quod plus cognoscit de divinitate quam omnes magistri et philosophi, qui sunt in mundo. Et ista anima non tantum cognoscit Deum ibi, sed et omnes sanctos Dei, qui sunt in celis.

Jam multi homines dubitant in hoc, quod pater et mater cognoscunt pueros suos in celo et econtra. Et istud respondent doctores dicentes: Quomodo in celo posset esse perfectum, sed si non esset ibi mutua

cognicio sanctorum? Sed vere homo cognoscit in celo amicos et alios, quos novit hic in mundo. Quod plus est, cognoscit eciam illos in celo, quos numquam novit in mundo nec vidit. Unde Gregorius 4° dialogorum dicit quod sancti non solum cognoscunt in celo quos in mundo noverunt, sed eciam cognoscunt illos quos numquam viderunt in mundo.

Et notandum est, quod non est mirum, quod sancti Dei cognoscunt se invicem in celi gloria, quia eciam dampnati et reprobi cognoscunt se mutuo in inferno et cognoscunt eos quos prius noverunt in mundo, ut patet de divite epulone de quo scribitur Luc.xvi° [16,19 et 27-28]: *Quidam erat dives, qui quotidie epulabatur splendide etc.* Et de Lazaro. *Et dixit dives: Rogo te, pater, ut mittas Lazarum in domum patris mei. Habeo enim 5 fratres, ut testetur illis, ne veniant in hunc locum tormentorum.* Nunc per hoc quod iste dives dixit, dum esset in tormentis, quod habuit quinque fratres, datur intelligi quod dampnati noscunt eos qui adhuc vivunt in mundo. Unde Gregorius: Si mali et dampnati alios non cognoscerent, tunc iste dives, qui in tormentis fuit, nequaquam meminisset fratrum suorum absenciam, et quomodo presentes non cognosceret, qui eciam curavit exorare pro absentibus. Et ergo multum gaudent sancti in celo ex illorum mutua cognicione, quando vident eos in celo letari, quos amaverunt in mundo. Et econtra mali et dampnati tristantur ex visione sanctorum, qui sunt in celo, quia ad hanc gloriam et gaudium non possunt pervenire.

**[122v:]** 3°modo dico quod sancti laudant Deum quia diligunt eum furentissime, et ergo nullum gaudium esset sanctis si non diligerent eum. Et notandum quod nullus homo umquam ita dilexit patrem et matrem suam in mundo vel amicus amicum vel sponsus sponsam, sicut sancti in celo diligunt Deum quia omne gaudium eorum, quod habent, ex ipso Deo habent. Ac tantum diligunt eum, quod nemo potest exprimere hanc dileccionem quam magna est. Certe nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis capere potest, quanta sit ista dileccio. Et sicut filius Dei propter istam dileccionem, qua dilexit nos, sustinuit hic passionem, penam et mortem pro salute et redempcione totius generis humani, similiter sancti postmodo propter eandem dileccionem contempserunt et reliquerunt omnes divicias mundi et sustinuerunt penam et mortem pro nomine Jhesu Christi. Et ideo impletum est hoc in eis primum mandatum [Mat. 22,37]: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto etc.*

Quid est diligere Deum ex toto corde, nisi ut cor tuum non sit inclinatum ad ullius rei dileccionem amplius quam ad Dei dileccionem. Econtra dampnati maximum dolorem habent et odium inter se, quia unus

alium odit in inferno, quia Deum oderunt per peccata eorum, de quibus penitenciam non egerunt dum vixerunt hic in mundo.

4°modo dixi quod sancti laudabunt Deum quia jam gaudent plenissime cum Deo et hoc propter vii. Primo gaudent sancti maxime quia habitacio eorum multum est luminosa et clara intus, quia lucerna celi est agnus sine macula. Porte illius civitatis non claudentur per noctem, quia nox non erit illic. Reges et domini offerunt gloriam suam et honorem in ista, nec aliquid coinquinatum intrabit in illam, sed illi tantummodo qui sunt scripti in libro vite. Per oppositum dampnati maxime tristantur quia habitacio eorum est tenebrosa et terribilis intus. Unde scribitur Mat. xxii [2,11-14] quod *rex quidam fecit nupcias filio suo, in quibus nupciis vidit hominem non vestitum veste nupciali, cui ait: Amice, quomodo huc intrasti non habens etc. Dixit rex ministris: Ligatis manibus etc. Multi sunt vocati* ad nupcias celestis regni, *pauci vero electi.*

2° gaudent sancti maxime quia habitacio eorum est pulchra nimis et speciosa intus. Hanc habitacionem petiit Ps. [25,8]: *Domine, dilexi decorem domus tue et locum habitacionis glorie tue.* Per oppositum dampnati tristantur quia domus eorum turpis est et immunda intus. 3° gaudent sancti quia domus illorum spaciosa est et ampla intus, ita quod unus non angustiat alium. Per oppositum dampnati tristantur quia domus illorum est angusta et stricta intus. Unde **[123r:]** Job xx [20,22]: *Arctabitur dampnatus in inferno et estuabit, et omnis dolor cadat in ipsum* ibi sc. in inferno.

4°modo gaudent sancti maxime quia domus illorum est bene disposita et ordinata. Per oppositum dampnati maxime tristantur quia in domo illorum non est ordo aliquis, sed omnis confusio. Ideo petit Job [10,20]: *Dimitte me, Domine, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam et non revertar etc.* 5°modo gaudent sancti maxime quia domus illorum est abundans et plena omni bonitate et spirituali dileccione. Unde dicit Judic. xviii° [18,10]: *Dominus tradet nobis terram, in qua nullius rei penuria est* vel aliquis defectus. Per oppositum dampnati tristantur quia in domo illorum est omnis boni defectus et omnis mali abundancia sine fine. Ergo dicitur in evangelio quod dives non petiit nisi unam guttam aque, non potuit obtinere. Credendum est quod nullam consolacionem posset habere aliquo modo.

6°modo gaudent sancti maxime quia domus illorum est jocunda. Unde Is. 3° [51,3]: *Gaudium et leticiam inveniunt in ea* sc. domo, et istud est quod promisit Dominus discipulis suis in evangelio [Joh. 16,22]: *Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo*

*tollet a vobis*. Per oppositum dampnati tristantur quia domus illorum est dolorosa et flebilis. Mat. xxii [22,13]: *Ibi erit fletus, stridor dentium,* et pena sine fine. 7$^{o}$modo gaudent sancti maxime quia domus illorum est pacifica et quieta intus. Unde Is. [58,11]: *Requiem dabit tibi Dominus Deus tuus semper*. Et Sap. 3$^{o}$[,1-3]: *Justorum anime in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum malicie. Videbantur oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace*. Per oppositum dampnati tristantur quia in domo illorum est perpetua inquietudo et nulla pax, et ergo dampnati sunt quasi mare fervens quod numquam quiescit. Talem ergo penam habent dampnati quod [Apoc. 9,6:] *querunt mortem et non invenient eam*. Unde Dionisius: In inferno est demens concupiscencia, perpetua fantasia, et perpetua carencia visionis dominice. Econtra in celo est perpetua visio Dei et vita sine fine. Unde Bernardus: Merces sanctorum est tam magna quod non potest mensurari, tam copiosa est quod non potest finiri, tam preciosa est sc. irradicabilis quod non potest estimari. Ad quam mercedem et vitam perducat nos pater eternus. Amen.

**In commemoracione animarum**

*Beati mortui, qui in Domino moriuntur*. Apoc. x4 [14,13]. Nota aliqui moriuntur in Domino sc. boni christiani sc. cum penitencia oris, contricione cordis et emendacione operis. Alii moriuntur pro Domino ut apostoli et martyres. Alii moriuntur extra Dominum ut dampnati. Igitur in die judicii, quando iste iratus judex venit ad judicium, tunc anima dampnata dicet ad corpus: Ubi est nunc superbia tua, ubi nunc est pulchritudo tua, ubi divicie tue, ubi amici tui quos multum diligebas, ubi mundana gloria? Respondet corpus: Hec omnia velut umbra preterierunt. Tunc anima maledicit corpori dicens: Maledicti sunt parentes tui qui te genuerunt, et maledicantur omnes dies quos simul viximus. Tunc econtrario corpus dicit anime: Maledicta sis, anima, que mihi consensisti et me sciebas facere mala et permisisti. Unde maledicantur omnia tempora que simul habitavimus.

Respondet anima tripliciter Ve, Ve, Ve. Primo Ve quia separabor a jocundissimo consorcio celestis exercitus. 2[o] Ve clamat anima quia hodie per terribiles demones ducor ad infernum. 3[o] Ve quia contingat me hodie maledicere Deo, qui creavit me et redemit me, et per hanc malediccionem acquiro mihi mortem sempiternam. 3[o]modo clamat anima dampnata triplex O, O, O. Primo O quia de cetero nullam spem habeo ad creatorem meum. O quia numquam visura sum aliquid gaudium. O quia in inferno cruciabor cum demonibus et numquam liberabor, quia [Eccli. 41,7?:] *in inferno nulla est redempcio,* quia anime dampnate laborabunt in penis eternaliter. Nam anime dampnate in inferno vii fames patiuntur. Unde dicitur cum David numerasset populum, quod erat nimis contra voluntatem Domini, Dominus dedit ei opcionem aut acciperet famem vii annorum.

Fames vii annorum sunt vii fames quas patiuntur anime dampnate in inferno. Prima fames est quod libenter vellent comedere viperas et serpentes et ranas, nec habere poterant. Sed circumibunt flentes et maledicentes et famem patientes ut canes, et tunc linguas suas pre dolore comedunt. 2[a] est quod haberent libenter requiem et gaudium, nec habere possunt. Unde dives iste, qui sepultus erat in inferno, per **[124r:]** multa milia annorum unam guttam aque habere non potuit de omnibus aquis mundi. 3[a] fames est quod vellent libenter penitere et non possunt, quia cum tempus penitendi habuerunt, penitere renuerunt et ideo penitencia carebunt. 4[a] fames [est quod] libenter vellent mori nec mori possunt. Unde Apoc. [9,6]: Optabunt mortem homines, et fugiet mors ab eis. [Apoc. 6,16:] Et montibus dicent: Cadite super nos. Et collibus:

Cooperite nos. 5[a] fames est quod libenter haberent gaudium celi et habere non possunt, quia a Dei consorcio et omnium electorum sunt exclusi.

6[a] fames [est] quod libenter vellent habere suffragia beate virginis et sanctorum nec habere possunt. 7[a] est quod libenter viderent faciem Dei nec videre possunt. Unde Is. [26,10]: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei, quia claritate visionis eterne carebit et flebit et lugebit et loca tenebrosa possidebit, ubi erit fletus et stridor dentium.

In omni judicio requiruntur 3[s] persone videlicet: *Judex* - *est Deus* [Ps. 49,6]. Ps. [118,137]: *Justus es, Domine, etc*. Chrisostemus: Tunc non divicie divitibus, nec parentes parentibus [potestates potentibus?], nec angeli intercedant pro hominibus, quia natura judicii misericordiam non recipit. – (2) Reus - est peccator. Ps. [138,7]: *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam.* Gregorius: O quam difficiles erunt vie reproborum, superius judex etc. – (3) - Accusator sunt signa et luna et omnis creatura peccatores accusant. Racio est quod propter hoc facta sunt, et si omnes tacerent, propria hominis consciencia ipsum accusaret. (4) - Testis. Habet enim peccator 3[s] testes unum supra se sc. Deum, qui est judex, alium intra se sc. propriam conscienciam. Augustinus: Propria consciencia propria habet hominem habet dampnare et salvare. 3[m] testem habet sc. angelum, qui datus est ei ad custodiam. [Job 20,27]: *Revelabunt celi* sc. angeli movebuntur ut peccatores accusant. Ecce non est gravior pena quam anima, quam Deus ipse creavit et suo sanguine redemit, separabitur ab eo. Tantum de illo.

## In dedicacione sermo 2[us]

*Rex Salomon dedicavit domum Domini.* 2[i] Par. vii[o] [7,5]. Sicut dicit Glosa super Mat. capitulo xxii[o]: Dum ingrederetur Dominus noster Jhesus Christus Jherusalem tunc primo advenit templum, per quod dedit nobis exemplum ut quocunque ibimus per diem, tunc primo adeamus domum oracionis sc. ecclesiam, si ibi est. Et sic transeamus ad opera agenda, et ideo dedicavit templum Domini ut populus transiret ibi frequenter et

commendaret se ibi Domino sedule cum precibus, et ideo dicit sacra scriptura: Rex Salomon dedicavit sibi domum Domini, ubi tria notantur. Primo dedicantis auctoritas, $2^{o}$ dedicacionis solempnitas, $3^{o}$ dedicate domus dignitas. Primo dico quod in verbis premissis primo notatur dedicantis auctoritas ibi: Rex Salomon. Per istum Salomonem intelligitur Christus, qui dedicat ecclesiam nostram et facit mirabilia magna solus in ea.

$2^{o}$ notatur ibi dedicacionis solempnitas. De hoc scriptum stat 3. Reg. $viii^{o}$ quod rex Salomon et omnis Israel dedicaverunt templum Domini et fecerunt celebrem solempnitatem. Et sicut rex Salomon tunc dedicavit templum Domini cum decimis et muneribus, sic nunc hodie Christus Jhesus dedicat istam ecclesiam cum sui corporis et sanguinis dignis sacramentis.

$3^{o}$ notatur in istis verbis dedicate ecclesie dignitas. Et notare debemus quod ecclesia specialiter dedicatur propter $4^{or}$. Primo ut in ea cultus Dei dignius exhibeatur, $2^{o}$ ut ab ea potestas demonum longius arceatur, $3^{o}$ ut in ea oracio fidelium efficacius exaudiatur, $4^{o}$ ut ad eam fugiens a persequentibus custodiatur. Primo dico quod ecclesia dedicatur ut in ea servicium Dei dignius teneatur, sed ubi jam potest dignius Deo serviri quam in illa domo, que suo nomine consecratur. Unde scribitur in Esdre vi [1.Esdr. 6,16-18] *quod filii Israel, sacerdotes et levite celebrabant dedicacionem domus Domini cum magno gaudio, et statuerunt sacerdotes ad laudandum Dominum.* Et non statuerunt eos ad fabulandum et rixandum sicut modo faciunt homines, et ideo solempnitas ecclesie celebratur omni anno exemplo Christi, qui per se cum reliquis populis ad dedicacionem ecclesie Jherusalem venit, sicut scriptum stat [Joh. 10,22-23] quod *facta sunt magna festa encenia in Jherusalem, et hiems erat, et ambulabat Jhesus in porticu Salomonis in templo.*

$2^{o}$ dico quod ecclesia consecratur ut demones expellantur ab ea. De hoc notare debemus quod ecclesia consecranda aspergitur **[125r:]** pluries aqua benedicta interius et exterius, et hoc fit propter $3^{s}$ raciones. Primo aspergitur aqua benedicta propter demonis expulsionem, quia aqua benedicta habet specialem virtutem expellendi diabolum, sicut scribitur in illis verbis, cum quibus aqua benedicitur et consecratur. Et nota quod ista aqua benedicta fit ex $4^{or}$ rebus sc. aqua, vino, sale et cinere, quia $4^{or}$ sunt que maxime expellunt inimicum humani generis sc. lacrimarum effusio que notatur per aquam, spiritualis exaltacio que signatur per vinum, matura discrecio que signatur per sal et profunda humilitas que signatur per cinerem.

2º aspergitur ecclesia aqua benedicta propter ipsius ecclesie expiacionem, quia omnia terrena sunt fedata propter peccatum, et ideo aspergitur aqua benedicta ut ipsa ecclesia expietur ab omni feditate et immundicia. 3º aspergitur aqua benedicta propter omnem malediccionem removendam, quia ab inicio erat terra maledicta cum suo fructu, sed aqua nulli malediccioni erat subjecta et ergo, ut omnis malediccio ammoveatur et omnis benediccio introducatur, ideo ecclesia totiens aspergitur per aquam benedictam.

3º dico quod ecclesia dedicatur ut oraciones fidelium in ea citius exaudiantur. Unde Augustinus: Oracio munda et pura magnam virtutem habet, quia per illam cuncta utilia nobis tribuuntur et queque noxia a nobis repelluntur. Et illud fuit significatum 3º Reg. viiiº [8,30], quod rex Salomon ait dedicato templo: *Quicunque oraverit in loco isto, Domine Deus, exaudies eum in celo, et cum exaudieris eos, tunc propicius eris*. Et ergo libenter oremus in ecclesia.

4º dico quod ecclesia consecratur ut fugiens ad eam custodiatur ab inimicis. De hoc papa Innocencius 3us dicit et scripsit regi Scotie dicens: Quicunque fugerit ad ecclesiam aut liber aut servus, si liber est non est abstrahendus ab ecclesia violenter, quantumcunque maleficia perpetra-verat, nec debet donari inde ad mortem vel ad penam aliquam, et rectores ecclesiarum debent obtinere sibi membra et vitam, sed tamen potest puniri pecunialiter secundum illud quod deliquerat. Sed publicus latro et nocturnus depopulator agrorum potest abstrahi ab ecclesia, ut corrigantur secundum modum culpe sue. Sed si servus fugerit ad ecclesiam, et si dominus ejus de impunitate sua prestiterit clericis juramentum, ad servicium domini sui compellatur redire. Alioquin poterit domino occupari ut non evadat sine sui voluntate.

Nota quod sacerdotes habent triplex officium **[125v:]** in sancta ecclesia. Primo quia semper debent laudare Dominum in domo sua, 2º quia debent informare populum sciencia et bonis moribus, 3º quia debent conservare fugientes ad domum Dei totis viribus suis. Que quidem domus dicitur magna, sancta, distincta, opulenta et leta. Primo dicitur esse magna propter ejus magnam dignitatem, quia est camera illius regis, qui est rex omnium regum et Dominus dominantium, quia ibi est Christus Jhesus semper sacramentaliter. Ibi exaudit vota, ibi dimittit peccata.

2º dico quod ecclesia dicitur esse sancta propter suam sinceram puritatem, et ideo nihil debet exerceri in ecclesia nisi purum, nisi Deo dignum. Ps. [92,5]: *Domum tuam, Domine, decet sanctitudo*. 3º dicitur ecclesia esse bene distincta sc. ordinata propter premiorum varietatem,

quia Deus donat unicuicunque secundum opera sua. Unde Gregorius: Nullus confidat de meritis suis in presenti seculo, sed magis confidat de misericordia Jhesu Christi, quia in ecclesia triumphante sc. in celo premia respondebunt meritis. De hoc dicit Dominus in evangelio Joh. xiiii [14,2]: *Multe mansiones sunt in domo patris mei.* Et dicit: *Vado parare vobis locum*. Glosa: Secundum decenciam vestrorum meritorum.

$4^{o}$ dico quod domus Dei dicitur esse opulenta propter omnium bonorum fertilitatem, quia dona spiritus sancti ibi liberaliter donantur. Ps. [111,3]: *Gloria et divicie in domo ejus* sc. ad illos, qui sunt pacifici et quieti filii Dei, *et justicia ejus manet in seculum seculi* sc. ad illos qui sunt rebelles, qui per sentenciam excommunicacionis repelluntur ab ecclesia. Et quam grave sit ejici ab ecclesia, illud ostendit Augustinus super Johannem ita dicens: Gravius est homini quod juste excommunicatur, quam si feriretur gladio, si a feris devoraretur et si flammis combureretur. Idem dicit quod omnis christianus nihil debet sic tantum formidare sicut separari a corpore Christi per excommunicacionem, quia omnis homo, qui excommunicatur a sacerdote, traditur Sathane.

$5^{o}$ dico quod domus Dei dicitur esse multum leta et jocunda propter divine laudis exultacionem, quia sicut angeli Dei non tacebunt laudare nomen Domini in celo, sic et devoti homines non cessant laudare nomen Domini in domo Dei super terram. Ps. [83,5]: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, etc.* Augustinus dicit: Omnia laudant Deum, celestia, terrestria, angeli et homines, exceptis involutis gravioribus peccatis mortalibus. Ita dicit quod si homo servasset in se illud bonum, quod Deus creavit in illo, hoc est ad imaginem suam sc. puram innocenciam, tunc semper laudaret Deum non solum lingua sed et vita et opere. Sed heu dolor rebellis et durus homo blasfemat et contradicit **[126r:]** Deo tam lingua quam vita et opere, et propter hoc dampnati semper blasfemant Dominum in inferno.

Notandum est quod nos adoramus Dominum nostrum Jhesum Christum in ecclesia ad Orientem versi et hoc propter $3^{s}$ raciones secundum Damascenum libro $4^{o}$ capitulo $5^{o}$. Primo adoramus eum in Oriente ut requiramus patriam nostram, quam Deus plantavit paradisum in Oriente, et inde expulsit hominem sc. Adam propter transgressionem mandati et fecit eum exulem et alienigenam. $2^{o}$ adoramus Deum in Oriente ut respiciamus ad filium Dei crucifixum, quia dum ipse fuit crucifixus, tunc respiciebat ad Occidentem. $3^{o}$ adoramus Deum in Oriente ut monstremus nos exspectare judicem nostrum, qui judicaturus est vivos et mortuos. Quia ipse filius Dei respexit ad Occidentem, quando ascendebat

in celum, et ita apostoli adoraverunt eum versi in Oriente, et ipse veniet in die judicii, sicut viderunt eum ascendentem in celum, et ideo nos exspectamus eum ad Orientem ut valeamus ad regnum ejus pervenire et percipere illud gaudium, quod sancti habent. Quod prestare etc.

In qualibet ecclesia 5[e] continentur. Ibi est angelus Domini, corpus Christi consecratum, crux Christi altiter elevata, congregacio justorum hominum, reliquie sanctorum.

Natura leonis est ut currum fugit, ignem, albam gallinam et cattulum percutientem se cum cauda et liniens gressus suos cum ea. Econverso natura diaboli est ut currum fugit sc. canticum divinum in ecclesia factum, ignem fugit sc. hominem impletum igne amoris sc. spiritu sancto. Albam gallinam fugit sc. sanctam crucem. Item cattulum fugit etc. sc. hominem ad Deum conversum et liniens gressus suos cum cauda sc. deplangens peccatum et penitens se cum operis emendacione, oris confessione et cordis contricione.

## In nativitate Domini sermo 2us

*Annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est hodie salvator mundi.* Luc. 2o[,10-11]. Exemplum Esther 2. Legitur in veteri testamento quod erat quidam rex nomine Assuerus, qui propter unius judei inobedienciam precepit dure, quod omnes judei tam viri quam mulieres, parvi quam majores, senes et juvenes, occiderentur. In cujus regno erat quedam puella nomine Esther valde pulchra et graciosa. Ista puella intravit ad istum potentem et iratum regem et humiliavit se multum coram eo. Tunc ipsa propter humilitatem invenit graciam in conspectu illius regis, ita quod rex dicit ei [Esther 5,3]: *Pete a me quod vis, et dabo tibi. Licet dimidium regni mei petieris, impetrabis.* Tunc ipsa rogavit humiliter ut relaxaret judicium, quod tulerat super populum israeliticum, quod et rex fecit propter istius puelle peticionem. Et sic populus fuit liberatus, et ex hoc habuerunt judei magnum gaudium et statuerunt in suis legibus, quod tenerent istum diem omni anno cum magna solempnitate.

Sed ista puella Esther non solum habuit istam graciam quod populus suus fuit liberatus, sed adhuc majorem graciam habet quia facta est regina ejus, et istud fuit judeis magnum gaudium, quia quotiens vellent impetrare aliquid a rege tunc visitabant hanc reginam, et ipsa oravit pro eis. Et sic impetrabant quidquid desiderabant.

Per istum regem Assuerum, qui interpretatur beatitudo, intelligitur Deus pater, in quo omnis beatitudo est, qui est rex regum et Dominus dominantium, qui propter peccatum primi parentis sc. Ade, quia noluit obedire suo mandato, tunc tulit sentenciam super omne genus humanum ut moreretur morte spirituali. Tunc accidit tandem quod quedam puella sc. virgo Maria, que erat multum pulchra et graciosa, intravit ad regem sc. Deum patrem et tantum humiliavit se coram eo quod invenit maximam graciam in conspectu ejus. Unde angelus Dei dixit ei [Luc. 1,30-31]: *Ne timeas, Maria, etc. Ecce concipies et paries filium et vocabis nomen ejus Jhesum sc. salvatorem omnium.* [Mat. 1,21:] *Ipse enim* **[127r:]** *salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Et istud fuit maximum gaudium toti generi humano, quia per ejus nativitatem redempta est humana natura a morte perpetua et diaboli servitute.

Sed ista virgo sc. Maria non solum impetravit liberacionem humani generis a Deo propter suam maximam humilitatem sed eciam meruit fieri regina celorum, sicut de ea cantat ecclesia dicens: Regina celorum vera digna es. Et istud fuit nobis maximum gaudium, quod habemus talem

mediatricem inter Deum et hominem. Ideo quando volumus aliquid impetrare a Deo rege celorum tunc statim visitemus istam reginam sc. Mariam, et ipsa oret pro nobis. Et sic optineamus quidquid postulaverimus.

Annuncio vobis gaudium magnum etc. In quibus verbis 3ª notantur de nativitate Jhesu Christi. Primo quod ejus nativitas est jocundissima, 2º quod est communissima, 3º quod est dignissima. Primo dicitur nativitas Christi jocundissima, ideo dicit: Annuncio vobis gaudium magnum. 2º communissima, ideo dicit: Omni populo. 3º dignissima, ideo dicit: Quia hodie natus est salvator mundi de ventre benedicte virginis pro salute omnium populorum. Notandum est quod iste puer sc. filius Dei habet specialiter x privilegia dignissima pre omnibus aliis pueris, in quibus privilegiis excedit omnes pueros.

Primum est illud quod iste puer excedit omnes pueros ex patris sui divinitate. Unde dicit Dominus ut scribitur Joh. x [10,29]: *Illud, quod dedit mihi pater, major est omnibus donis.* Nunc queritur quid sit illud, quod pater dedit illi, quod est major omnibus donis. Respondetur quod ipse puer est filius Dei per naturam in una essencia cum patre. Joh. 1º [10,30]: *Ego et pater unum sumus* per naturam divinitatis. Sed nos homines sumus filii Dei patris per eleccionem et graciam. Joh. 3º [1.Joh. 3,2]: *Karissimi,* scimus bene quod *filii Dei sumus* per graciam, sed Christus est filius Dei per naturam et ideo, quando judei audierunt quod Christus dixit se esse filium Dei, tunc dicebant ipsum blasfemare et ideo volebant eum lapidare dicentes [Joh. 10,33]: *Cum tu sis purus homo, facis teipsum Deum.* Sed judei non **[127v:]** intelligebant quod puer iste est simul perfectus Deus et perfectus homo.

2ᵐ privilegium fuit quod iste puer, qui natus est hodie, excedit omnes pueros ex matris sue virginitate, quia nulli homini datum est nasci de pura virgine nisi filio Dei. Queritur quare filius Dei magis voluit nasci de virgine quam de muliere. Respondetur quod per hoc patet quantum ipse diligit castitatem, sicut dicit Augustinus: Quid est circumscisio nisi castitas nostri corporis, in qua Deus delectaretur in extremo tempore. Sed Jhesus non solum nasci voluit de virgine ut demonstraret quod diligeret virginitatem et castitatem, sed eciam ut alliciat nos servare castitatem, propter quam regnum celorum obtineamus.

3ᵐ privilegium fuit istud quod puer iste excedit omnes pueros in sue nativitatis novitate, quia alii pueri ita nascuntur, quod matres eorum primo concipiunt semen, quod per xlª dies in matrice disponitur et formatur, et corpori pueri formato tunc anima infunditur. Et sic est homo animatus. Sed Jhesus Christus non sic fuit conceptus in utero sue matris, quoniam statim,

quando angelus nunciavit ei ut filium Dei conciperet et ipsa consentiente, tunc statim habuit in utero suo perfectum Deum et hominem, cum ipsa ait [Luc. 1,38]: *Ecce ancilla Domini etc.*

4^m^ privilegium fuit quod iste puer, qui natus est hodie, excedit omnes homines, quia ipse est innocens ab omni peccato tam originali quam actuali. Unde Leo papa dicit quod Christus filius Dei est alienus ab hac nativitate, quia nemo liber est a peccatorum sorde nec infans unius diei. Et ergo necesse fuit ut ille careret peccato, qui venerat in mundum carnalis ut tolleret et deleret peccata hominis. Hoc non fecit propter aliam causam nisi ut nos mundaret a peccato. Unde apostolus de eo dicit [Hebr. 7,26]: *Talis, inquit, decebat nobis pontifex sanctus, innocens, impollutus et segregatus a peccatoribus,* in quibus verbis ostendit Christum esse exclusum ab omni peccato et ostendit eum habere in se omnem mundiciam et sanctitatem.

5^m^ privilegium est quod iste puer excedit omnes pueros ex immensitate gracie, quia omnes sancti habent graciam mensuratam, sed iste puer habet graciam sine mensura. Unde Joh. [1,14]: *Vidimus eum plenum gracia et veritate,* et ideo de ejus plenitudine recipiant universi sc. graciam in presenti et gloriam in futuro.

6^m^ privilegium fuit quod puer **[128r:]** iste, qui natus est hodie, excedit omnes pueros et homines et non solum homines sed eciam angelos ex prospicitate sapiencie, quia iste scit omnia preterita, presentia et futura. Unde apostolus ad Coloss. 2^o^[,3] dicit, *quod in Christo sunt omnes thesauri sapiencie et sciencie reconditi.*

7^m^ privilegium fuit quod iste puer excedit omnes ex creatoris potestate. Unde Jheronimus super Mat. dicit quod ista stella, que fulgebat in nativitate Christi, numquam prius apparuit, sed Christus filius Dei eam tunc primo creavit, et sicut Christus potuit novam stellam creare ita fecit omnes creaturas, celum et terram et omnia, que in eis sunt.

8^m^ privilegium fuit quod iste puer excedit omnes homines, quia ipse specialiter potest dimittere peccata et peccatorem justificare. Et hoc nullus alius potest facere, et ideo Dominus respondit judeis, ut scribitur Mat. x^o^ [9,6]: *Sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata*. Sed judei sciebant quod hoc non conveniret puro homini sed soli Deo, et ideo dicebant [Marc. 2,7]: *Quis est, qui potest peccata dimittere nisi Deus,* quasi dicebant: Nullus.

9^m^ privilegium fuit quod iste puer excedit omnes homines in redemptoris dignitate, quia ipse solus venit ad hoc in mundum istum ut redimeret hominem quem plasmaverat. Act. 4^o^[,12]: *Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oportet nos salvos fieri,* nisi in nomine Domini

nostri Jhesu Christi. Unde dicit Ambrosius: O Domine, plus teneor injuriis tuis per quas me redemisti a diaboli servitute, quam teneor operibus tuis quod me creasti.

Decimum privilegium fuit quod puer iste, qui natus est hodie, quod excedit omnes ex auctoritate judiciali. Unde apostolus Act. x [10,42]: *Jhesus Christus ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum.* Unde Joh. 5[to][,22]: *Pater celestis omne dedit judicium filio,* et ideo debemus ipsum timere, quia ipse habet potestatem super corpus et animam perdere et salvare, et ergo invocemus hodie istum puerum et potenciam Jhesu Christi, ut possimus sanari ab eo spiritualiter et cum eo regnare eternaliter confidentes in verbis Pauli dicentis ad Rom. [10,13]: *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit* in eterna beatitudine. Ad quam nos perducat Deus eternus.

Contra luxuriam, contra superbiam, contra gulam. *Sicut fames facit lupum exire.* Job xli. Osee 4[o][,11]: *In gulosis*. Satiati. Contra accidiam, vult omnia habere sine labore et ita infatigabiliter etc. Contra invidiam de illo: *Omnis, qui invidet, similis est diabolo.* Sap. 2[0][,24]. Contra avariciam, sicut rubigo. Basilius. Contra iram [Mat. 5,22]: *Omnis, qui irascitur fratri suo reus erit judicio.* Glosa: Dampnacione.[50]

Letanter cito dant, cito pacificantur

**Nota Hodie convenit antiquus cum iuveni**
**126v-127r**

Hodie convenit antiquus cum juveni Certe antiquus, quia a tempore formacionis Ade usque ad nativitatem Christi fluxerunt anni 5[e] milia et ducenti minus duo. Ita antiquus fuit et adhuc antiquior quia, antequam esset Adam, Deus fuit ab eterno et sine principio. Iste enim puer antiquior fuit matre, que in xiiii[o] anno concepit et in quinto decimo peperit. Ecce ille, qui ita antiquus fuit, hodie factus est puer. O quale gaudium habuit beata virgo, quando ipsum genuit sine omni dolore. Tunc alloquitur eum cum dulcibus verbis secundum Ambrosium: Tu Deus meus, tu creator meus, tu salvator meus. Et ideo quia tu es Deus meus, te adoro tamquam verum

[50] cf. f. 140r

Deum. Ponens eum in presepio. Tamen bos et asinus cognoverunt eum tamquam creatorem.

**[Nota f. 127v:]** Nota pueri ab Herode in Bethlehem occisi fuerunt 4[or] vii[xx] mille.

## In circumscisione Domini nr. 8

*Postquamam impleti fuerunt dies octo.* [Luc. 2,21]. In hoc evangelio duo notantur. Primum est pueri Jhesu circumscisio, 2[m] est nominis ejus imposicio. Circa primum nota quare vellet circumscidi et quotiens pro nobis sanguinem fundere voluit. Primo racione sui sc. ut ostenderet se humanam carnem assumpsisse et ideo ut errorem confutaret, voluit circumscidi et sanguinem emittere. Corpus enim fantasticum sanguinem emittere non potest. 2[o] racione nostri quia sicut ipse carnaliter fuit circumscisus, ita et spiritualiter docuit nos circumscidi. Nam omnis Christi accio nostra est instruccio. Unde nota quod circumscisio ab Abraham habuit exordium, quando nominis appellacionem accepit, que remota est per sacramentum baptismi. Sicut enim circumscisus est Dominus in carne, ita et nos exemplo illius circumscidi debemus a peccatis et viciis. Unde Isa. [Jer. 4,14]: *Lava cor tuum a malicia.*

Immo spiritualiter omnia membra debent circumscidi. David [Ps. 33,14]: *Prohibe linguam, labia et os, ne aliquis pravum* vel turpe vel ociosum *loquatur*. Eph. [1.Pet. 2,1]: *Remove a te maliciam et omnem dolum et simulaciones et detracciones et invidias*. Super hoc membrum sedet diabolus, quando movetur ad perjurium, mendacium et fraudem et cetera illicita. Manus ne malum faciant, pedes ne ad malum currant, aures ne malum audiant, oculi ne videant vanitatem. Et sic singula membra in suis officiis. Tunc possumus dicere cum Job [31,1]: *Pepigi fedus cum membris meis,* ne aliquid agam contra beneplacitum creatoris mei.

3[o] voluit circumscidi racione judeorum ut inexcusabiles essent. Si autem enim incircumscisus esset, potuissent se judei excusasse et dixisse: Ideo te non recipimus, quia dissimilis es patribus nostris. 4[o] racione demonum ut incarnacionis misterium non cognoscerent. Sicut enim circumscisio fieret contra originale peccatum, credidit diabolus hunc similiter peccatorem esse, ut qui circumscisionis remedio indigeret. 5[a]

racione legis Moisi ad probandum quod esset sancta, et ut ipsam impleret legem quia venit non legem solvere, sed implere.

$2^{o}$ nota quod hodie primo sanguinem suum pro nobis fudit, et hec effusio fuit nostre redempcionis inicium. $2^{o}$ in oracione et hec ostendit nostre **[129r:]** redempcionis desiderium. $3^{o}$ in flagellacione et hec fuit nostre redempcionis meritum, quia livore ejus sanati sumus. $4^{o}$ in crucifixione et hec fuit nostre redempcionis precium. Tunc enim [Ps. 68,5] *que non rapuit, exsolvit*. Et quinto in lateris apercione et hec fuit nostre redempcionis sacramentum. Inde enim exiit sanguis et aqua, quod figuravit nos per aquam baptismi debere mundari, qui quidem baptismus habet efficaciam a sanguine Christi.

Secundum quod tangit evangelium, est imposicio nominis. Hoc enim nomen ei impositum, quod ab angelo fuit nunciatum, prius quam in utero beate virginis de spiritu sancto conciperetur, cum angelus dixit ad beatam Mariam Luc. [1,31]: *Vocabis nomen ejus Jhesus.* Istud nomen est dulce nomen, de quo dicit Bernardus: Jhesus est mel in ore, melos in aure, jubilus in corde. Angeli flectant genua in nomine Jhesu. Unde Richardus de Sancto Victore: Jhesus est dulce nomen, delectabile nomen, confortans peccatorem et beate spei.

Item dicit Bernardus quod hoc nomen est cibus, fons et medicina, cibus confortans et mentem hominis impinguescens, cum devote sumitur. Item est fons vite signatus, qui in $4^{or}$ renes [rivos] se diffudit in plateis sc. in sapienciam, justiciam, sanctificacionem et redempcionem. Sapiencia in predicacione, justicia in peccatorum absolucione, et sanctificacio in conversacione, redempcio in passione. [Sap. 1,1:] *Diligite justiciam etc.* Unde justicia sic describitur. **[128A:]** In hiis consistit vera justicia et perfecta: Deo super omnia obedire, superiori reverenciam exhibere, proximo bonam impendere conversacionem, subditis exhibere disciplinam, inimicis compatienciam, pauperibus et miseris misericordiam, sibiipsi exhibere sanctificacionem.

**[129r cont.:]** Philosophus: Sapiencia est nobilis hominis possessio, que avarum hominem dedignatur possidere, que distributa in partes suscipit incrementum[?]. Unde Tullius: Omnis tamen stultus servus est et miser. Per oppositum omnis sapiens dives. Item sanctificacio. [1.Thess 4,3:] *Hec est voluntas Dei sanctificacio vestra.* Item redempcio, Petri 1 [1.Pet. 1,18], ibi item quod *non corruptibilibus auro vel argento etc.* Item Jhesus *est lux* fidei nostre [que] Joh. [1,9] *illuminavit omnem hominem etc.* Hoc autem nomen Jhesus est ei impositum ab eterno ab angelo, a patre

putativo sc. Joseph. Jhesus interpretatur salvator, unde Isa. lxiii [62,2]: *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit.*

In hoc nomine Jhesus sunt quinque litere, que possunt esse inicium istorum nominum:

Jocunditas merentium - *Beati qui lugent* [Mat. 5,5]
Eternitas viventium - *Beati, qui habitant* [Ps.83,5]
Sanitas languentium - ut patet in Lazaro
Uberitas egentium - *Beati pauperes* [Luc. 6,20]
Satietas esurientium - *Beati qui esurient* [Mat. 5,6]

*Non est aliud nomen sub celo, in quo nos oportet salvos fieri nisi in isto.* Act. 4º[,12]. Illud nomen valde utile est, primo quia nos in adversis confortat, ut patet in beato Ignacio qui, dum pateretur diversa tormenta, numquam ab invocacione nominis Christi Jhesu **[129v:]** cessare nolebat, quem dum tortores inquirerent, cur totiens hoc nomen repetaret, ait: Corpore meo scriptum habeo, et ideo ab invocacione ejus cessare non possum. 2º hoc nomen Jhesus ad bonum elegit[?], postquam esset mortuus. Illi qui audierunt experiri[?] volentes cor ejus evellere, et scindentes per medium invenerunt hoc nomen Jhesus aureis literis inscriptum, et propter hoc miraculum plurimi crediderunt. 3º hoc nomen Jhesus ad bonum elicit. Cum quidam claudus peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum, contigit Petrum et Johannem apostolos ibidem ascendere ,qui cum ab eis ut aliquid reciperet petiit, respondit Petrus [Act. 3,6]: *Argentum et aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Jhesu nazareni surge et ambula.* Continuo surrexit et ambulavit.

4º hoc nomen Jhesus adjuvat nos contra insultus demonum, quod bene fuit figuratum in David, ubi dicebat ad Goliam [1.Reg. 17,45]: *Tu venis ad me cum gladio et hasta et clipeo, et ego ad te venio in nomine Domini.* Golias diabolum signat, cujus gladius est carnis delectacio. David autem quemlibet fidelem signat, qui per invocacionem nominis Jhesu Christi et in baculo crucis cum quinque vulneribus, dum habentur in recordacione, diabolum vincit. Hoc nomen dulce fuit Paulo, quando dulciter et multoties nominavit, quando in isto nomine multa signa fecit. Tandem cum capite privaretur, caput a corpore exiliens Jhesus, Jhesus, Jhesus clamavit, qui sibi in vita satis dulcis. Ex quo tale nomen Jhesus est ita dulce et consolativum omnibus illud invocantibus. Invocemus igitur etc.

Queritur quare Jhesus fuit circumscisus viiiº die potius quam aliis diebus. Ad hoc respondet Bernardus quod septem sunt de essencia

hominis, que si homo consideraret, in eternum non peccaret, sc. materia vilis, operacio turpis, exitus flebilis, status instabilis, mors tristibilis, dampnacio detestabilis et consideracio glorie ineffabilis. David recepit v lapides sc. in pera sua contra Goliam sc. 5$^{e}$ vulnera passionis Christi. Cum Golias oculos aperuit, sc. galeam recepit et David unum lapidem in suo percussorio [ponebat] et percutiebat eum in fronte suo. Et sic cum alio lapide et primitus excussum totaliter impressit, et sic genua Golias flexit sc. diabolus. Et David eum superavit. Illud habetur 2$^{o}$ Reg. 5$^{o}$ [1.Reg. 17]

**In die trium regum nr 4**

*Invenerunt puerum cum Maria matre ejus et procidentes adoraverunt eum*. Mat. 2$^{o}$[,11]. Gloriosus doctor Augustinus loquitur ad beatam virginem Mariam dicens: O Maria, tu es lux mundi et gloria totius celi. Qualem filium nobis peperisti, cujus dignitas et magnificencia est inestimabilis. Iste filius numquam habuit principium, quia fecerat principia omnium rerum. Ipse est eterna vita, que numquam moritur. Tamen eum in stabulo et presepio ponis, licet ipse est omnium rerum creator, ipse est ille, qui creavit celum et terram et ornavit celum rutilantibus astris et planetis. Ideo dicit Augustinus: Quidquid ergo dixero de sublimitate istius pueri sc. Jhesu Christi filii Dei et omnes angeli mecum, quasi nihil reputatur ad magnitudinem ejus glorie et dignitatem, quia dum ipsum peperat, statim eum adoravit.

Post hoc ipsa in eadem domo prebuit illis tribus regibus ut ipsum adorarent, qui ex magno desiderio venerunt ab Oriente ad ipsum et habuerunt stellam, que ducebat eos. Qui primo venerunt Jherusalem in civitate regia ad regem Herodem, ut scriptum est, interrogabant [Mat. 2,2]: *Ubi est qui natus est, rex judeorum etc.* Dum autem exirent istam civitatem, stella duxit eos ad Bethlehem et mansit supra domum, in qua erat puer sc. filius Dei natus. Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre, que fuerunt verba thematis.

Notare possumus quod 4$^{or}$ notabilia declarantur de istis tribus regibus. Primo quod fuerunt illuminati ad Christum cognoscendum, 2$^{o}$ quod fuerunt solliciti ad Christum inquirendum, 3$^{o}$ quod fuerunt humiles et devoti ad Christum honorandum, 4$^{o}$ quod fuerunt prompti Christo obediendo. Per ista 4$^{or}$ nos instruimur quod quicunque nostrum desiderat ad Jhesum Christum sc. ad eternam beatitudinem pervenire, debet habere perfecte predicta 4$^{or}$ in se. Primo quod debet esse illuminatus a Christo ut ipsum

cognoscat, et dum ipsum cognoscit, inquirat eum hic in vita ista. Unde scriptum est [Is. 55,6]: *Querite Dominum, dum inveniri potest. Invocate eum, dum prope est,* et si isti sancti reges non fuissent illuminati per istam stellam sc. per filium Dei, nullatenus cognovissent Jhesum natum fuisse.

Notare debemus quod homo peccator debet cognoscere specialiter tria in hoc mundo. Primo sui status miseriam ut eo citius excitetur ad fugiendum peccatum, in quo corpus delectatur, et ad faciendum bonum de quo anima illuminatur ad cognoscendum **[130v:]** creatorem suum. 2$^{o}$ debet peccator cognoscere hic in mundo illam viam, per quam potest venire ad Christum. Unde Ps. [24,2] *Vias tuas, Domine, denuncia mihi et semitas tuas doce me.* [Mat. 7,14:] *Arcta est via, que ducit etc.* 3$^{o}$ debet peccator cognoscere Christum ut ipsum ex toto corde diligat et requirat. Ps. [84,8]: *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam etc.* Tantum de primo principali.

2$^{o}$ dico quod isti tres reges fuerunt solliciti ad Christum inquirendum, quia Jhesus Christus illuminavit eos ut ipsum cognoscerent. Unde Leo papa dicit quod Deus, qui prestitit istis regibus signum manifestum, dedit eciam illis interpretem. Notandum quod isti tres reges querebant Christum tripliciter sc. cordis fervore, 2$^{o}$ operis labore, 3$^{o}$ oris sermone, et ideo ipsum invenerunt. Ita homo qui voluerit Christum invenire, debet ipsum tripliciter querere. Primo ex cordiali desiderio, si ejus graciam desiderat invenire. Isa. xxvi [26,9]: *Anima mea desideravit te in nocte.* Ac si diceret: Anima mea desideravit te in nocte, dum erravit in tenebris peccati, ut illuminaretur a te ex lumine tue veritatis.

2$^{o}$ debet homo Christum querere per sua bona opera et per devotas oraciones donec ad Christum perveniat, sicut fecerunt isti tres reges, qui per multa terrarum spacia Christum querebant laboriose donec ad ipsum in Bethlehem venerunt. 3$^{o}$ debet homo Christum querere diligenter per verba oris sui interrogando a predicatoribus et confessoribus, quomodo graciam Jhesu Christi potest invenire. Unde dicebat Herodes ad istos tres reges [Mat. 2,8]: *Ite et interrogate diligenter de puero hoc, et cum inveneritis etc.* Bonum consilium dedit aliis licet dolose ad seipsum, quia cogitavit puerum interficere. Tantum de 2$^{o}$ principali.

3$^{o}$ dico quod isti tres reges fuerunt multum devoti ad Christum honorandum. Unde scribitur in evangelio [Mat. 2,11]: *Et procidentes adoraverunt eum.* Ita homo debet esse humilis et devotus ad serviendum Christo, quia tunc inveniet graciam et misericordiam Dei. Unde scribitur 1.Petri 1$^{o}$ [5,6]: *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitacionis,* sc. quando judicaturus est unumquemque secundum

opera sua. Nota isti reges fecerunt tria invento puero Christo sc. primo gaudebant, adorabant et munera offerebant. Similiter homo qui vult Christum invenire, multum potest gaudere. Unde propheta Habacuck [3,18]: *Ego gaudebo in Domino et exultabo in Domino* Jhesu *meo.*

2$^{o}$ dico quod homo, qui invenerat Christum, debet ipsum adorare humiliter, quia contulerat ei vitam et animam et redimerat eum a potestate diabolica, cui alligatus fuit propter peccata parentum. Unde Ps. [94,6-7]: *Venite, adoremus* **[131r:]** *et procidamus ante Deum, quia ipse est Dominus Deus noster*. 3$^{o}$ dico quod homo qui invenit Christum, debet ei offerre munera, per que munera 3$^{a}$ notantur que debemus offerre puero Jhesu. Primo offeramus ei veram dileccionem, 2$^{o}$ devotam oracionem, 3$^{o}$ carnis castigacionem, et ista tria munera notantur per ista munera tria, que reges ferebant isti puero Jhesu Christo nato sc. aurum, thus et mirra. Per aurum notatur vera dileccio quam habemus ad Deum, per thus devota oracio quam offerimus Deo pro beneficiis suis. Ps. [140,2]: *Dirigatur oracio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Per mirram notatur corporis nostri castigacio. Paulus [1.Cor.9,27]: *Castigo corpus meum* ut me a peccatis abstineam. Nota quod sicut corpus mortuum per mirram servatur ne putrescat, ita anima humana custoditur per carnis castigacionem, ne propter sordes peccatorum putrescat, et ergo offeramus Deo nostro ista 3$^{a}$ munera. Tantum de 3$^{o}$ principali.

4$^{o}$ dico quod isti reges fuerunt multum prompti ad obediendum Deo. Unde in evangelio hodierno scribitur: Postquam abiissent ab Herode rege, tunc angelus Dei apparuit eis dicens, quod non redirent ad Herodem. Tunc statim obediebant ei et elegerunt aliam viam, per quam ad patriam propriam remearent. Spiritualiter intelligendo quicunque desiderat cum Christo manere, debet ei perfecte obedire et non debet redire ad Herodem regem sc. ad diabolum, qui est rex illorum qui nolunt tenere obedienciam. Sed transeant per aliam viam sc. per viam mandatorum Dei, ut perveniant ad propriam patriam sc. ad eterni regni felicitatem et gloriam. Nota per istam viam intelligitur eciam penitencie amaritudo, quia qui recesserit a patria sua sc. regno Dei propter inobedienciam et accesserit ad diaboli servitutem propter peccata sua, tunc debet redire ad patriam suam per penitenciam et contricionem. Gregorius: Nos qui decessimus a patria celesti propter delectacionem corporalem, tunc redeamus per penitenciam illuc sepe recolentes amaritudinem passionis Jhesu Christi in corde nostro, quam passus fuit propter caritatem, quam habuit ad genus humanum liberandum a diaboli potestate. Zacharie [2,6]: *Fugite de terra Babilonis [aquilonis]*, ut valetis pervenire ad eternum regnum, ubi gaudium non

habet finem. Ad quod perducat nos Deus, qui vivit et regnat in spiritu sancto. Amen.

**[130Ar:]** Optulerunt ergo magi hujusmodi munera secundum Remigium, quia secundum tradicionem antiquorum nullus ad dominum vel regem vacuus introiit. Per se autem caldei Deo talia munera consueverunt offerre, a quorum finibus isti venerunt. Vel secundum Bernardum Marie aurum optulerunt propter [inopie] sublevacionem, thus contra stabuli fetorem, mirram propter membrorum pueri consolidacionem et malorum vermium expulsionem. Signantur ergo in Christo per hec tria regia potestas, divina majestas et humana mortalitas. Vel quia aurum signat dileccionem, thus oracionem, mirra carnis mortificacionem, que eciam Christo debemus offerre. Vel quia hec signunt tria, que erant in Christo sc. divinitas preciosissima, anima devotissima et caro integra et incorrupta. Unde ammoniti in sompniis per angelum magi per aliam viam reversi sunt in regionem suam. Secundum Gregorium regio nostra paradisus est, unde exivimus per superbiam et inobedienciam, ad quam si voluerimus redire, oportet nos ire per aliam viam sc. per humilitatem et obedienciam. Ad quam perducere nos dignetur, qui cum patre et filio etc.

**[130Av:]** Ista stella differebat ab aliis stellis. Primo in tempore quia alie stelle create fuerunt in $4^{o}$ die creacionis mundi, hec autem stella in nocte nativitatis Christi. $2^{o}$ differebat in forma quia habuit in se formam pueri bajulantis crucem in humeris. $3^{o}$ in splendore quia sola splendente omnia sidera obscurantur. Unde hoc lumen lucidissime rutilabat, alias non potuisset magos duxisse in die. $4^{o}$ differebat ab aliis stellis in situ, cum omnes alie stelle sunt fixe in firmamento. Hec autem erat in aere prope terram. Alias non potuisset regibus demonstrare viam, quia antecedebat eos. $5^{o}$ in officio. Alie stelle manifestant noctem, hec autem diem, verum solem justicie et redemptorem generis humani. Rogemus ergo Dominum ut sicut istos tres reges duxit ad domum, in qua natus fuit, ut nos per suam misericordiam post hanc vitam perducat ad regnum.

## In die Nicolai confessoris[51]

*Beatus servus, quem cum venerit dominus etc.* [Mat. 24,46]. Vere beatus Nicolaus fuit beatus, qui bene vigilavit. Vigilavit enim in carnis maceracione, in proximorum compassione, in pontificali elevacione et miraculorum operacione. Primo vigilavit in carnis maceracione, quia corpus castigavit jejunio, non solum in adulta etate sed eciam in puericia. Unde legitur de eo quod 4[a] et 5[a] feria semel sugebat uberam, et sic tota die contentus manebat. Quid dicant antiqui peccatores in die judicii, qui sexta feria non possunt jejunare? 2[a] vigilavit in proximorum compassione. Fuit enim misericors, sicut legitur de eo quod mortuis parentibus patrimonium suum distribuit pauperibus. Unde legitur quod quidam convicanus suus satis nobilis ad tantam devenit inopiam, ut tres filias suas virgines insignes ad lupanar mittere voluit, ut per eas saltem victum acquireret. Audiens hoc sanctus Nicolaus huic condoluit et pondus auri sumpsit et media nocte omnibus dormientibus in domum illius viri projecit clamculoque decessit. Mane autem facto cum vir iste surrexisset, aurum invenit, cum nimia cordis devocione Deo gracias egit et unam filiam suam marito tradidit. Non multo post famulus Dei simile opus egit et majus pondus auri in domum viri projecit et abiit. Et sic 3[o]modo fecit, et ecce homo prosilivit et fugientem apprehendit et ad pedes ejus se cum lacrimis misit et ipsos osculari voluit, quod sanctus Nicolaus noluit, sed prohibuit ei ne alicui publicaret.

3[o] vigilavit sanctus Nicolaus in eleccione episcopali. Unde legitur quod mortuo episcopo Myrensi convenerunt episcopi illius ecclesie de alio episcopo provisuri. Illis jejunantibus et orantibus audita est vox de celo, ut quem primo hora matutina ante foras ecclesie conspicerent, ipsum in episcopum consecrarent. Adjungens autem quod Nicolaus vocaretur. Cumque januas ecclesie Nicolaus appropinquaret, sicut divinitus fuit ordinatum, apprehendentes eum episcopi dixerunt ei: Quid est tibi nomen? Iste inclinato capite ait: Nicolaus vocor, vestre sanctitatis servus. Quem in **[132r:]** ecclesiam ducentes licet invitum in episcopum consecraverunt. Mox ejus dulcis fama in orbem spergitur, propter quam populus undique ad videndum eum catervatim attrahitur. 4[o] vigilavit sanctus Nicolaus in miraculorum operacione, quam ostendit in navigantibus, in hominibus famem patientibus et in judeo et de filio unius consulis circa Ripam a piratis violenter rapto. Omnia ista miracula et plura satis clare patent in brevilogo meo ultimo.

---

[51] Partly the same sermon f. 91v. Both from Peregrinus Polonus

## De purificacione beate virginis[52]

*Cum inducerent puerum Jhesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, accepit eum Simeon in ulnas suas.* Luc. 2°[,27]. In verbis premissis duo describuntur. Primum est Marie et Joseph disciplina spiritualis, 2m est Simeonis devocio singularis. Primum tangitur ibi: Cum inducerent puerum Jhesum. 2m ibi: Accepit eum Simeon in ulnas etc. Nota quod parens Christi beata virgo commendatur a 4or in hoc evangelio sc. humilitate, religiositate, paupertate et caritate. Humilitatem ostendit in legem purificacionis implendo, religiositatem partum in templo deferendo, paupertatem hostiam pauperum offerendo, caritatem dilectum filium Simeoni presentando. Primo dicit quod ostendit humilitatem legem purificacionis implendo, de quo dicitur hic [Luc. 2,22]: *Postquam impleti sunt dies purificacionis Marie, secundum legem Moisi tulerunt illum in Jherusalem*. O admiranda humilitas beate virginis. Purgari non indiguit, quia nullam peccati maculam in se habuit et legem purificacionis, que data fuit mulieribus de coitu concipientibus, ipsa que de spiritu sancto concepit et post partum virgo inviolata permansit [implere voluit].

## In concepcione sancte Marie[53]

*Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt.* Luc.xv° [15,31]. In hiis verbis beata virgo Maria vocat Christum filium suum, quia ipsa est vera mater Domini nostri Jhesu Christi, quia ipsa concessit sibi convenientem locum sc. uterum virginalem. Unde Gregorius: Alii autem pueri formantur ex sanguine et semine hominum sc. patris et matris. Solus autem Christus formatus est ex sanguine unius hominis sc. virginis Marie. Fuit ergo studiosa mater sancta virgo circa Christum, sicut dicit Bernardus: Omnia opera misericordie erga personam filii Dei exhibuit, ipsum enim indumentum carnis induit, ipsum in hospicio uteri sui ix mensibus hospitata fuit, ipsum lacte virgineo nutrivit et potavit, ipsum per infantilem

[52] This is the first part of the sermon f. 133v, but written in another hand until the end of f. 132r

[53] Possibly from Jacobus de Voragine: Sermones quadraesimales, saturday before 3. Quadr.

etatem in sinu fovit, ipsum in carcere crucis positum visitavit et ejus sepulture interfuit. Et hoc de primo.

2$^{o}$ ponitur inseparabilis Christi habitacio cum matre, cum dicitur: Tu semper mecum es. Christus enim semper fuit cum matre in triplici. Primo dum ipse esset in utero matris sue, 2$^{o}$ dum viveret in mundo, 3$^{o}$ dum recessit de mundo. Nam cum esset in utero, eam sanctificavit. Dum viveret in mundo cum ea, ipsam ab omni peccato conservavit. Dum decessit de mundo, ipsam totam gloriosam fecit.

Primo igitur eam sanctificavit in utero. Tres enim sunt concepciones et nativitates. Una qua quis sine peccato concipitur et sine peccato nascitur, et hoc modo non fuit conceptus et natus nisi solus Christus, qui fuit sine omni peccato conceptus et sine omni peccato natus. Alia concepcio est qua quis cum peccato concipitur et in peccato nascitur, et illa est concepcio et nativitas communis, quia cum peccato concipimur et cum peccato nascimur. 3$^{a}$ concepcio est media qua quis cum peccato concipitur et sine peccato moritur, et ista fuit concepcio beate Marie virginis. Ipsa enim fuit concepta in peccato originali, sed dum concepta et nata a spiritu sancto preservata, mundata et sanctificata ab omni peccato tamen mortua est.

2$^{o}$ dico quod Christus fuit cum beata virgine, dum viveret in mundo, quia ipsam ab omni peccato conservavit. Fuit enim beata Maria semper sine omni peccato mortali, originali et actuali et veniali. Pauci sunt qui cavent sibi ab omni peccato **[133r:]** mortali, pauciores sunt qui cavent se a peccato veniali, paucissimi qui nascuntur sine peccato originali, qui non fuerunt nisi tres in novo testamento sc. Christus, beata virgo et Johannes Baptista.

3$^{o}$modo Christus fuit cum Maria, dum exiit de mundo, quia ipsam totam gloriosam fecit et luminosam, sicut ait apostolus [Apoc. 12,1]: *Mulier amicta sole et luna sub pedibus ejus, in capite ejus corona stellarum xii.* Ipsa enim luminosa est a parte superiori, quia coronam xii stellarum habet in capite sc. ix ordines angelorum et 3$^{s}$ ordines sanctorum hominum sc. martyrum, virginum et confessorum. Ipsi eam omnes coronant. Item est luminosa a parte inferiori, ideo dicitur: Et luna sub pedibus ejus. Per lunam signatur ecclesia, quam sub pedibus habet, quia eam sub proteccione tenet. Est enim beata virgo luminosa a parte exteriori, quia est amicta sole sc. glorificato corpore. Est luminosa a parte interiori, quia in utero habet divinum splendorem sc. Dei filium, qui [Joh. 1,9] *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* et ideo tota luminosa mansit. Et sicut ipsa mirabiliter fuit concepta, hodie ita mirabilius

filius Dei de ea conciperetur. Require concepcionem ejus ex ejus legenda de beata Anna et Joachim parentibus.[54]

Nota. Aman fuit miles potentior in curia regis Assueri, qui jussit Mardocheum suspendi et omnes filios Israel in regno regis Assueri. Esther vero regina regis ejusdem invitavit regem ad prandium tribus diebus. 3[a] vero die apparuit regi [et fecit] peticionem suam sc. ut rex non permitteret Mardocheum suspendi et omnes filios Israel, sicut preceperat Aman. Assuerus peticionem ejus audiens jussit Aman suspendi in patibulo pro Mardocheo. Mistice per Assuerum signatur Deus pater, rex regum, in cujus curia fuit Aman sc. diabolus sc. in paradiso per suppressionem[?]. Tunc Aman sc. diabolus jussit ut Mardocheus et omnes filii Israel sc. totum genus humanum eternaliter suspenderentur. Sed Esther regina sc. virgo Maria hodie invitavit regem sc. filium Dei ad prandium per suam concepcionem, quia nata est hodie in mundo, interpellat pro nobis ut non suspenderemur in patibulo sc. infernali. Sed Aman sc. diabolus suspensus est sc. victus per ejus concepcionem.

## De purificacione Marie[55]

*Cum inducerent puerum Jhesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis, primo accepit eum Simeon in ulnas suas.* Luc. 2[o][,27]. In verbis premissis duo describuntur. Primum est Marie et Joseph disciplina spiritualis. 2[m] est Simeonis devocio singularis. Primum tangitur ibi: Cum inducerent puerum Jhesum. 2[m] ibi: Accepit eum Simeon in ulnas. Nota quod parens Christi, beata virgo, commendatur in hoc evangelio a 4[or] sc. humilitate, religiositate, paupertate et caritate. Humilitatem ostendit legem purificacionis implendo, religiositatem partum in templum deferendo, paupertatem hostiam pauperum offerendo, caritatem dilectum filium Simeoni presentando.

Primo dicit, quod ostendit humilitatem legem purificacionis implendo, de quo dicitur [Luc. 2,22]: *Postquam impleti sunt dies purificacionis Marie secundum legem Moisi tulerunt illum in Jherusalem.*

---

[54] cf. f. 114v

[55] written in the same hand as f. 132r. The first part of this sermon also f. 132r

O admiranda humilitas beate virginis. Purgari non indiguit, quia nullam peccati maculam in se habuit, et legem purificacionis, que data fuit mulieribus de coitu concipientibus, ipsa que de spiritu sancto conceperat et post partum virgo immaculata permansit, implere voluit, et quare hoc? Certe non propter se, sed ut aliis daret exemplum se humiliandi. Et habuit perfectam humilitatem sc. in corde, ore et opere.

Primo habuit humilitatem in corde. Luc. $1^{o}$[28-29]: Postquam audivit ab angelo: *Ave Maria, gracia plena, Dominus tecum,* turbata est in sermone ejus et **[134r:]** cogitabat: *Qualis esset ista salutacio*. Considera ejus humilitatem. Ab angelo laudabatur, nec propter hoc mente elevabatur sed turbabatur reputans se indignam tali salutacione. Bernardus: O scires, quantum tua humilitas altissimo placeat, quanta tibi sublimitas apud ipsum manet, angelico te indignam nec colloquio indicares nec obsequio. $2^{o}$ habuit humilitatem in ore. Unde dixit [Luc. 1,38]: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Bernardus: Que est hec sublimis humilitas, que cedere non novit honoribus, insolescere gloriam nescit. Mater Dei eligitur et ancillam se nominat. Considera quanta humilitas. Angelus dixit ei [Luc. 1,31-32]: *Concipies et paries filium et vocabis nomen ejus Jhesum. Hic erit magnus et filius altissimi vocabitur.* Ecce dictum est ei quod concipere debuit filium Dei, et respondit: *Ecce ancilla Domini*. Non dixit mundi domina, regina celi vel simile, sed dixit: Ecce ancilla Domini etc. Hujus exemplum attendant qui, mox ab aliquo adulatore bene laudantur, in superbiam elevantur verbis adulatoriis. $3^{o}$ habuit humilitatem in omni opere. Luc. i [1,48]: *Respexit humilitatem ancille.* Totam vitam suam fundaverat super humilitatem. Propter hoc hodie legem purificacionis implevit, propter quod omnibus diebus vite sue numquam legitur fecisse miraculum aliquod et hoc propter maximam humilitatem suam.

$2^{o}$ commendatur **[134v:]** a religiositate, quando ostendit puerum in templum offerendo. Non tulit in tabernam ubi sunt superflue comesaciones, potaciones, detracciones. Nec tulit in theatrum ubi sunt inutiles chorisaciones, cantanciones, elaciones, vanitates, sed tulit eum in templum, ubi funduntur Deo oraciones, offeruntur Deo oblaciones et variis modis exhibentur Deo devote veneraciones. Ostendit ergo beata virgo religiositatem puerum in templum offerendo. Unde dicit [Luc. 2,22]: *Hic tulerunt illum in Jherusalem, ut sisterent eum Domino.*

Nota quod puer hodie portatus est in templum propter $4^{or}$. Primo ut prophecia verificaretur, $2^{o}$ ut lex impleretur, $3^{o}$ ut promissio facta Simeoni compleretur, $4^{o}$ ut christianus homo ad frequentandum templum

excitaretur. Primo dico quod portatus est in templum ut prophecia verificaretur Malachie 3$^{o}$[,1]: *Veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos queritis, et angelus testamenti, quem vos vultis.* Ecce quod ante multos annos fuerat predictum, hodie est completum, ex quo apparet quod prophete spiritu sancto impleti locuti sunt. 2$^{o}$ portatus est in templum ut lex impleretur. Ideo dicitur Luc. vii [2,27] quod *induxerunt puerum Jhesum, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo.* Scriptum erat Levit. xii, quod mulier, que pareret masculum, deberet quadragesimo die portari ad templum et aliquod **[135r:]** offerre pro eo. Hodie impletum est in Christo, qui hodie cum oblacionibus portatus est in templum.

3$^{o}$ fuit portatus in templum, ut promissio facta Simeoni compleretur. Luc. vii [2,26-29]: *Responsum acceperat Simeon a spiritu sancto non visurum se mortem, nisi videret Christum Dominum, et cum inducerent puerum Jhesum, accepit eum in ulnas suas et dixit: Nunc dimittis servum tuum, Domine.* 4$^{o}$ portatus est in templum, ut christianus ad frequentandum templum excitaretur. Ideo portatus est in templum ut ipsum imitando frequentemus templum. Christus namque legitur in templo sepe fuisse sc. in infancia ut hodie, in puericia cum esset annorum xii, in etate virili quando ementes et vendentes de templo ejecit. Inde mulierem adulteram absolvit, et sepissime in templo docuit. Ideo exemplo ipsius debemus frequentare templum. Ps. [5,8]: *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum.* Ibi enim peccata dimittuntur.

3$^{o}$ commendatur a paupertate quam ostendit hostiam pauperum offerendo. Unde dicitur Luc. 2$^{o}$[,24] quod obtulerunt pro eo duo par turturum aut duos pullos columbarum, et hec fuit oblacio pauperum. **[135v:]** Et hoc hodie fecit beata virgo, que adeo paupercula fuit quod agnum habere non potuit. Certus sum quod tantum dilexit filium suum, quod libenter aureum agnum ad Dei honorem pro eo obtulisset, si habuisset, sed propter magnam paupertatem unum agnum habere non potuit, quem offerret. Si vis scire quanta paupercula fuit beata virgo, considera locum in quo filium peperit, et sacrificium quod pro illo optulit, et quali modo filium nutrivit.

Primo considera locum in quo filium peperit. Luc. ii$^{o}$ [2,7]: *Peperit filium suum primogenitum et pannis involvit et reclinavit in presepio, quia non erat ei locus in diversorio.* Perpende ejus paupertatem. In stabulo peperit, pannis ipsamet filium involvit, quia ancillam non habuit. De lectis et plumis et de molli stramento nulla fit hic mencio. Unde Bernardus: Si vis videre sicut est, vide qualiter pro te factus est quia sc. rex. Si rex, ubi aula regia, ubi throni sublimitas, ubi curie regalis frequencia. Ecce aula

regia stabulum, throni sublimitas [presepe], curie regalis frequencia Marie et Joseph. Notatur nulla ibi obstetrix, nulla ibi muliercularum sedulitas interesset. **[136r:]** Ipsa pannis involvit, ipsa mater, ipsa obstetrix fuit. 3° considera sacrificium quod pro filio optulit. Non enim optulit agnum, quia non habuit, sed par turturum aut duos pullos columbarum. Hic considera paupertatem ejus. Mulieres quando post partum intrant ecclesiam, induunt se novis vestibus et incedunt cum magno apparatu et comitatu mulierum, sed quid de illis.

Quarto commendatur de caritate quam ostendit dilectum puerum Simeoni presentando. Nonne fuit magnum signum caritatis, quod tam dilectum filium et tam delicatum puerum Simeoni presentare volebat. Cant. vii° [7,6]: *Quam pulchra es et decora, filia carissima, in deliciis.* Carissima dicitur, quia caritatem excellentissime habuit. Caritas enim beate virginis non solum caritatem hominum, sed eciam angelorum excellebat. Unde Bernardus: Est in angelis caritas, est puritas, est humilitas, que omnia eminent in Maria. Nota quod beata virgo ostendit caritatem suam maxime in tribus, videlicet filium suum cum dolore querendo, filio suo patienti mortem compatiendo, et crucifixores filii diligendo. Primo ostendit filii caritatem filium cum dolore querendo. Luc. 2°[,48]: *Fili, quid fecisti nobis? Sic ego et pater tuus dolentes querebamus te.* Nec mirum quod cum dolore quesivit eum, cui tam formida caritate copulata fuit, **[136v:]** quod nec ad horam ab eo sine dolore abesse potuit.

2° ostendit caritatem filio patienti compatiendo. Unde poterat dicere Rom. viii° [8,35]: *Quis nos poterit separare a caritate Christi*, quasi dicens: Nihil. Omnibus apostolis fugientibus ipsa ex caritate mansit juxta crucem cupiens mori cum ejus filio. 3° ostendit caritatem crucifixores filii diligendo, quod patet quod nihil mali eis imprecata fuit, vindictam non expetiit, nec eis maledixit sed ex nimia dileccione filii sui penas et judeorum culpas deplorando, immo eos qui filium suum occiderunt, dilexit. Non enim imperfectior fuit apostolis, quibus dictum erat: *Diligite inimicos vestros.* Luc. vi [6,27]. Firmiter credo quod eandem oracionem, quam filius fudit in cruce, ipsa eciam si non ore, tamen corde prefudit, dicens [Luc. 23,34]: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid etc.* Hujusmodi caritatis nos concedat fieri participes, qui cum patre etc.[56]

[56] End of the other hand

## In annunciacione 2us sermo[57]

*Rorate celi desuper, et nubes pluant justum etc.* [Is. 45,8]. Homines quando habuerint caristiam uno anno, solent desiderare fertilitatem, hinc est quod solent aliquando facere oraciones et processiones. Modo dico quod per peccatum Ade maxima fuit caristia bonorum spiritualium in terra. Antequam Deus mitteret filium suum in terram vel in mundum, caristia magna fuit, quia genus humanum erat perditum propter peccatum primi parentis. Unde Dominus ad Adam [Gen. 3,17]: *Pro eo, quod obedisti voci uxoris tue etc.* Item Dominus ad Cain [Gen. 4,10-11]: *Ecce vox sanguinis fratris tui clamat ad me.* [Gen. 3,17:] *Maledicta terra etc.* Propter enim hanc malediccionem, quia eam de terra emere non poterant, inceperunt eum rogare, quod caristiam ammoveret et quod rorem de celo daret et pluviam de nubibus, ita quod terra germinaret et daret fructum ad salvacionem populi, ut dicunt verba preassumpta sc. Rorate celi. Terram enim humanitatis nostre Deus maledixerat. [Gen. 3,17:] *Maledicta*, inquit, *terra etc.* Hodie autem cum Christus descendit in virgine Maria, terra nostra est benedicta et omni bono repleta. Unde ait ad eam angelus [Luc. 1,28]: *Ave Maria, gracia plena,* quasi dicens: Sicut per Evam terra humana est maledicta, sic per te, virgo, terra nostra sc. humana natura est benedicta.

Pensate, karissimi, quomodo vere benedicta sit Maria propter celsitudinem prolis sue. Benedicta, inquam, propter benedictum fructum ventris. Merito terra illa benedicta est, que tam benedictum profert fructum. Unde Ps. [84,2]: *Benedixisti, Domine, terram tuam etc.* Terra ista est beata Maria, de qua in eodem dicitur [Ps. 84,12]: *Veritas de terra orta est*. Veritas, inquam, qui ait [Joh. 14, 6]: *Ego sum via et veritas et vita*. Benedicta ergo hec terra propter benedictum fructum sc. propter filium.

Unde Bernardus: Non quia tu es benedicta, ideo benedictus fructus ventris tui, sed quia ille prevenit te in benediccionibus dulcedinis, ideo benedicta es. Benedicta, inquam, a Domino, ab angelo, ab homine. Vere primo benedicta est Maria a Domino propter prolem. Unde bene figuratum est [2.Reg. 6], quod Dominus benedixit domui Obethedom propter arcam. Obethedom interpretatur servus sanguineus et bene significat Christum, qui servus noster factus est, **[137v:]** serviens nobis usque ad effusionem sanguinis. Factus est sanguineus in dorso propter flagellacionem, sanguineus in capite propter spinas, in latere per lanceam, in manibus et pedibus per clanos transfixos. Hujus servi domus fuit Maria virgo. Versus:

[57] Possibly from Jacobus de Voragine: Sermones quadragesimales, saturday after 1. quadrag.

Prima domus Christi fuit alvus virginis alme, altera presepe, crux 3[a], 4[a] sepulchrum. O vere domus benedicta, ex qua omnium processit vita. Augustinus: Benedicta tu in mulieribus, que tam viris quam mulieribus salutem peperisti.

2[o]modo Maria est benedicta propter prolem, non solum a Domino benediccionem ejus operante sed eciam ab angelo benediccionem ejus annunciante, sicut patet in Gabriele dicente [Luc.1,28]: *Dominus*, inquit, *tecum.* Quomodo tecum? Tecum in corde, tecum in mente, tecum in ventre, ideo quod tu benedicta secum, quia sit tecum, non tantum sicut creator cum creatura, sed eciam sicut partus cum paritura. Propter partum ejus benedicta es ante partum, in partu et post partum. O vere benedicta, quia non hominem puerum, non angelum, sed hominum et angelorum Dominum peperisti.

3[o]modo Maria est benedicta, non solum a Domino benediccionem ejus operante, non solum ab angelo benediccionem ejus annunciante, sed eciam ab homine benediccionem ejus prophetante, sicut patet in Elizabeth que exultante in utero ejus infante repleta spiritu sancto prophetando exclamavit dicens [Luc. 1,42]: *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris etc.* Sicut dicit Augustinus: Ideo benedicta quia benedictus est fructus ejus, de quo dicitur Gen. 27[,27]: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Deus.*

De hoc Jheronimus sic ait: Bene ager plenus dicitur quia Maria plena gracia, de cujus utero credentibus fructus vite processit. O vere ager, super omnes agros benedictus propter fructum. O vere mater, super omnes matres benedicta benediccione divina, angelica et humana. Heu quam longe ab ista benediccione sunt, qui propter maledictum fructum operis sui malediccionem incurrunt divinam, angelicam et humanam. Dum maledicti a Deo, maledicti ab angelis, maledicti ab hominibus erunt in eternum. Ideo dicit Maria: Quasi amarum mare sum, maris stella. Amarum, inquam, mare maledictis, quia per mare ignis eorum non extinguetur sed semper ardet. Maris stella hiis qui in mandatis Dei et preceptis ambulant, eos ducendo et illuminando ad portum tranquillitatis sc. ad eternam felicitatem, ubi facie ad faciem Christum filium ejus videamus. Ad quam felicitatem etc.

## In passione Domini[58]

*Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* Jer. xi [11,19]. Sepe Christus in scripturis agnus appellatur propter mansuetudinem et innocenciam. Nam sicut dicit Isidorus: Cetera animalia armavit natura, solum agnum dimisit inermem. Non enim habet cornua ad ventilandum nec dentes ad mordendum nec ungues ad lacerandum, sed mansuetus et innocens invenitur. Eodem modo Christus nulli unquam [nocuit] sed omnibus profuit. Dicitur autem Christus auctoritate proposita agnus, et agnus mansuetus est, agnus victimatus. Agnus autem secundum Isidorum dicitur ab agnoscendo, quia inter innumerabiles greges solo balatu matrem agnoscit. Eodem modo Christus dicitur agnus ab agnoscendo, quia in cruce existens agnovit tria genera personarum sc. patrem et matrem et suos crucifixores. Nam patrem agnovit animam suam sibi recommendando dicens [Luc. 23,46]: *Pater, in manus tuas etc.*

Dicitur enim et scriptum reperitur quod Christus in cruce existens totum illum psalmum [Ps.30,2 et 6] *In te, Domine, speravi*, silenter incepit. Et cum pervenit ad istum versum: *In manus tuas*, Domine, fortiter exclamavit dicens: *Pater, in manus etc.* In hoc dat nobis exemplum ut, cum ad extrema appropinquamus, spiritum nostrum Deo commendamus. Et hoc tribus de causis. Primo ut Deus spiritum nostrum ab insidiis demonum custodiat, quia diaboli in via sunt parati ut animam rapiant. Sed anima que in manu Dei est, nullum timet. 2$^{o}$ ut animam nostram per angelorum ministerium ad celum deducat. Exo. xxiii$^{o}$ [23,20]: *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui preparavit viam tuam.* 3$^{o}$ ut a morte eterna animas custodiat. Sap. 3$^{o}$[,1]: *Justorum anime in manu etc.*

2$^{o}$ agnovit iste agnus matrem, de ea specialem curam habendo et Johanni eam recommendando, quando dixit [Joh. 19,27]: *Ecce mater tua etc.* In hoc dat nobis exemplum ut de parentibus nostris curam et diligenciam usque ad mortem habeamus. Petro vero commendavit ecclesiam, Johanni vero matrem suam. Si invenisset aliquos digniores, certum est quod talium thesaurorum eos fecisset custodes. Pecuniam vero Jude traditori recommendavit ad innuendam, quia pecunia **[138v:]** temporalis est res vilis, et ideo eam indigno custodi commendavit.

3$^{o}$modo iste agnus agnovit suos crucifixores pro eis orando dicens Luc. xx3 [23,34]: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt etc.* Aliquando potest injuria eveniri in contumeliis verborum, et hec est magna injuria. Aliquando ex spoliacione rerum et hec est major. Aliquando ex irrogacione

[58] From Jacobus de Voragine: Sermones quadragesimales (Leyden s.a.) no. 83 et 86

suppliciorum et hec est maxima. Iste tres injurie fuerunt in passione Christi hodie. Ipse enim fuit contumeliis lacessitus. Unde Mat. xxvii° [27,39-40]: *Pretereuntes blasfemabant eum, moventes capita sua et dicentes: Vah, qui destruis templum Dei et in triduo reedificas illud.* Ipse enim fuit denudatus omnibus suis vestibus. Unde significatur per Joseph, de quo dicitur Gen. xxxvii° [37,23]: *Nudaverunt eum tunica, thalari et polimita.* Ipse enim fuit multis vulneribus sauciatus. Unde Isa. liii° [53,5]: *Ipse enim vulneratus est propter iniquitates nostras.* Et quoniam iste agnus in cruce existens cognovit patrem sibi spiritum suum recommendando, cognovit et matrem de ea specialem curam habendo, cognovit eciam suos crucifixores pro eis orando, cujus anima [oracio?] de eis multos convertit et Deo reconsiliavit. Et ideo ter cantatur in missa: Agnus Dei, quasi dicens ecclesia: Agne, qui cognovisti patrem in cruce ei spiritum tuum commendando, miserere nobis. Agne, qui cognovisti matrem specialem curam de ea habendo, miserere nobis. Agne, qui etc. pro eis orando, miserere nobis.

3° fuit agnus mansuetus. Sicut agnus qui occiditur, non murmurat non clamat, sed tantum quasdam voces querulosas emittit, sic et Christus non murmurat non reclamat. Is. l3° [53,7]: *Sicut ovis ad occisionem ducitur et quasi agnus coram tondente se obmutescit et non aperuit os suum* sc. murmurando. Tamen emisit quasdam voces querulosas pie **[139r:]** conquescionis. Unam emisit ad patrem suum dicens Mat. xxvi° [27,46]: *Deus meus, Deus meus, ut quid etc.* Aliam emisit ad matrem dicens Jer. xv [15,10]: *Ve mihi, mater, quare genuisti me, virum rixe, virum discordie in universa terra.* Judei enim rixabantur sepe cum eo et sepe inter se ad discordias veniebant. 3^am^ vocem emisit ad circumstantes et pretereuntes. Thren. [1,12]: *O vos omnes, qui transitis per viam etc.* 4^am^ emisit ad terram, Job xvi [16,19]: *Terra, ne operias sanguinem meum, neque inveniat locum in te latendi clamor meus.* Quintam vocem emisit ad celum dicens Jer. 2°[,12-13]: *Obstupescite, celi, super hoc* sc. super obprobriis et injuriis mihi a judeis illatis. Et ideo sequitur: *Duo mala fecit populus meus. Dereliquerunt fontem aque vive et foderunt sibi cisternas dissipatas etc.* Ac si diceret: Ista duo mala fecerunt judei, quia ego [me?], qui sum fons aque vive, siccaverunt sc. occiderunt, et Barrabam, qui erat aqua turbida, conservaverunt et libere dimiserunt.

Et ideo ut Christus humanum genus redimere voluisset, se in 5^e^ vulneribus vulnerari fecit. Sicut legitur quod serpens multum persequitur pelicanum, et dum pelicanus abest, serpens intrat nidum et pullos occidit. Pelicanus autem rediens tribus diebus pullos mortuos plangit. 3^a^ autem die cum rostro se vulnerat et de sanguine suo pullos aspergit, et sic illi

resuscitantur, et pelicanus moritur. Iste pelicanus est Christus. Unde Ps. [101,7]: *Similis factus sum pelicano etc.* Serpens est diabolus, qui humanum genus occiderat, sed Christus in 5[e] partibus vulnerari voluit et hoc hodie. Et sic homines mortuos vivificavit.

Item 4[or] de causis Christus fudit suum sanguinem. Primo ut homines tribulatos dulcoraret et ad consolacionem reduceret. Hoc significatum est Exodi xv[o] [15,25], **[139v:]** ubi Dominus precepit Moisi quod lignum in aquas amaras mitteret et sic eas dulcoraret. Item Gregorius: Si passio Domini ad memoriam reducitur, nihil est quod non equo animo toleretur. Refert eciam Aristoteles quod si fiat vas de cera nova et diligenter claudatur et in mari ponatur, aqua que poros subintrat, dulcis efficitur. Istud vas cereum est corpus dominicum. Sicut enim cera generatur ex apibus sine commixcione, sic caro Christi fuit generata a virgine Maria sine corrupcione. Pori ejus sunt vulnera ejus. Si igitur nostras amaritudines per recordacionem et devocionem in vulnera ejus inserimus, mox in dulcedinem convertentur.

2[o]modo effudit Christus sanguinem suum ut corda dura ad penitenciam frangeret. Et hoc figuratum est Mat. xxvii[o] [27,51], ubi dicitur: *Terra mota est et petre scisse sunt, monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum, qui dormierunt, surrexerunt.* Ex quibus datur intelligi quod ad memoriam dominice passionis illi, qui erraverunt amando terram sc. terrena, debent moveri ad amandum celestia. Illi autem qui erant duri sicut petre, debent frangi per contricionem. Eorum monumenta sc. ora debent aperiri per confessionem, et mortui sc. mortalia peccata debent exire et exsurgere per satisfaccionem. Reperitur quidam lapis, qui dicitur adamas, qui non frangitur mallei percussione, nec ignis adustione, nec aliqua temporis inveteracione. Frangitur autem sanguinis effusione. Sic multi sunt qui non franguntur ad penitenciam nec per dominacionem, nec flagellacionem, nec per spiritus sancti internam inspeccionem, nec per etatis longam vetustatem. Franguntur autem per dominici sanguinis meditacionem atque virtutem.

3[o]modo effudit Christus sanguinem suum ut hominem de manu diaboli liberaret. Istam autem liberacionem fecit prudenter sc. diaboli astuciam decipiendo. Decepit enim eum secundum Augustinum tamquam **[140r:]** murem, quia tetendit crucem tamquam muscipulam, in qua posuit sanguinem tamquam escam. Item secundum Gregorium decepit eum tamquam piscem, quia posuit exterius escam sc. carnem et sanguinem suum, interius autem occultavit ferreum hamum sc. divinitatem. Diabolus autem voluit capere escam carnis et captus est hamo divinitatis. Secundum

autem Remigium decepit eum tamquam avem. Unde exponens illud verbum Job xl [40,24]: *Numquid illudes ei quasi avi*, dicit: Illusus est diabolus in morte Domini quasi avis. Nam Christus sub carnis mortalitate abscondit divinitatem ut laqueum, quo eum velut avem deprehendit.

**[Nota f. 138r:]** Innocencius papa: Quia quilibet homo tam bonus quam malus.

**[Nota f.138v:]** De ista cogitant taxillatores primo.

**[Nota f.139r:]** Respondit Maria, quod Gabriel me salutavit: Ave. Totum vertetur hodie in Ve.

**[140r cont.:]** Item nota de vii verbis, que Christus vivus in cruce protulit. Primum verbum istud [Luc. 23,34]: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt etc.* Verbum erat miseracionis. De isto cogitant [cogitent?] invidi, unde Sap. 2$^{o}$[,24]: *Omnis qui invidet, similis est diabolo,* qui per invidiam primum hominem precipitavit. Item Basilius[59]: Sicut rubigo ferrum, sic rubigo [invidia?] animam, in quo nascitur, corrumpit. 2$^{m}$ verbum ad latronem [Luc. 23,43]: *Hodie mecum eris in paradiso.* Istud cogitant [cogitent?] peccatores, quam benignus est Deus et prestabilis super malicia. Unde Deus, quando impius converterit se ab impietate sua et fecerit judicium et justiciam, ipse animam suam salvabit, ut patet de latrone. 3$^{m}$ mulieri [Joh. 19,26-27]: *Ecce filius tuus*. Ad discipulum: *Ecce mater tua.* Cogitant filii et filie, unde [Exo. 20,12]: *Honora patrem et matrem et eris etc.* Qui autem econtrario fecerit, contra x precepta Domini peccat ibi. Habeamus in honore. 4$^{m}$ [Mat. 27,46]: *Heli, heli lama zabactani, sc. Deus meus etc.* Fac nos dicere in omni tempore tribulacionis et angustie: Pater mi, Domine mi, adjuva. 5$^{m}$ [Joh. 19,28]: *Sitio*. Glosa: Non potum sed salutem animarum sanctorum, que in limbo fuerunt adventum suum exspectantes. 6$^{m}$ [Luc. 23,46]: *Pater, in manus tuas*. Domine, fac ut in obitu etc. 7$^{m}$ [Joh. 19,30]: *Consummatum est* sc. labores et dolores, ut de ore prophetarum de me prophetatum est. Fac ut in egressu anime etc.

[59] cf. f. 128r

**De resurreccione Domini**

*Resurrexit a mortuis*. Act. x° [10,41]. Augustinus de resurreccione dicit: Sicut gloriosa virgo Maria, mater Christi, inter omnes mulieres principatum tenet, ita inter ceteros dies hec dies resurreccionis dierum omnium mater est. In hac enim die peccator de indulgencia desperare non debet. Si enim latro paradisum meruit, cur non mereatur christianus veniam. Et si illi, cum Dominus crucifigeretur, misertus est, multo magis huic miserebitur cum resurgit. Quod videretur innuere verba thematis preassumpta: Resurrexit etc., ubi duo notantur. Primo passionis Christi memoria utiliter recolenda, cum dicitur: A mortuis. 2° ipsius resurreccionis gloria singulariter veneranda ibi: Resurrexit.

Circa primum nota quod memoria passionis Christi utilis est ad multa. Primo utilis est ad desperacionem, exempla de latrone et Petro. Augustinus in symbolo: Latro confitebatur et Petrus turbabatur. Hic cognovit Christum, iste negavit eum, uterque tamen virtute passionis dominice veniam meruit obtinere. Item temptaciones expellit diaboli, quod pulchre figuratum est Numeri xxi° [21,6-9], ubi dicitur, quod *cum Dominus misisset in populum ignitos serpentes et plagas ad mortem plurimorum, Moises oravit Deum pro populo ut tolleret serpentes, et locutus est Dominus ad eum: Fac serpentem eneum et pone eum pro signo. Qui percussus aspexerit eum, vivet. Fecit ergo Moises serpentem eneum et posuit pro signo, quem percussi aspicientes sanabantur*.

Per istos serpentes ignitos intelliguntur temptaciones et insidie diaboli, quas infert homini die et nocte. Per istum serpentem eneum intellige Christum in cruce suspensum et memoriam passionis ejus, que sit tibi signum contra temptaciones diaboli. Item utilis est ad demones fugandos, quia ubi non est crux nec signum ejus, ibi est habitacio demonum. Unde Exo. x4 [12,7], ubi dicitur quod quando Dominus voluit percutere terram Egypti, preceptum fuit filiis Israel quod *sumerent de sanguine agni et ponerent in superliminari domorum* sc. conscienciarum. Cumque viderit sanguinem in superliminari, transcendet [angelus] domum, nec sinet percussorem ingredi domum, quia quando aliquis vult destruere aliquam civitatem, si viderit ibi signum suum, **[141r:]** ei non nocet sed recedit. Sic Christus, quando judicabit mundum et invenerit signum suum signatum in eis sc. recordacionem sue passionis, parcet eis.

Et quia quanto major est civitas et magis munita, tanto solent potentes poni custodes et claudi loca per que patet introitus, ideo quia anima Deum habet in se, idcirco debet frequentare ecclesiam magis et opera bona facere

ac passionem Christi corde ac animo assidue retinere et claudere per que patet introitus: Os ne loquatur malum, visus ne respiciat malum et sic de aliis. Unde Isa. xii [62,6]: *Super muros tuos constitui custodes* sc. virtutes, que viciis obstant. Qui sic custodiet civitatem suam sc. animam, Dominus aperiet illi domum suam juxta illud [Is. 26,2]: *Aperite mihi portas et ingredietur gens sanctifaciens et custodiens veritatem* sc. Christum. Iste porte sunt janue paradisi.

Queri potest quare Christus in hoc festo per passionem transiit ex hoc mundo. Respondetur ut habetur ad Hebr. 2^o.^ Non enim aliter poterat Christus genus humanum redimere nec ad patrem redire, nisi per mortem et passionem. Et hoc propter triplicem racionem. Primo ut magnitudinem sue dileccionis ostenderet. 2^o^ ut juste hominem redimeret. 3^o^ ut exemplum patiendi homini preberet. Primo igitur non potuit Christus ex hoc mundo transire nisi per mortem, ut ostenderet quantum hominem diligeret. Et sic hominem ad diligendum Deum inflammat. Unde Joh. xv [15,13]: *Majorem hanc dileccionem nemo habet etc*. Ideo Christus voluit monstrare magnitudinem sue dileccionis, et hoc non potuit facere nisi per mortem, quia nullum signum potest esse majus vere dileccionis quam mortem pro amico sustinere. Ideo Christus in hoc festo passus. Nos igitur diligamus Deum, quia prior nos dilexit. [1.] Joh. [4,11]: *Karissimi, nos debemus diligere Deum etc.*

2^o^ debuit Christus ex hoc mundo transire per mortem, ut nos juste redimeret et justum precium pro homine solveret. Ita enim decretum fuit apud Deum ut homo non posset redimi nec Deo reconsiliari, nisi unus homo moreretur pro omnibus. Unde Ambrosius: Non poterimus ab eterne mortis periculo solvi, nisi pro nobis moreretur debitor mortis. Nam secundum Bernardum minima gutta sanguinis etc. Sed propter peccatum primi parentis oportuit Christum pati, ut per mortem suam hominem liberaret et patri celesti satisfaceret et ipsum placaret. 3^o^ Christus mori debuit etc. **[141v:]** Ad perfeccionem enim vite non sufficit perfecte operando, sed eciam requiritur perfeccio in patiendis. Nihil est enim fortius et terribilius quam mortem sustinere, unde nihil terribilius etc. dat nobis patienciam etc.

2^o^ notatur resurreccionis gloria ibi: Resurrexit, ubi notatur quod Christus multa habuit in resurreccione, que testificantur ipsum vere surrexisse. Surrexit ipse velociter. Sic nos debemus facere. Eccli. [5,8]: *Ne tardas converti ad Dominum.* Et Act. xii^o^ [12,7]: *Surge velociter*. Sic Christus fecit sc. mane diei tercie. Item surrexit veraciter non simulatorie. Sic peccator surgere debet a peccato per veram confessionem. Sicut

Christus noluit diu jacere in sepulchro nec computrescere, sic si contingat nos incidere in peccata, non maneamus in eis diu, sed citius resurgamus. 3º resurrexit integraliter. Sic nos omnia peccata confitendo surgere debemus. Unde Is. l2º [52,2]: *Consurge filia Sion, solve vincula*. Non dicit unum vinculum sed vincula. 4º resurrexit impassibiliter. Rom. viº [6,9]: *Jhesus resurgens ex morte jam non moritur etc.* Et post passionem fortior factus est, quia prius erat passibilis et mortalis, jam impassibilis et immortalis. 5º resurrexit potenter quia propria virtute ipso testante Joh. x [10,18]: *Potestatem habeo ponendi animam meam etc.* 6º et ultimo surrexit sapienter, quia clauso sepulchro surrexit.

Unde nota quod sepulchrum erat clausum tripliciter sc. grandis lapidis advolucione, sigilli impressione et multorum armatorum tuicione, et ideo mulieres non sperabant se posse introire, cum dixerunt [Marc. 16,3]: *Quis revolvet nobis etc.*, quia fuerunt fragiles ad removendum tam grandem lapidem, et timuerunt ut milites eas fugarent, nec sigillum presidis audebant frangere. Christus autem, qui exiit de clauso utero matris, et qui ad discipulos suos intravit januis clausis, ipse exiit de monumento lapide clauso salvis signis et custodibus expavefactis. Unde exterriti sunt custodes videlicet ex terribili visione angeli, ex monumenti subita apercione et ex terre magna concussione. Mat. xxviiº [27,51]: *Terre motus factus etc.*, quia sicut terra in morte ejus etc. Si mireris, vide de natura leonis, qui per rugitum suscitat pullos. Physiologus.

## De ascensione Domini[60]

*Ascendit Deus in jubilacione* [Ps. 46,6]. Ista verba dicit sancta mater ecclesia hodie annuncians fidelibus Christi ascensionem, et quia hodie omnia consummata sunt que pertinebant ad humanam salutem, ideo dicitur hoc festum festum omnium festivitatum et nostre salutis perfeccio. Propter hoc Christus incarnatus triginta tribus annis laboravit hic in mundo, deinde passus est pro nobis ut nobis aperiret celum, quod hodie factum est. In quibus tamen verbis duo possunt notari, primo vera Christi ascensio, 2° qualiter ascendit. Circa primum possumus notare quod Christus veraciter ascendit cum corpore et anima simul et hoc devicto hoste et ablato spolio suo ab eo.

Solent enim reges post victoriam ascendere palacium ad quiescendum. Sic Christus hodie fecit quando devicto demone et ablato spolio, quod diabolus multis annis possederat sc.animas, que erant in limbo inferni. Hodie Christus ascendit cum eis ad palacia celi ad quiescendum. Quia multum laboraverat ideo bene indiguit quiete. Sed ad quid ascendit? Certe ut illud regnum rehaberet quod amiserat, cum ad nos descendebat. Unde Luc. [19,12]: *Homo nobilis abiit in regionem longinquam* sc. ad regnum celorum *accipere sibi regnum et reverti,* hoc est ad judicium judicando vivos et mortuos et ponere racionem cum servis suis. O Deus, ibi reddituri simus racionem de operibus nostris, quanta et qualia egimus in hac misera vita. Et sic patet ad quid ascendit.

2° videamus modum quo Dominus ascendit, sc. primo enim ascendit potenter sc. de propria virtute. Ideo virtutes ejus admirantur. Unde angeli dixerunt [Is. 63,1]: *Quis est iste, qui venit de Edom* sc. de mundo et *sanguine tinctis vestibus de Bosra* sc. membra corporis aspersa sanguine. Et respondit Dominus: Ego sum rex glorie, quasi diceret: Ego sum rex regum et Dominus dominantium et creator omnium creaturarum. Ideo tam potens rex propria **[142v:]** virtute ascendebat. Unde legitur de Helia propheta qui multum placuit Domino, et tamen propria virtute non potuit venire in paradiso, nisi mitteretur ei a Domino igneus currus et equi ignei, in quo curru deportatus est in celum. Rex autem iste non per angelos nec per currum, sed propria sua virtute ascendit hodie in celum, ut annunciantes angeli dixerunt [Ps. 23,8]: *Quis est iste rex,* qui tam potenter ingreditur fines nostras. Certe, o angeli, et ego respondebo vobis. Ipse est

[60] From Peregrinus Polonus

qui vos omnes debet transcendere, ipse est qui super vos omnes naturam vestram debet exaltare.

$2^{o}$ Dominus ascendit ut nobis viam, quam ascendere debemus, ostenderet. Unde Micheas propheta [2,13]: *Ascendet pandens iter ante vos*, quia si ubi caput ascendit, et membra ascendunt. Unde apostolus [Eph. 5,30]: *Omnes enim Christi membra sumus.* Certe, si Christi membra sumus, et Dominus celum aperuit hodie et nobis viam ostendit, certe debemus ambulare sicut Christus ambulavit, hoc modo ut sequamur vestigia ejus, qui peccatum non fecit, sc. in jejuniis et fatigacione, in castitate et humilitate et patiencia et virtute et in operibus misericordie apud proximos. Si ita facimus tunc ascendamus per eandem viam, quam hodie Dominus ascendebat.

$3^{o}$modo Dominus ascendit letanter, ut dicit Ps. [46,6]: *Ascendit Deus in jubilacione etc.* Et hoc quadrupliciter sc. cum propria jubilacione, in jubilo angelorum, in jubilo captivorum et in jubilo apostolorum. Primo ascendit Dominus in jubilo proprio, et hoc maxime pro miseria hujus mundi, quam passus est pro hominibus ante passionem suam. Unde Isa. [61,10] *Gaudens gaudebo in Domino, quia induit me vestimento salutis.* $2^{o}$ ascendit Dominus in jubilo angelorum, qui gaudebant pro recuperacione sue ruine. Hodie namque cepit eorum ruina recuperari, que plene in judicio recuperabitur. Unde si angeli gaudium habuerunt in sua **[143r:]** nativitate, multo magis gavisi sunt in sua ascensione, quia facie ad faciem jam eum videbunt.

$3^{o}$ Dominus ascendit in jubilo captivorum sc. quos de limbo eduxerat, quia gaudebant de sua liberacione, secundum quod Dominus ipsis longe ante promiserat per Isaiam prophetam [Apoc. 3,4]: *Ambulabunt mecum in albis, qui captivati fuerunt* et [Is. 35,10] *redempti a Deo et venient in Sion, et leticia sempiterna super capita eorum.* Sic et nos, quando ascendimus ibi, cantabimus sicut ait Ps. [121,4]: *Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini ad confitendum nomini Domini.* $4^{o}$modo ascendit Dominus in jubilo apostolorum, qui gaudebant de exaltacione sue nature. Luc. in evangelio hodierno [24,51] [Marc. 16,19]: *Postquam locutus est eis* sc. apostolis, *ferebatur in celum, et ipsi adorantes regressi sunt in Jherusalem cum gaudio magno.* Et ideo bene dicitur: Ascendit Deus in jubilacione. Unde angeli in ascensione ejus dixerunt [Act. 1,11]: *Quemadmodo vidistis eum ascendentem in celum, sic veniet* sc. ad extremum judicium judicando singulos juxta opera suarum. Rogemus igitur Dominum hodie ut per suam ascensionem nos per eandem viam ducat, quam ipse precessit quando ab apostolis suis decessit, et nos in sede sue jubilacionis post hanc vitam

collocare dignetur. Hoc nobis parare dignetur pater et filius et spiritus sanctus.

Versus: Virgo Johannes avis, vitulus Lucas, leo Marcus et homo Matheus. Quattuor ista Deus, est leo surgendo, est homo nascendo, Christus vitulus moriendo, est leo surgendo, volucris sit ad astra volando.

### In circumscisione Domini 2us sermo[61]

*Ecce nova facio omnia* [Apoc. 21,5]. Beatus Johannes, cum vidit et audivit multa secreta regni celestis, preterita, presentia et futura, ille inter alia audivit unum angelum dicentem [Apoc. 21,4]: *Absterget Deus omnem lacrimam ab oculis sanctorum etc.* Et quod tunc audivit sanctus Johannes, hoc hodie est impletum, quia hodie fecerat Deus multa nova. Primum novum quod fecit Deus hodie est illud, quod elegit sibi novam matrem sc. beatam Mariam. Vetus enim mater Eva depravata et deturpata fuit per peccatum. Per illam novam matrem mundatus est mundus et renovatus. Ipse enim Dominus illud novum vas elegit sibi, de quo manna celestis descendit ad cibandum totum genus humanum.

2m novum quod fecit hodie Deus, est ut naturam venditam pro peccatis redimeret patris nostri Adam et hoc suo precioso sanguine, quem hodie primitus effudit in circumscisione. Et hoc fuit inicium bonum novitatis, quia naturam dampnatam voluit salvare et hoc per nomen sanctum suum, quod hodie ei impositum fuit sc. Jhesus. Unde apostolus [Act. 4,12]: *Non est aliud nomen sub celo, in quo oportet nos salvos fieri, nisi in hoc nomine Jhesu.* Unde apostolus [Rom. 10,13]: *Quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Est autem hoc nomen Jhesus valde utile, primo quia nos valde fortificat in adversis et consoletur nos in tribulacionibus nostris.

De hoc habemus in beato Patricio.[62] Cum enim beatus Patricius in Hibernia predicaret, rogavit Dominum ut ostenderet ei signum, per quod homines illius provincie territi peniterent. Et ecce puteus magnus apparuit, et revelatum est ei quod ibi esset locus purgatorii. Si quis vellet

---

[61] The same sermon though longer f.308v, both from Peregrinus Polonus
[62] The same story f 309v.

descendere, non alia sibi pena ibi restaret. Hoc audientes multi ingrediebantur pro delictis eorum. Et erat ibi vir nobilis Nicolaus nomine, qui multa peccata commiserat, et ipse in ipsum puteum descendit ut penitenciam pro delictis suis ageret. Qui ibi invenit oratorium albis monachis plenum, qui sibi dixerunt: Constans esto, quia multa temptamenta oportet sustinere.

Cum ille inquireret quale remedium contra hoc habere posset, qui dixerunt ei: Cum tu penis affligeris, clama: Jhesu, miserere mei. Sed cum iste paululum processisset ab eis, subito demones tamquam bestie occurrerunt ei mugientes et clamantes contra eum. Sed cum ille perterritus staret, recordatus est consilii et dixit: Domine Jhesu Christe, miserere mei. Statim bestie evanuerunt ab eo. Et abinde progrediens vidit unum magnum ignem, in quo anime **[144r:]** puniebantur, et projectus est in eo. Clamavit: Domine Jhesu etc., et statim ille ignis extinctus est. Et procedens inde vidit unum profundum puteum, de quo exibat fumus, fetor et clamor magnus, et cum in illum projectus fuisset, clamavit ut prius: Domine Jhesu Christe etc. Et statim liberatus est. Tandem vidit unum pontem supra magnum stagnum positum, quem cum magno timore transire deberet et non potuit. Tandem pedem posuit super pontem, et inter quemlibet passum dixit: Domine Jhesu etc. et quousque ultra pontem pervenit.

Venit ad unum pulchrum locum, in quo stabat varietas diversorum florum. Vidit ibi duos juvenes pulcherrimos amictos vestibus albis, qui ipsum ad pulcherrimam civitatem duxerunt, que tota munita erat ex lapidibus preciosis, et dixerunt illam civitatem esse paradisum, et postmodo ad vitam rediret. Post xxx dies obiit, et anima ejus deducta est ab angelis ad eternum paradisum in conspectu Domini. Ecce quale et quantum est nomen Domini nostri Jhesu Christi. Certe hoc fuit magnum novum, quod Dominus hodie nobis sanctum nomen suum contulit ad salutem. Unde apostolus [Rom. 10,13]: *Quicunque invocaverit nomen Domini salvus erit.*

## In annunciacione Marie sermo 3us

*Ave Maria, gracia plena, Dominus tecum*. Luc. io [1,28]. Evangelium istud continet nostre salutis exordium in quo 4or notantur. Primo a quo sit legacio, 2o a quo nuncio peragatur, 3o cui deferatur legacio, 4o qualis fuit salutacio. Versus: A quo, quis, ad quem, formam notate salutis. A quo, certe a Deo patre. Videns ergo Deus humanum genus periisse per peccatum primorum parentum et diaboli servituti subjacere, misericordia motus in suo consistorio divinitatis cunctando de secreta liberacione ipsius habuit duas consiliatrices, sicut dicit Bernardus, justiciam et misericordiam, que disputacionem inter se habuerunt super hoc negocio. Justicia enim asseruit hominem perpetuo esse dampnandum. Unde Ps. [50,6]: *Domine, ut justificeris in sermonibus tuis etc.*, quibus dixisti [Gen. 2,17]: *Quacunque hora comederitis morte moriemini.* Et iterum [Ps. 54,16]: *Veniat mors super illos.*

Et ista racione justicia tenuit Deum 5e milibus annorum, unde et Dominus misit pestilenciam et famem, vastans terram quasi inimicus, una hora xxx milia hominum occidendo, que omnes descendebant in perdicionem. Tandem accedens misericordia dixit [Is. 64,5 et 7]: *Ecce tu iratus es, Domine, et non est, qui invocet nomen tuum* sc. inter homines, quia omnes te audacter offendunt. Non est *qui surgat et teneat te* ab ira tua. Si igitur omnes homines perdes ut inimicos, quos postea habebis amicos sc. Paulum persecutorem, ubi ecclesia talem habuerit predicatorem. Mariam Magdalenam et complures alios, qui nunc sunt amici tui in regno celorum. Nonne hominem ad hoc creasti ut participaret bonitatis tue. Et tantum de principali.

2o notatur quis sit missus, quia angelus. Et merito quia sicut per angelum malum seducta fuit mulier et peccatum introductum et per consequens mors super totum genus humanum, sic per angelum bonum virgo hodie salutata est, ut per eam peccatum deleatur, vita reddatur et confusio mulieris auferatur. Et tantum de 2o. 3o notatur ad quem missus est. Certe ad virginem mirabilem, humilem, ad virginem in corpore et anima formosam. Certe ad virginem mirabilem, quia que erat virgo facta est mater, existens mater concepit et peperit suum genitorem sine adjutorio viri, sed ordinacione spiritus sancti. Istud mirum numquam ante auditum fuit, ut virgo conciperet et virgo post partum permaneret. Hoc figuratum bene fuit in libro Numeri [17], ubi legitur, quod cum Dominus elegisset Moisen et Aaron de cunctis filiis Israel, ut essent sacerdotes et offerrent sacrificia pro populo, surrexerunt ideo quidam de aliis tribibus

murmurantes contra eos et dicentes: **[145r:]** Numquid nos non possumus ita bene esse sacerdotes sicut Moises et Aaron et ministrare in templo.

Tamen Moises accepit xii virgas, de qualibet tribu unam virgam, et posuit in tabernaculo ut ostenderet Dominus per aliquod signum, quis erat dignus ministrare in templo. Sequenti die venit et invenit virgam Aaron germinasse et foliis dilatis amigdala protulisse. Per istam virgam significatur beata virgo Maria, que protulit nobis amigdala sc. Christum, qui est cibus dulcissimus angelis et hominibus. Sicut enim solis radius transit vitrum et non ledit nec frangit, sic Christus Mariam intravit et exiit sine omni lesione sue virginitatis, et ideo legitur: Missus est angelus ad virginem mirabilem. Item missus est ad humilem virginem. Unde ipsa hodie dixit [Luc. 1,38]: *Ecce ancilla Domini* et alibi [Luc. 1,48]: *Respexit humilitatem ancille sue etc.* Non gloriatur de hoc quod de regali stirpe nata fuit. Nec dixit: Ego sum mater Dei, ego regina celi, sed dixit se esse ancillam, in qua monstratur ejus magna humilitas, quam ipsa hodie exhibet toti mundo.

Quia humilis ideo servit peccatoribus. Primo quia sentenciam judicis mutat. Deu s enim, qui est judex vivorum et mortuorum, quando alius peccat mortaliter, tunc dat super eum sentenciam dampnacionis eterne mortis. Sed virgo Maria hanc mutat orando. Hoc figuratum fuit Reg. 1$^{o}$ [1.Reg. 25], ubi legitur, quod cum Nabal offendisset regem David et nuncios suos contempsisset, dedit super eum sentenciam mortis cum juramento. Et cum ipse sentenciam proferret, venit Abigail prudens, cecidit ad pedes ejus et hanc sentenciam mutavit et reddidit ei graciam suam. Per Nabal quilibet peccator intelligitur, qui cum offendit David sc. Christum mortaliter peccando, statim dat super eum sentenciam dampnacionis. Sed Abigail sc. virgo beata hoc audiens accedit ad Christum et oracione sua revocat sentenciam de ore Christi prolatam. Et sic peccatori impetrat graciam a Christo.

2$^{o}$ servit, quia accessum parat peccatori ad Deum. Qui enim totiens Deum offendit, quomodo audet ad eum accedere, nisi ipsa ducatum preberet ei. Et bene ducatum prebere potest, quia mater ejus erat. Bernardus: O homo, securum habes accessum ad Deum, ubi matrem habes ante filium, filium ante patrem. Mater ostendit filio pectus et ubera, filius patri latus et vulnera. Nec ulla potest esse repulsio, ubi tot caritatis occurrunt insignia. **[145v:]** Unde apostolus [Hebr. 4,16]: *Accedamus cum fiducia ad thronum Dei et gracie.* Ipsa est ille thronus quem vidit Johannes in Apocalipsi, de quo throno exibat fluvius et transibat per medium civitatis. Sic ipsa est thronus Dei, in quo ipse Christus quievit ix mensibus,

de quo throno exit fluvius sc. ejus gracia et transit per medium civitatis sc. per medium christianitatis. O quam ipsa peccatores adduxit et viam fecit eis ad Christum.

3° servit peccatoribus, quia Deo eos reconsiliavit. Taliter[63] ipsa reconsiliavit filium cujusdam civis, qui Christum negaverat et fidem catholicam, ut diabolus daret ei pecuniam. Qui cum duxisset eum in montem et aperuit ibi multum de auro, de quo cum accepisset quem portare voluit, et abire vellet, dixit diabolus: Vos christiani habetis unam dominam valde potentem, que nobis magnam violenciam facit. Illam eciam debes abnegare. Respondit ille: Certe hoc non faciam. Et sic dimisso auro venit ad civitatem et intrans ecclesiam doluit, quod Christum negaverat. Hominibus autem post missam egressis ipse in ecclesia mansit. Quod quidam civis videns occultavit se cum eo, et accedens ad imaginem beati virginis cepit loqui ad puerum, quem in gremio tenebat, ut redderet ei graciam suam. Sed cum puer diceret se graviter offensum, ipsa dimittens puerum in altari descendensque accepit peccatorem per manum et flexis genibus cum eo coram puero ipsum cum puero reconsiliavit. Quod videns iste civis filiam suam tradidit ei in uxorem. Et sic ipsa ditavit eum in corpore et anima. Et sic patet quod angelus missus est ad virginem humilem.

Item missus est ad virginem formosam in anima et corpore. In anima fuit pulchra, quia ante sanctificata quam nata et post concepcionem in tantum confirmata, quod nec venialiter peccare potuit. Item in corpore fuit in tantum pulchra, quod nullus homo natus fuit in mundo, qui tam pulcher fuit sicut ipsa. De ejus pulchritudine legitur quod fuit quidam heremita, qui audiens quod beata virgo esset ita pulchra, quod nullus eam intueretur quin ad devocionem accenderetur, venit ad montem Sion, sub quo habebat beata virgo mansionem cum puellis suis. Et beatus Johannes evangelista curam ejus habebat, et dixit Johanni: O pater sancte, utinam possem videre dominam meam, virginem gloriosam? Cui Johannes: Esto hic, donec circa horam nonam veniat ab oracione. Tunc videbis eam. Que cum exisset, et ille eam intuitus fuisset, pre nimio gaudio **[146r:]** constare non potuit, sed cadens in terram dixit: Ave regina celorum, nollem habere nisi hoc solum, ut eam quotidie aspicere deberem. Et sic patet quod angelus missus est ad virginem formosam.

**[Nota f. 145v-46r:]** Aliqui dicunt quod fuit sanctus Dionisius. Post conversionem suam venit ad sanctum Johannem et voluit videre beatam

[63] Almost the same story f. 308v

virginem Mariam. Mox ut vidit eam, cecidit in terram, quia non potuit eam intueri pre nimio gaudio, splendore et pulchritudine. Tunc alloquitur sibi beata virgo: Quare tu cecidisti? Respondit: Non possum magnam pulchritudinem tuam intueri, quia nisi aliter mihi fuerit revelatum, credo quia non est alius Deus preter te, qui omnia creaverat. Nota quod filium Dei habuit in se et fovit et nutrivit et semper allocuta fuit etc.

**[146r cont.:]** 4° notatur ejus salutacio, que est [Luc. 1,28]: *Ave gracia plena*. Istam salutacionem libenter debemus dicere, quia homini multum prodest, beate virgini multum placet, diabolo multum displicet. Quod homini multum prodest, patet in exemplo de quodam milite, qui religionem intravit et literas nesciebat etc. Item beate virgini multum placet, quia quotiens homo istam salutacionem dicit, totiens ejus gaudium renovatur. Item diabolo multum displicet, patet in quadam virgine, quam cum diabolus temptaret ut consentiret cuidem juveni, et ista jam temptacioni succumbere vellet. Tandem consuluit unum abbatem, qui dixit ei: Quando veniet ad te diabolus impugnans te, dic flexis genibus: Ave Maria. Quod cum fecisset, diabolus exclamavit alta voce dicens: Diabolus intret in os ejus, qui te hoc docuit, et sic liberata est a temptacione diaboli. Et tantum de illo.

Nota quod Deus pater salutavit beatam Mariam virginem per angelum propter duo. Primo propter ejus mundiciam, quam in se habuit, quia inter omnes homines in mundo ipsa purior et mundior fuit. Unde Augustinus de ejus mundicia: Si omnes sancti quotquot in mundo fuerunt a principio et usque ad ultimum, simul hic in mundo essent, nihil aliud possunt dicere ad Deum nisi: Domine, dimitte nobis debita nostra. Excepta sola beata virgine de qua dicitur: Cum de peccatis loquimur, nullam mencionem possumus habere ad hoc, quod aliquo modo erat in ea macula peccati, quia eam Deus sanctificavit ita quod cognicio peccati cor ejus numquam intrare potuit. 2° Deus eam salutavit quia est mater misericordie. Tantam igitur ei misericordiam dedit Deus, quod quicunque eam in aliqua tribulacione seu necessitate invocaverit, statim sibi misericordiam dat habundanter, et ideo comparatur virge quia de facili flectitur. Unde Anselmus dicit: O mater Dei vivi, omnibus porrigis tuam pietatem, que ita est alta quod attingit usque ad celum, ita profunda quod porrigit ad infernum, ita longa quod durat ad diem judicii, ita lata est quod extendit se ab uno fine mundi usque ad alium. Et tantum de illo.

**[Nota f. 144v:]** Nota quod angelus Domini apparuit beate Marie virgini in statu juvenili. 2$^{o}$ apparuit albis [vestibus], 3$^{o}$ in aurora diei, 4$^{o}$ quid tunc faciebat beata [virgo]. Respondetur secundum Albertum Magnum et alios doctores, quod habuit librum prophecie ante se et legebat [Is. 7,14]: *Ecce virgo concipiet et pariet etc.* quasi dicens: Utinam fuissem ancilla illius virginis etc.

## De passione Domini 3$^{us}$ sermo[64]

*Cum egressus fuero de urbe hac, extendam palmas meas ad Dominum, et cessabunt tonitrua, et grando non erit*. Exo.1$^{0}$ [9,29]. Gen. [49,32:] quod *Jacob completis sermonibus, quibus erudivit filios suos, collegit pedes suos in lectulo et obiit et appositus est ad patres suos*. In istis verbis tria festa comprehenduntur, que ecclesia hiis diebus recolit sc. festum cene quod heri celebratum fuit, festum passionis et mortis Christi quod hodie recolitur, festum sepulture quod cras celebrabitur. Completis igitur Jacob sermonibus sc. Christi sermone finito illo, quem fecit in cena, quo erudiit filios suos sc. apostolos ad caritatem mutuam et mutuam administracionem et humilitatem in pedum ablucione. Finitis, inquit, heri hiis collegit hodie pedes suos super lectulum crucis, ubi et obiit quando inclinato capite emisit spiritum, et appositus est ad patres suos quando sepultus est. Dic ergo: Cum egressus fuero etc. Per Moisen, cujus verba hec sunt, intelligitur Christus racione dignitatis. Fuit enim dux populi educens populum de Egypto per mare et desertum in terram promissionis sc. in regnum celorum. Sic Christus per mare baptismi et per desertum passionis sue educit nos de hoc mundo in terram promissionis sc. in regnum celorum.

In istis verbis tria possumus notare sc. locum passionis, modum sc. qualiter fuit passus, et qualis fuit ejus passio et fructum passionis. Locus Calvarie notatur cum dicit: Cum egressus fuero de urbe hac ad locum sc. Calvarie. Modum addit cum dicit: Extendam palmas meas sc. ut crucifigar in cruce. Et fructum cum addit: Et cessabunt tonitrua. Dic ergo: Cum egressus fuero etc. Nota hic duplicem egressum. Primo exiit de civitate in montem Oliveti ad adorandum ut heri, quando oravit ad patrem. 2$^{o}$ ut hodie bajulans crucem ad locum passionis. Exiit autem hodie, quia ejectus fuit tamquam leprosus et latro. Ista enim genera hominum ejiciebantur de

[64] The same sermon though shorter f.79v.  Both from Peregrinus Polonus

civitate. Et istum egressum desiderabat sponsa dicens [Cant. 7,11]: *Egrediamur,* inquit, *delecte mi, in agrum* sc. ad locum Calvarie, ut operaris miracula tua. Iste enim est egressus Isaach, qui egressus fuit in agrum ad meditandum, sicut legitur Gen. 3º [24,63]. Ita Christus est egressus hodie in agrum ad meditandum salutem nostram quam hodie operatus est. Hodie autem respondit dilecte sponse **[147r:]** sue sc. anime fideli, cui inquit: Egressus fuero de Jherusalem ad locum Calvarie.

Extendam palmas meas etc. Sequitur racio quare filius Dei extendit manus in cruce. Hic tangitur modus passionis. Extendit enim hodie manus in cruce ad patrem ut eum placaret. Ipse enim est Aaron, qui accepto thuribulo et igne sc. assumpta carne et anima in incarnacione stetit hodie in cruce inter vivos et mortuos. Inter vivos sc. angelos per graciam et homines mortuos per peccatum. Et sic orans in cruce [Luc. 23,34]: *Pater, ignosce illis*, et sic cessaverunt tonitrua sc. offensa diaboli a populo.

2º extendit manus hodie ad matrem ut ei naturam, quam de ipsa susceperat, tam viliter a judeis tractari ostenderet. Extendit eciam manus ad populum ut eum ad se traheret ad amplexandum. Pia mater quando videt puerum formidantem ad se accedere, brachia aperit, et tunc puer timore postposito ad matrem currit. Olim nullus ad eum accedere audebat, quia ambo brachia clausa tenebat. Deus enim habet duo brachia, sinistrum per quod recipit nos ad penitenciam, dextrum quo nos trahit ad suam gloriam. Et sic patet qualiter passus fuit quia extensis manibus.

3º qualis est passio et passionis fructus. Sed videamus qualiter fuit ejus passio. Certe fuit ignominosa, dolorosa, diuturna et injusta. Ejus enim passio fuit ignominosa, quia captus est ut latro. Unde et dicebat, quando captus fuit [Mat. 26,55]: *Tamquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus.* Verberatus ut malefactor, derisus ut fatuus, consputus ut leprosus, crucifixus ut homicida. Cum eum occidere vellent judei, dicebant: Si comburemus eum vel decollabimus eum, nimis erit sibi honorificum, sed suspendamus eum, que fuit vilior mors inter omnes. Sed si pena esset vilis et tamen esset lenis, aliquam posset homo recipere consolacionem.

Sed pena Christi, licet esset ignominosa, tamen circa hec fuit dolorosa ceteris passionibus sanctorum et hoc propter ejus delicatum corpus. Quanto enim natura est delicacior, tanto pena dolorosior. Magis enim dolet filius principis, qui delicatum corpus habet, quam filius rustici. Fuit enim passio ejus dolorosa et acerba, quia passus fuit in omnibus membris, quia a planta pedis usque ad verticem totum corpus suum fuit plenum suppliciis. Primo igitur eum afflixerunt in capite, quando spinis caput ejus usque ad cerebrum perforaverunt. Unde dicitur Mat. [27,30]: *Percutiebant caput*

*ejus arundine*. Item afflixerunt eum in corde, quando latus ejus lancea perforaverunt. **[147v:]** Item afflixerunt eum in manibus et pedibus, quando eos perforaverunt sive aperuerunt et totum sanguinem eduxerunt adeo, quod cor[pus] ejus tamquam aridum in cruce remansit.

Item afflixerunt eum in omnibus sensibus ut peccata per 5[e] sensus perpetrata curaret, que quidem in Eva inicium sumpserunt. Ipsa quidem peccavit in auditu, quando verba serpentis audivit. Ideo Christus in auditu passus fuit, quando contumelias multas audivit, quia appellabant eum filium fabri. Dicebant autem ad eum [Joh. 8,48]: *Demonium habes*. Item Eva peccavit in visu, unde dicitur [Gen. 3,6]: *Vidit*, inquit, *mulier lignum, quod esset pulchrum* visu. Ideo fuit Christus velatus, quando ligaverunt oculos ejus tamquam furi. Peccavit eciam Eva odoratu, quando multum in odoratu pomi fuit delicata. Ideo Christus in odoratu passus est, quando fuit sputis fetidis delinitus et inter mortuorum corpora fetida crucifixus. Peccavit eciam Eva in tactu, quando manum ad recipiendum pomum porrexit. Ideo Christus manus extensas in cruce habere voluit. Peccavit eciam Eva gustu, quando prohibitum pomum comedit. Ideo Christus felle et aceto potatus fuit, in collo colaphizatus fuit, facies percussa, barba depilata, corpus totum denudatum. Et sic patet pena ejus dolorosa et acerba.

Sequitur fructus illius passionis in hoc quod dicit: Et cessabunt tonitrua. Glosa sc. potestas diaboli mortua est. Unde Bernardus: Pater, ignosce. Per hec verba datur intelligi potestatem diaboli frenatam. Et grando non erit. Grando significat diabolum, quia sicut grando est induratus sic diabolus per obstinacionem. Hic inquit: Grando non erit sc. potestas ejus tanta super humanum genus, quanta fuit ante passionem, quia tunc multis dominabatur in animabus sc. malis et bonis, nunc tantum malis ipsos ad infernum deducendo. 2[us] fructus ejus passionis est, quod genus humanum excecatum per peccatum illuminavit, et hoc bene patuit in sua passione. Unde legitur quod cum quidam miles, qui ejus latus perforavit, prius cum non clare vidit, quedam gutta sanguinis sibi in oculos cecidit et continuo clare vidit. 3[us] fructus ejus passionis fuit, quia homini expulso de paradiso celum aperuit. Ideo Christus fudit sanguinem suum in clavem celestis reseracionis. Unde dicit Jheronimus: Sanguis Christi clavis paradisi factus est. 4[us] fructus passionis ejus est, quod hominem mortuum vivificavit. Ideo Christus fudit sanguinem suum in potum nostre vivificacionis.

Legitur quod inter serpentem **[148r:]** et pelicanum est odium generale et naturale. Serpens autem ascendit arborem absente pelicano et pullos ejus

occidit. Rediens autem pelicanus tribus diebus super eos plangit et tunc rostro suo in pectore se vulnerat et sanguine proprio eos aspergit, et tunc reviviscunt. Serpens antiquus sc. diabolus hominem occiderat, Christus autem se in 5[e] partibus permisit vulnerari et sanguine suo hominem aspergens ipsum vivificavit. Unde Christus assimilat se pelicano dicens Ps. [101,7]: *Similis factus sum sicut pelicanus.* 5[us] fructus est, quod homo erat durus, non poterit mollificari ad contricionem. Ideo Christus fudit sanguinem suum ut nos mollificaret. In signum hujus lapis iste, in quo crux steterat, quam cito stillavit sanguis Christi super eum, in xxti 4[or] partes scissus fuit. O quot peccatores mollificati sunt per sanguinem Christi. Sicut legitur de quadam magna peccatrice, que fuit multum indurata ad penitenciam et hoc magnis peccatis, que commiserat. Sicut hodie venit ad ecclesiam adorare crucem, et cum vidisset de imagine crucifixi quasi stillare sanguinem, statim compuncta fuit dicens in corde suo: Iste sanguis pro te effusus est. Tandem venit ad confessionem, et cum confiteretur peccata sua, pre contricione magna mortua est ante confessorem, qui cum de salute ejus desperaret, respexit sursum ad parietem, et scriptum erat aureis literis: Gaudeat in celis, ubi regnat [requiescit?] quisque fidelis.

Et quia hodie recolimus Christi passionem, debemus eum juvare crucem portare per compassionem et mortem ejus deflere, quia multa sunt, que nos hodie inducunt ad flendum. Hodie enim flevit Christus, quia matrem suam consolari non potuit. Unde dixit ad matrem illud Jer.[15,10]: *Ve mihi, mater mea, quare me genuisti, virum rixe, virum discordie in universa terra omnes maledicunt mihi.* Ipsa autem pre dolore respondere non poterat. Flebat eciam Christus propter corporis passionem, flebat eciam propter parvi fructus consideracionem, quando sc. considerabat quod ista die, qua passus est, solummodo unum latronem lucratus est. Flebat eciam propter dispersionem et infidelitatem discipulorum, quod eciam vix oculos aperire poterat ut matrem discipulo commendaret. Hodie eciam flevit discipulus, quando egressus foras flevit amare. Hodie eciam fleverunt omnes apostoli. Unde cantatur: Tristes erant apostoli de nece sui Domini. Flevit eciam infernus, ut cantatur in ecclesia: **[148v:]** Gemens infernus ululat, quia exspoliatus fuit. Flebat eciam turba, Luc. [23,27]: *Sequebantur illum* Maria et mulieres, que plangebant eum. Flebat eciam creatura superior et inferior. Superior ut sol qui obscuratus fuit, inferior ut terra que mota est, et petre scisse sunt. Flent eciam sacerdotes et clerici, quia cantant lamentaciones. Unde clamant: Vau.

Sed super omnes flevit beata Maria quia omnia, que Christus passus fuit in corpore, ipsa passa est in anima, quia quot ictus audivit totiens in

terram corruit. Unde dicit Anselmus: Unde potest dici de ea illud Thob. x [5,23]: *Flebat autem mater ejus irremediabilibus lacrimis dicens: Heu mihi, fili mi*. Magnitudo igitur fletus et doloris ejus causabatur ex eo quod erat mater unici filii. Unde si aliqua mater filium amittit, consolacionem recipit vel quia alios habet vel se habere sperat. Maria autem nullum alium habebat nec habere se speravit. Accrevit autem ejus dolor, quia presens erat ad videndum sub oculis suis filium suum crucifigi, lancea vulnerari. Et multum dolet mater quando videt filium suum mortuum, sed plus dolet quando audit filium horribili tormento necatum. Maxime autem dolet quando ante oculos suos videt ipsum vulnerari et occidi. Quanto igitur dolore Maria vulnerabatur, que videbat filium suum mortuum et horribili passione necatum. Hec autem omnia facta sunt ante conspectum suum.

Accrevit eciam ejus dolor, quia erat impotens ad adjuvandum. Magna consolacio est matri, quando filio morienti assistit, et quando morientem potest osculari vel amplexari. Maria autem filium suum in nullo poterat juvare. Audiebat autem ipsum sitire et non poterat ei potum porrigere. Videbat ipsum vulneratum et non poterat vulnera ejus ligare. Videbat corpus ejus cruentatum et non poterat linteo extergere. Videbat ipsum male tenentem caput et non poterat sustentare. Videbat ipsum expirare et non poterat eum amplexari. Videbat sanguinem ejus in terram defluere et non poterat colligere. Videbat eum in cruce flere et non poterat lacrimas extergere. Et ideo poterat illud dicere [1.] Reg. 1$^{o}$[,15]: *Mulier infelix nimis sum ego*. Videbat ipsum tunica spoliari. De isto cogitant capillatores[?].

Accrevit eciam dolor ejus, quia consilio et auxilio erat destituta. Apostoli autem ab ipsa fugerunt et ipsam solam reliquerunt. Et ideo illud dicit Eccli. [51,10]: *Ecce respiciens eram ad adjutorium hominum etc.* [Luc. 23,49:] *Stabant autem noti ejus a longe*. Maria autem, cum viderat 4$^{or}$ rivos sanguinis defluentes, crucem amplectens dixit: Ve mihi de tali aspectu **[150r:[65]]** ut quod umquam filium genui, quem sic laceratum video. Orate, matres omnes, ne in filiis vestris talia videatis, et condoletis mihi misere matri.

Intuens autem filium ait: Karissime fili, ubi est gaudium, quod angelus nunciavit mihi dicens: Ave gracia plena. Hoc gaudium plene perdidi, quia non gracia sed dolore omnia membra mea repleta sunt. Ubi est gaudium nativitatis, cum te speciosum concepi. Nunc autem video te pallore tabefactum. Jam, fili, cui relinquis matrem? Quid faciam? Patrem non habeo, matre careo. Nunc unicum solacium anime mee coram oculis meis morientem video. Nunc igitur misericors, fili, ut diceris, miserere

[65] f. 149r-v is a small inset paper, the contents follow after this sermon

matris tue. Trahe me ad te ut patiar pro te. Cur sine matre vis mori, quia vivere absque te mors mihi est et mori tecum vita est mihi? Cui filius nihil respondit. Cui ipsa: Karissime fili, cur mihi non loquaris? Audi matrem plorantem. Memento quia te sub corde meo portavi et uberibus te lactavi. Quo dicto resedit et gemitum pro verbis effudit. Eaque ita gemente et filium respiciente resumptis denuo viribus ait: Jam, fili, sermonis mei finis advenit, quia nec ego loqui nec tu respondere poteris, saltem unicum verbum loquere, et tunc ambo moriamur. Et tunc aperiens oculos plenos sanguine dixit matri [Joh. 19,26]: *Mulier, ecce filius tuus,* quasi dicens: Ex quo in me desperasti, habes hunc pro me.

**[Nota f. 150r:]** Hoc nonnulli autumant de Johanne, sed falsum est, quia Dominus de seipso dicit tamquam aperte diceret: Vide quomodo homo ex te natus patitur, quomodo caro ex te sumpta pendit.

**[150r cont.]** Deinde consolans discipulum ait [Joh. 19,27]: *Ecce mater tua*, quasi dicens: Curam ejus geras sicut matris. Quo dicto ostendit anime passionem dicens [Thren. 1,12]: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte dolorem meum*, quasi dicens: Attendite interius matris mee dolorem, exterius plenus crucior vulneribus. Et tunc deflevit mortem suam et clamans obiit.

Postquam autem emisit spiritum, unus ex militibus lancea latus ejus perforavit. Cui mater: Quid, inquit, facitis? Eciam mortuo non parcitis? Et tunc dixit Maria Magdalena: Jam filius tuus mortuus, quod ipsa audiens cecidit in faciem suam et cum clamore et luctu Jherusalem intravit. Viderat enim caput inclinatum ad osculandum, brachia extensa ad amplexandum, manus perfossas ad largiendum, latus perfossum ad diligendum, totius corporis extensionem. Et tantum de illo sermone.

**[149r:]** Bernardus questionem facit ad beatam virginem dicens: Karissima domina, fuisti tunc in Jherusalem, quando filius tuus ductus erat ad domum Anne? Respondit Maria: In Jherusalem eram, quando filius meus ductus erat ad domum Anne. Ego sequebar eum, sed cum magna necessitate et pressura intravi domum, quando vidi quod filius meus dilectus pugnis percutiebatur, alaphis cederetur et in facie conspueretur. Tunc habui maximam tristiciam et dolorem cordis. Videte quod ista omnia sustinuit beata virgo Maria. Probate quid sustinuit in corde suo. Ergo poterat bene dicere verba ista Jeremie [Thren. 1,18]: *Audite, obsecro, universi et videte dolorem meum.* Et sciatis quod turbacio ejus incepit in nocte ante parascevem et duravit usque resurreccionis diem, et nullum consolatorem habere poterat, quamvis sorores ejus et beata Maria Magdalena apud eam erant, sicut dicit Bernardus: Iste cum ea in tantum

plorabant, quod eam consolari non poterant. Et cum beata virgo Maria videret filium portantem crucem et manus crucifigi et pedes clanis perforari, tantum plena fuit tristicia et clamavit, sicut dicit Bernardus: Fili mi, ve mihi, miserere mihi matri tue. O fili karissime et dulcissime, exaudi matrem tuam. Decet enim filium exaudire matrem. Obsecro, suscipe me in tuo patibulo ut ego tecum moriar. Ipsa clamavit: O judei miseri, o judei impii, nolite mihi parcere. Ex quo filium crucifigitis et matrem crucifigite.

Tandem **[149v:]** cum audiret filium clamantem in patibulo crucis et expirantem, tunc habuit tantum dolorem, sicut dicit Bernardus, quod nec lingua loqui possit nec mens cogitare. Tunc Maria stabat juxta crucem quasi mortua, sed quando reversa fuit ad seipsam, dixit ad judeos, et istud bene fuit circa horam vesperarum: O judei miseri, ex quo noluistis dare mihi filium meum vivum? Detis tamen eum mihi modo mortuum. Tunc enim quidam nomine Joseph, qui fuit discipulus Christi, occulte ivit ad Pilatum audacter petens corpus Christi, quod cum videretur, quod volebant eum deponere, hic quidquid ad hoc juvare poterat, hoc fecit.

Et cum depositus esset de cruce ad terram, mater ruit super corpus filii et amarissime flevit et dixit: O karissime fili, quare judei male te crucifixerunt. Ve mihi matri Christi, ubi modo est gaudium meum, quod in nativitate tua habui? Modo versum est in tristiciam et dolorem. Cum ergo circa horam completorii, dum Joseph et Nichodemus vellent ponere corpus in monumento, Maria ruit super corpus et volebat cum illo sepeliri et osculans illud dicens [Job 19,21]: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei,* quasi diceret: Reliquite mihi adhuc parum ut faciem dilecti filii mei valeam contemplari. Si autem vultis eum sepelire et non exspectare, tunc matrem sepelite cum eo. Ipsi volebant eum sepelire, sed mater eum firmiter tenuit. Tunc omnes, qui apud eam erant, flebant amarissime et in tantum, quod non poterant loqui, et sic cum magno planctu sepelierunt eum. Sepulto Domino fuit Maria introducta in Jherusalem ab illis, qui apud eam erant. Et Johannes evangelista recepit eam et consolabatur eam omnibus modis, quibus potuit.

**[149Ar:]** De tribus Christum judei accusabant sc. quod tributum dari cesari prohibebat, $2^o$ quia se regem dicebat, $3^o$ quia filium Dei se faciebat. Contra has $3^s$ accusaciones dicimus in parasceve in persona salvatoris $3^s$ excusaciones [Mich. 6,3]: *Popule meus etc.*, ubi exprobat tria beneficia eis sc. judeis collata sc. liberacionem ab Egypto, pavimentum regale in deserto, plantacionem vinee in loco optimo, quasi diceret Christus: Accusas de reddicione tributi. Potius gracias agere debes, quia liberavi te a

tributo. Accusas quia dixi me regem, potius gracias agere deberes, quia regaliter pavi te in deserto. Accusas quia filium Dei dixi me, potius gracias agere deberes, quia te in vineam meam elegi et in loco optimo te plantavi.

**[149Av:]** Ambrosius: Auctor pietatis in cruce pendens in secularibus negociis pietatis officia dividebat. Dabat persecucionem apostolis, pacem discipulis, corpus judeis, patri spiritum, virgini paranymphum, crucem christianis penitentibus commendabat. Ecce testamentum quod fecit Christus in cruce pendens.

## De ascensione Domini[66]

*Dominus Jhesus, postquam locutus est eis, assumptus est in celum.* [Marc. 16,19]. Sicut Dominus noster humanitatis sue infirmitatem ostendit in nativitate et passione, ita divinitatis sue potenciam ostendit in sue resurreccione et ascensione. Ideo in evangelio, quod de sua ascensione legitur, Dominus appellatur cum dicitur Dominus Jhesus, ubi circa ascensionem ejus tria insinuantur. Primum est ascendentis potencia cum dicitur: Dominus. 2$^{m}$ est ascensionis evidencia cum subditur: Postquam locutus est. 3$^{m}$ ascendentis gloria et hoc cum adjungitur: Assumptus est. Quantum ad primum dicit: Dominus Jhesus. Dominus est nomen potestatis, sicut dicit Ambrosius, et Dominus dicit Mat. ultimo [28,18]: *Data est mihi omnis potestas in celo et in terra.* Unde sicut solet populus occurrere alicui magno principi vel duci vel regi, sic hodie processiones facte sunt Domino Jhesu. Una de celo in qua erant angeli, alia de mundo in qua apostoli, 3$^{a}$ de limbo in qua erant anime erute de tenebris inferi. Unde ad Phil. 1$^{o}$ [2,10]: *In nomine Jhesu omne genu flectatur etc.*

Sequitur 2$^{m}$: Postquam locutus est, quasi dicens: Loquebatur eis et in presencia eorum, quibus loquebatur, assumptus est. Ascensurus autem Dominus verba loquebatur apostolis. Primum fuit increpacionis, unde in evangelio [Marc. 16,14]: *Et exprobravit incredulitatem cordis.* 2$^{m}$ fuit exhortacionis, unde [Mat. 28,19]: *Euntes in mundum etc.* omni creature sc. homini qui habet aliquid commune cum omni creatura, ut dicit beatus Gregorius in homelia. 3$^{m}$ fuit verbum instruccionis, unde [Marc. 16,16]: *Quicunque crediderit et baptizatus fuerit.* 4$^{m}$ fuit consolacionis, unde dixit

[66] From the sermons of Mathias Ripensis, Cod. Ups. C f. 83r-85v, cf. p.

in epistola [Act. 1,8]: *Accipietis virtutem supervenientis spiritus sancti in vos.*

3^m ascendentis gloria innuitur, cum subditur: Assumptus est in celum, et determinatur hic Christi gloria quantum ad locum. Unde dicit: Assumptus est in celum. 2^o quantum ad situm. Unde dicit quod sedet. Sedere enim competit divinis doctoribus [et] judicibus. 3^o quantum ad statum, quia ad dextrum Dei sc. in equalitate majestatis secundum divinitatem ut ad dextrum Dei sc. in potestatibus[?] bonis secundum humanitatem. Illuc ergo nostre mentis intencio, quo solempnitatis hodierne gloriosus auctor ingressus est, semper intendat ut ubi ipse intravit, pervenire mereamur. Tantum de illo sermone 3^o.

### 3^us sermo de passione Domini[67]

Passio Domini nostri Jhesu Christi fuit amara ex dolore, despectiva ex illusione et ex utilitate fructuosa. Dolor causabatur ex quinque. Primo ex eo quod fuit ignominosa quia in loco ignominoso sc. in Calvaria, ubi malefactores puniebantur, et ignominoso supplicio quia morte turpissima condempnatus est. 2^o ex eo quod fuit passio ejus injust quia [1.Pet. 2,22] *non est inventus dolus in ore ejus.* De tribus enim injuste eum attractabant [accusabant?] sc. quia tributum prohibuisset dari, 2^o quia regem se dicebat, 3^o quia filium Dei se faciebat. 3^o passio ejus fuit ex dolore amara quia fuit ab amicis. Tolerabilior esset enim dolor, si pateretur ab inimicis, sed patitur ab amicis sc. ab hiis, qui deberent esse amici sui. Item a proximis sc. ab hiis, de quorum natus est stirpe. Ps. [37,12]: *Amici mei et proximi mei etc.* Job xxx [19,13]: *Noti enim mei quasi alieni recesserunt a me.* Item ab hiis, quibus multa bona contulerat. Joh. viii^o [10,32]: *Multa bona opera etc.*

4^o passio ejus fuit amara ex dolore racione tenerrimi corporis, quia quanto natura nobilior tanto pena dolorosior. 5^o fuit amara quia vilis fuit per omnes partes et per omnes sensus. Primo fuit hic dolor in oculis, quia lacrimatus est sicut dicitur ad Hebr. v^o [5,7]. Ascendit in altum ut longius audietur, fortiter clamavit ut nullus excusaretur, clamori lacrimas addidit ut homo compateretur.

2^o fuit in auditu. Cum enim obprobria et blasfemie jurgate sunt contra 4^or. Quia cum Christus quantum ad divinam naturam excellentissimam

[67] Part of this sermon also fol. 281r

haberet nobilitatem et esset eterni regis filius, eciam quantum ad humanam naturam de regia stirpe progenitus esset, rex regum et Dominus dominantium. Haberet eciam ineffabilem veritatem, quia [Joh. 14,6:] *Ipse est via, veritas et vita*. Et alibi [Joh. 17,17]: *Sermo tuus veritas est.* Haberet eciam insuperabilem potestatem, quia [Joh. 1,3] *omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil.* Haberet eciam bonitatem singularem, quia [Mat. 19,17] *nemo bonus nisi solus Deus.* Contra nobilitatem Christus audivit blasfemias et obprobria. Mat. xiii[o] [13,55]: *Nonne hic est filius fabri. Nonne mater ejus dicitur Maria etc.* Contra potestatem Mat. xii [12,24]: *In principe Beltzebub ejicit demonia.* Item Mat. xxvii [27,42]: *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.* Ecce dicunt eum impotentem, cum tamen persecutores suos sola voce prostraverit, ut dicitur in Joh. ultimo [18,6] quod *ceciderunt in terram*. Et contra Christi veritatem Joh. viii[o] [8,13]: *Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum.* Dicunt eum mendacem, qui est veritas.

Sed Pilatus hanc veritatem scire non meruit, quia ipsum sc. veritatem non judicavit. Inchoavit quippe judicium a veritate, sed in veritate non permansit, et ideo de veritate questionem meruit inchoare, sed non meruit solucionem audire. 2[a] racio est secundum Augustinum, quia cum illam questionem fecisset, mox venit sibi in mentem consuetudo judeorum, **[151v:]** qua solebat unus dimitti in pascha, et ideo statim exiit et solucionem non exspectavit. Alia racio est secundum Chrisostemum, quia sciebat quod questio tam difficilis indigebat multo tempore et multa discussione, et ipse ad liberacionem Christi properabat et ideo statim exiit. Item contra bonitatem Christi improperabant. Dicebant enim eum esse peccatorem, item dicebant eum esse seductorem. Joh. [9,24]: *Nos scimus quod homo peccator est.* Item dicebant eum seductorem in sermone. Unde [Luc. 23,5]: *Commovit universam Judeam.* Item legis prevaricatorem quando dixerunt [Joh. 9,16]: *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non exercet.*

3[o] fuit in odoratu quia magnum fetorem sentire potuit in monte Calvarie, ubi erant corpora fetida mortuorum. 4[o] in gustu, ubi dabatur ei acetum cum mirra et felle mixtum. 5[o] fuit in tactu, quia [Is. 1,6] *a planta pedis usque ad verticem non fuit in eo sanitas*. De hoc qualiter in omnibus sensibus dolorem habuit, dicit Bernardus: Caput angelicis tremebundis spicibus[?] densitate spinarum pungitur. Facies pulchra pre filiis hominum sputis judeorum deturpatur. Oculi lucidiores sole caligantur in morte. Aures consuete angelorum concentibus audiunt peccatorum insultus. Os quod docet angelos, felle et aceto potatur. Pedes quorum scabellum

adoratur, quoniam sanctum est, cruci clanis affliguntur. Manus que formaverunt celos, sunt in cruce extense. Corpus laceratur, latus lancea perforatur, et quam plura non remansit in eo nisi lingua, ut pro peccatoribus exoraret et matrem suam discipulo commendaret.

$2^o$ ejus passio fuit ex illusione despecta. $4^{or}$ enim vicibus fuit Christus illusus, primo in domo Anne ubi recepit sputa et alaphas et velacionem oculorum. Bernardus: Vultum tuum, bone Jhesu, in quam desiderant angeli tui prospicere, sputis coinquinaverunt, manibus percusserunt et velo pro derisione operuerunt, nec amaris vulneribus pepercerunt. $2^o$ fuit illusus in domo Herodis, qui eum fatuum nec sane mentis existimans pro eo, quod responsum sibi non redderet, eum veste alba indutum illusit. Bernardus: Tu homo es et habes sertum de floribus, et ego Deus habeo spineam coronam. Tu in manibus habes cyrothecas et ego clanos defixos. Tu in albis vestibus tripudias, et ego pro te fui derisus in veste alba. Tu tripudias cum pedibus, et ego cum pedibus laboravi. Tu in choreis brachia extendis in modo crucis in gaudium, et ego ea extensa in cruce habui in obprobrium. Tu in cruce exultas, et ego in cruce dolui. Tu habes pectus et latus ornatum in signum vane glorie, et ego latus fossum habui pro te. Tamen revertere ad me, et ego suscipiam te. Queritur quare **[152r:]** Dominus Herodi, Pilato et judeis hodie tacebat. Prima racio est quia non erant digni suam audire responsionem. $2^a$ quia Eva peccaverat per loquacitatem, et ideo Christus voluit satisfacere per taciturnitatem. $3^a$ racio est quod quidquid respondebat, totum calumpniabantur et damnabant.

$3^o$ fuit illusus in domo Pilati, ubi milites clamidem coccineam circumderunt ei, arundinem in manum dederunt et coronam spineam super caput posuerunt et genu flexo dicebant: Ave rex judeorum. Illa autem corona dicitur fuisse de juncis marinis, quorum acies non minus dura spina est et penetrativa. Unde et sanguinem de capite creditur corona illa spinea extraxisse. Unde Bernardus: Caput illud divinum multiplici spinarum densitate usque ad cerebrum confixum est. De divina autem ejus anima, ubi tunc fuit, tres opiniones oriuntur. Utrum sit in corde propter illud [Mat. 15,19]: *Exeunt multe cogitaciones de corde.* Vel in sanguine propter illud [Levit. 17,14]: *Anima omnis carnis in sanguine est.* Vel in capite propter illud [Joh. 19,30]: *Inclinato capite tradidit spiritum.* Hanc triplicem opinionem judei saltem ipso facto videntur scivisse, nam cum ejus animam de corpore evellerent, quesierunt animam in capite cum spinas usque ad cerebrum infixerunt. Quesierunt in sanguine, cum ejus venas in pedibus et manibus aperuerunt. Quesierunt in corde, cum latus ejus perforaverunt. Contra has tres illusiones in parasceve premittimus ante revelacionem

crucis tres adoraciones dicentes: Agios, Agios, Agios, quasi tibi honorantes.

4o fuit Christus illusus in cruce. Mat. xxvii [27,41-42]: *Principes sacerdotum illudentes cum senioribus et scribis dicebant: Si rex Israel est, descendat de cruce. Tunc ei credimus etc.* Bernardus super hunc locum: Interim patienciam magis exhibet, humilitatem commendat, obedienciam implet et caritatem perficit. In hiis nempe virtutum gemmis 4or cornua crucis ornantur, et supereminentior caritas, a dextris obediencia, a sinistris patiencia, radix omnium virtutum humilitas in profundo. Hec omnia que Christus passus est, Bernardus recolligit dicens: Memor ero quamdiu vixero laborum, quos pertulit in predicando, fatigacionum in discurrendo, vigiliarum in orando, temptacionum in jejunando, lacrimarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo, postremo conviciorum, sputorum, colaphizorum, subsannacionum, exprobracionum.

3o ejus passio fuit utilitate multiplici fructuosa. Cujus utilitas potest esse triplex sc. peccatorum remissio, gracie collacio et glorie exhibicio, et hec tria notantur in titulo crucis, quia Jhesus quoad primum, Nazarenus quoad 2m et rex judeorum quoad 3m. De ejus crucis utilitate dicit Augustinus: Culpam delevit sc. presentem, preteritam et futuram. Preterita peccata tulit ea remittendo, presentia homines ab eis retrahendo, futura graciam, **[152v:]** qua vitarent, confirmando. De ejus crucis utilitate dicit Augustinus: Admiremur, gratulemur, laudemus, amemus, adoremus, quoniam per redemptoris nostri mortem de tenebris ad lucem, de morte ad vitam, de corrupcione ad incorrupcionem, de exilio ad patriam, de luctu ad gaudium vocati sumus.

Quam utilis autem modus redempcionis nostre extiterit, patet ex quinque racionibus, quia fuit acceptissimus ad placandum et reconsiliandum Deum, quia sicut dicit Anselmus in libro Cur Deus homo: Nihil asperius et difficilius potest homo pati ad honorem Dei sponte et non ex debito quam mortem, et nequaquam magis se homo potest Deo dare, quam cum se morti tradat ad honorem ipsius, et hoc est quod dicitur ad Eph. iii [5,2]: *Tradidit seipsum oblacionem et hostiam Deo in odorem suavitatis.*

Qualiter enim fuit sacrificium Deo nos placans et reconsilians, dicit Augustinus in libro de trinitate, quia in omni sacrificio 4or considerantur: Cui offeratur, quid offeratur, quis offerat et pro quibus offeratur. Idem: Unus utriusque mediator per sacrificium pacis reconsilians nos Deo cum ipso. Item pro quibus offerebat, dicit Augustinus quod Christus est sacerdos, sacrificium, Deus et templum. Sacerdos per quem sumus

reconsiliati, sacrificium quo sumus reconsiliati, Deus cui sumus reconsiliati, templum in quo sumus reconsiliati. Unde quibusdam hanc reconsiliacionem vilipendibus Augustinus in persona Christi exprobrat dicens: Cum esses inimicus patri meo, reconsiliavi te per me. Cum esses longe, ego veni ut redimerem te. Cum inter montes et silvas errares, quesivi te inter lapides et ligna. Quesivi te, ne luporum et ferarum rapido ore laquearis, collegi te, humeris meis portavi te, patri meo reddidi, laboravi, sudavi, caput meum spinis opposui, manus meas clanis objeci, lancea latus meum aperui, tot non dicam injuriis, sed asperitatibus sum laceratus, fudi meum sanguinem, animam meam posui ut conjungerem te mihi, et tu divideris a me.

2[o] fuit congruentissimus ad curandum morbum. Congruitas autem attenditur ex parte temporis, loci et modi. Ex parte temporis quia Adam peccavit in mense Martii et feria vi[a]. Ideo Christus pati voluit in Martio et feria vi[a], hora vi[a]. 2[o] ex parte loci quia locus sue passionis tripliciter consideratur, aut communis, aut specialis, aut singularis. Locus autem communis fuit terra promissionis, specialis locus Calvarie, singularis locus fuit crux. In loco autem communi primus homo fuit formatus, quia in partibus illis juxta Damascum in agro Damasceno dicitur fuisse formatus. In loco speciali dicitur fuisse sepultus, et ideo ubi Christus passus est, Adam dicitur fuisse sepultus. In loco singulari fuit deceptus. Non quod in illo ligno in quo passus est Christus, Adam deceptus fuit, sed pro tanto dicitur, quia sicut Adam deceptus fuit in ligno, ita **[153r:]** Christus passus est in ligno. In quadam autem historia grecorum dicitur quod in eodem.

3[o] ex parte modi curandi, qui quidem modus sit per similia, quoniam sicut dicit Augustinus in libro de doctrina christiana: Per feminam deceptus, per feminam natus, homo homines, mortalis mortales, morte mortuos liberavit. Ambrosius: Ex terra virgine Adam, Christus ex virgine, ille ad imaginem Dei, hic imago Dei, per mulierem stulticia, per mulierem sapiencia, nudus Adam nudus Christus. mors per arborem, vita per crucem, in deserto Christus, in deserto Adam per contraria, quoniam primus homo secundum Gregorium peccavit per superbiam, inobedienciam et gulam. Voluit enim assimiliari Deo per sciencie sublimitatem, transgredi limitem precepti Dei et gustare pomi suavitatem. Et quia mors intravit in mundum per superbiam, ideo vita redit in mundum per humilitatem. Unde Joh. ii [Phil. 2,8]: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem.*

4[o] fuit efficacissimus ad attrahendum genus humanum. Numquam enim sano libertatis arbitrio magis ad amorem suum et fiduciam genus humanum attrahere potuit. Qualiter autem nos ad amorem suum attrahit,

dicit Bernardus: Super omnia reddit te mihi amabilem, bone Jhesu, calix quem bibisti, opus redempcionis nostre. Qualiter autem ad fiduciam suam nos attrahit, dicit ad Rom. viii° [8,32]: *Qui eciam proprio filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum.* Quomodo eciam cum illo nobis non omnia donavit, de hoc eciam dicit Bernardus: Quis non rapitur ad spem impetrandi fiduciam, qui ejus corporis attendit disposicionem. Habet caput inclinatum ad osculum, brachia extensa ad amplexandum, manus perforatas ad largiendum, latus apertum ad diligendum, pedum affixionem ad nobiscum commanendum, corporis extensionem ad se totum nobis impendendum.

5° fuit prudentissimus ad expugnandum humani generis inimicum. Job [26,12]: *Prudencia sua percussit superbum et ultra.* Numquid poteris capere Leviathan hamo? Christus enim hamum sue divinitatis abscondit sub esca humanitatis, et diabolus volens capere escam carnis captus est ab hamo divinitatis. De hac prudenti capcione dicitur: Venit redemptor et victus deceptor, et quid fecit redemptor noster deceptori nostro? Tetendit muscipulam, crucem suam, posuit in ea escam sanguinem, ipse autem voluit fundere sanguinem.

**[f. 153v is blank]**

## Gesta romanorum

Dorotheus imperator statuit pro lege quod parentes filii sustentarent et honorarent. Erat tunc temporis in imperio quidam miles et sua militissa, et ex ea filium genuit. Profectus est miles ad peregrinandum. In via captus est et fortiter vulneratus, et statim scripsit uxori et filio pro sua redempcione. Hoc audiens uxor in tantum flevit, quod ceca facta est. Ait filius matri: Volo ire ad patrem, ut eum redimam a vinculo. Ait mater: Non ibis eo quod unicus filius [es] et gaudium anime mee, et possit tibi contingere sicut et patri tuo. Malis patrem absentem redimere quam matrem presentem alere? Tu es filius patris tui, sed de utero meo exivisti. Ego sum presens, non autem pater tuus. Concludo ergo te ut nullomodo a me recedere debes. Respondit filius: Licet mater mea es, tamen pater meus principalis causa est mee generacionis. Pater meus profectus est peregere, tu autem es domi. Ille captus est et fortiter vulneratus, tu vero es libera. In manus inimicorum est, tu vero inter amicos. Ille vero inclusus, tu vero non. Tu vere ceca est, ille vero non videt lucem, catenas et miserias patitur. Ego pergam ad eum et ipsum redimere queso. Et factum est.

Mistice iste imperator est pater celestis, qui statuit pro lege quod filii honorarent et sustentarent parentes et in omnibus eis obediant. Sed quis est pater et que mater? Ecce pater est Christus. Unde Deut[mii] [32,6]: *Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, fecit et creavit te.* Scitis, quando puer transgreditur, pater eum dure verberat et corrigit. Sed mater dulciter et leniter tractat ut puerum mulceat. Christus vult nos flagellare propter nostros defectus. Quicunque ergo est in peccato mortali, iste jacet in carcere diaboli. Sed pater vult ut liberemus [liberemur?] pro redempcione. Quicunque enim predicat fructuose verbum Dei, lucretur patrem de carcere. Sed mater sc. mundus non permittit homines sequi Christum in paupertate et bonis operibus. Illa enim mater ceca est sc. mundus dicit homini: Veni mecum, ego sum presens. Fruamur que sunt, utamur creatura tantum in juventute celeriter. Sed bonus filius non advertit consilium matris. Non ergo exspectemus senectutem et cecitatem, sed studeamus celeriter vitam nostram emendare, quod possumus ad eternam vitam pervenire.

Allegoria de Adam. Sequitur de imperatrice noverca. Borogonius regnavit in civitate romana, qui pulcherrimam uxorem accepit, que ei filium peperit. Crevit autem puer et ab omnibus **[154v:]** dilectus. Cum autem x annos complevisset, mortua est imperatrix mater ejus et honorifice

sepulta. Post hec ab omni consilio imperator aliam uxorem duxit, que filium prioris uxoris [non] dilexit, sed multa obprobria intulit. Imperator hoc percipiens volens placere uxori filium extra imperium misit ad studium. Filius artem medicine didicit et in tantum profecit, quod factus est physicus optimus. Post hec imperator audiens quod filius ejus multum proficeret, gavisus est valde. Verum imperator cecidit in magnam infirmitatem, literas misit pro filio ut ad eum citius veniret et eum a sua infirmitate curaret. Filius vero, cum voluntatem patris intellexit, ad eum venit et cum operacione medicinali eum curavit. Unde fama per totum imperium volavit eo quod filius imperatoris subtilis physicus esset. Post hec imperatrix noverca usque ad mortem infirmabatur, et multi medici fuerunt adducti, qui de ejus sanitate desperabant.

Hoc audiens imperator filium suum rogavit ut eam curaret. Ait iste: Peticiones tuas non exaudiam. Cui imperator: Si sic agis, te extra imperium expellam. Ait filius: Si sic agis, injuste agis. Unde bene sis [scis] quod me extra imperium exclusisti propter ejus suggestionem. Unde absencia mea fuit causa doloris tui et tue infirmitatis. Eodem modo presencia mea fuit causa doloris noverce mee, et ideo nolo ei medicinam dare, quia si medicinam ei darem et non proficerem, mihi imputaretur. Et ait pater: Eundem morbum habet, quem ego habui. Respondit filius: Pater, licet sit eadem infirmitas, tamen non est eadem complexio in te et in ea. Quia quidquid feci, gratum feci. Quando palacium tuum intravi, recreatus fuisti. Sed si noverca mea me videt, magis gravatur. Si ei loquor, dolore incenditur. Si tango eam, extra se erit. Ideo nihil potest magis egris prodesse quam curari ab illo, quem volunt, quem desiderant, quem affectant. Et sic per tales raciones filius evasit indignacionem patris, et mortua est noverca.

Mistice iste imperator potest dici Adam, primus homo qui imperium habebat paradisum, et constituit eum Dominus Deus dominum totius mundi juxta illud [Ps. 8,6]: *Juxta te gloria et honore coronasti.* Ipse desponsavit sibi pulchram uxorem sc. animam ad imaginem Dei **[155r:]** creatam, de qua et cum qua genuit filium sc. Dominum Jhesum Christum ex sue carnis produccione. Sed uxor ejus sc. anima ejus mortua est per peccatum suum loquendo[?] quod commisit. Statim aliam uxorem duxit sc. iniquitatem, per quam de paradiso ejicitur. Sed filius Dei, qui erat filius ejus secundum carnem, de imperio celesti propter iniquitatem ejus descendit de celo, qui factus est summus medicus. Ille omnes infirmitates nostros curavit in tantum, quod fama ejus volavit ad celum, ad terram et ad infernum.

Sed pater Adam graviter infirmatus propter peccatum commissum in corpore et in anima. In corpore quia perdidit paradisum, in quo fuit et numquam aliquid mali sensisset, in anima vero quia a Deo erat separatus. Christus autem optime et perfecte curavit eum sua passione. Sed noverca[m] sua[m], quam Adam desponsavit sc. diabolum, cui datus erat quasi convictus, numquam curare volebat. Dic mihi quare et ex quo eandem infirmitatem habebant? Quia per peccatum ambo infirmati sunt et ceciderunt, et non sunt ambo curati. Ad hoc dicendum est quod licet ambo peccaverunt, tamen alio et alio modo, quia diabolus propria voluntate cecidit. Ergo noverca sc. diabolus non potuit curari. Homo vero per diabolum erat seductus, et ideo ipsum Deus curavit. Studeamus ergo, si per aliquod peccatum medicus sit expulsus a nobis, ut per opera misericordie revertetur ad curandum nos ab omni infirmitate corporis et anime, et per consequens vitam eternam obtinebimus.

De torneamentis contra diabolum. Adamas regnavit dives valde, qui torneamenta et hastiludia multum diligebat. Unde quoddam torneamentum fecit proclamari, et quicunque in torneamento fortior existeret, mercedem condignam ab imperatore optineret. Imperator ordinavit ut milites dividerentur, ita quod ab una parte plus valentes ordinavit, et tot ex alia parte. Illi vero qui primo ordinati fuerunt, omnia scuta sua in uno loco ad hoc deputato per ordinem posuerunt. Hoc facto imperator precedit ut quicunque ex alia parte scutum alterius cum hasta tangeret, ille cujus scutum tactum erat, ad torneamentum ascenderet, et una virgo ad hoc electa armaret eum, donec contra alium luderet. Et si eum in ludo obtineret, ista die corona regis coronari deberet et juxta latus regis in mensa **[155v:]** collocaretur. Miles quidam hoc audiens diligenter omnia facta perspexit, et unum scutum, in quo ludere volebat, tetigit. In consequenti[?] per unam puellam se armari fecit, descenditque puella, et contra eum ludebat, in quo ludo caput amputavit illius, qui scutum suum tetigerit. Mercedem condignam ab imperatore recepit.

Iste imperator est pater celestis qui torneamenta dilexit, quando contra diabolum pugnavit, quando in celo commissum est bellum inter Deum et diabolum. Deus enim tria scuta fecit, sc. potencia que est scutum patris, sapiencia que est scutum filii, bonitas que est scutum spiritus sancti, et ista tria posuit Deus in uno loco determinato sc. in humana natura, quando creavit hominem ad imaginem suam, ut homo dominabitur bestiis terre. Ecce potencia que est scutum patris. Item primus homo sc. Adam habuit scienciam de omnibus rebus. Ecce sapiencia que est scutum filii. Primus

homo fuit in gracia et dileccione Dei et proximi. Ecce bonitas que est scutum spiritus sancti. Malignus autem spiritus in malo obstinatus volens pugnare contra Deum accessit ad hominem in quo scuta sunt sc. trium personarum, et unum scutum tetigit sc. potencia, que est scutum patris, dicens: [Gen. 3,5] *Si comederitis, estis sicut dii scientes bonum et malum.* Tactum est scutum Dei. Ideo Deus pater misit filium suum ut malignum spiritum nobis expugnaret. Istum filium armavit una virgo electa sc. beata Maria, de qua humanam naturam assumpsit, cum qua eam ad vitam eternam perduxit.

De basilisco. Alexander regnavit, qui dominium totius orbis obtinuit. Accidit quodam tempore quod quendam exercitum et quandam civitatem obsedit, qui in eodem loco plures milites amisit sine omni vulnere. Cum enim de hoc admiraretur, philosophos et sapientes vocavit et ait eis: Quomodo potest hoc fieri quod milites mei ita subito sine omni vulnere inficiuntur et moriuntur? Dixerunt ei: Ibi est unus basiliscus super murum, cujus aspectu milites inficiuntur. Ait Alexander: Quale remedium est contra basiliscum? Qui dixerunt: Optimum. Ponatur speculum inter exercitum et murum elevatum, ubi basiliscus moratur. **[156r:]** Et cum basiliscus in speculum perspexerit, respectus ejus et intuitus in seipsum redigitur. Et basiliscus in speculum respexit et sic moriebatur, et Alexander civitatem sic expugnavit.

Mistice in hoc mundo summum remedium elacionis vel superbie est consideracio proprie fragilitatis, quia si queritur quare homo superbiat, respondetur quod pondere proprie virtutis caret. Considerans autem propriam fragilitatem tamquam in speculo revertatur ad semetipsum, unde venit, quo tendit et qualis erit. Et sic considerando proprium defectum basiliscum sc. superbiam expellit.

De adultera muliere. Quidam miles fuit qui habuit castrum forte et pulchrum, in quo due cyconie nidificabant, et sub castro erat fons clarus in quo cyconie balneari solebant. Accidit quod femella pullos produxit. Masculus vero per terram volabat ut cibum pro femella colligeret. Sed ista femella eo absente adulterata est et statim, antequam masculus venit, ad fontem descendit ut se sanaret, ne masculus fetorem adulterii in ea sentiret. Miles cum hoc sepius vidisset, admirabatur. Accidit autem cum cyconia iterum fuit adulterata, miles fontem clausit, ne cyconia balnearetur. Illa vero cum fontem clausum vidisset, in nidum reversa est. Et veniens

[masculus] sentiens in ea fetorem adulterii volavit extra et multitudinem cyconiarum secum adduxit. Vidente milite cyconiam occidebat.

Mistice due cyconie sc. masculus et femina, Christum et animam significant, quia anima est sponsa Christi, et quotienscunque sit adulterata per peccatum, ad fontem confessionis recurrat ubi mundari potest. Miles autem qui fontem clausit, est diabolus, qui semper nititur hominem impedire, ne recurrat ad fontem confessionis. Unde si Christus, qui masculus est, in die judicii te lotum non inveniet sc. confessum, sine dubio sentenciam contra te simulabat sentenciabit[?].

De passione Domini. Narrat Eusebius in cronicis de quodam imperatore, qui populum in maxima equitate regebat, nulli parcens tam divitibus quam pauperibus. Senatores autem romani propter hoc eum imperio privaverunt et tamquam pauperem eum fugaverunt. Iste statim ad Constantinum accessit eo quod se sapienter et strenue habuit, et postea electus fuit in imperatorem. **[156v:]** Et congregavit exercitum, Romam obsedit. Et cum romani evadere non possent, quin ab eo caperentur, in isto consilio primo miserunt ad eum seniores civitatis, qui nudis pedibus se coram eo prosternentes et misericordiam petentes, qui nihil profecerunt. Post hec juvenes eorum miserunt, nec sibi expedire potuerunt. 3$^{o}$ miserunt mulieres et ille nec valuerunt. Ultimo miserunt parentes suos. inter quos mater ipsius imperatoris que denudans ei pectora, que sugebat, ostendit. Quod cum vidit imperator, naturali amore compatiens totaliter offensam dimisit. Venit idem imperator in civitatem.

Mistice iste imperator est Christus, qui per peccatum de civitate sc. de corde hominis ejicitur, ac demum de isto [mundo] sc. quando judei eum crucifixerunt. Ille sic expulsus ad patrem perrexit, ubi eligebatur in imperatorem ac judicem in die judicii. Et venit cum exercitu angelorum. Premittamus ergo seniores sc. patriarchas et prophetas ut nobis succurrant. Si autem illos imperator noluerit exaudire, tunc mittamus juvenes sc. apostolos et martyres et confessores et virgines. Et si illos noluerit exaudire, tunc cum bona devocione rogemus matrem Domini nostri Jhesu Christi, et ista obtinebit nobis graciam apud Dominum. Quemadmodum mistice et allegorice est expositum.

De quadam vidua[68]. Quedam vidua nobilis patiebatur multas injurias a quodam tyranno, qui devastavit bona illius. Ista vero multas lacrimas emisit in amaritudine posita. Accidit in una die quod unus peregrinus venit

[68] The same story with the opposite end f. 21v

in domum suam. Vidensque ejus tristiciam pietate motus bellum cum tyranno pro ea habere voluit tali condicione, si in bello pro ea moreretur, baculum suum et peram privatim in camera sua custodiret et memoriam ejus haberet. Quod ipsa promisit. Peregrinus vero cum tyranno bellavit et ipsum interfecit, sed ipse graviter in bello vulneratus est et mortuus. Quo audito domina ipsa fecit ut promisit. Sed postea venit ad istam dominam quidam comes petens eam in uxorem. Illa **[157r:]** intra se cogitavit: Forte comes iste cameram meam intrabit. Verecundia est mihi, si videret baculum et peram peregrini. Et fecit ea ammoveri et sic pacti sui, quod promisit, oblita est.

Mistice domina ista est anima hominis. Tyrannus est diabolus, qui eam privavit hereditate regni celestis per multa tempora, ut in tantum doleat. Nec mirum quia in inferno posita erat, donec peregrinus sc. Dominus noster Jhesus Christus venit, qui de celo descendit in peregrinacionem hujus mundi. Baculus est signum crucis, pera fuit ejus humanitas sc. caro, in qua latuit divinitas. Sed comes qui petiit eam in uxorem, est mundus vel diabolus vel superbia vel avaricia, et sic obliviscitur quod promisit in baptismo. Deus vero, postquam nos habuit de diabolo, petiit a nobis ut frequenter memoriam passionis in camera cordis habeamus. Et ideo studeamus vitam nostram emendare ut ad vitam veniamus.

De pulchra filia imperatoris. Narratur quod quidam imperator habuit pulcherrimam filiam similem sibi, quam promisit scenascallo suo ad custodiendum, et peregere profectus est, et promisit scenascallo magnum honorem, si eam custodiret ad reditum suum. At iste oblitus est preceptum domini sui et male tractavit filiam imperatoris in tantum, quod totam pulchritudinem suam amisit. Post modicum tempus imperator reversus, misit nuncios scenascallo pro filia. Scenascallus misit [invitavit?] tres amicos suos, quibus confidebat, querens ab eis quomodo responderet in conspectu domini sui imperatoris. Primus amicus dixit: Amice, ego ibo tecum usque ad exitum domus. 2$^{us}$ dixit: Ego ibo tecum usque ad portam. 3$^{us}$ promisit eum ducere ante dominum suum ut pro eo responderet. Statim fecit puellam balneari et ungentis optimis ungi et vestimentis indui, ita quod macula penitus in ea [non] appareret, et sic obtinuit graciam domini sui.

Mistice iste imperator est Christus filius Dei vivi, filia autem est munda anima ad similitudinem Dei creata. Scenascallus est caro, per quam anima sepe fit misera. Nuncii 3$^{s}$ sunt multe tribulaciones, quas Deus mittit

homini. Primus **[157v:]** amicus sunt passiones, que ducunt istum ad exitum mortis. 2^us amicus sunt filii et parentes, qui ducunt ipsum usque ad portam sepulchri. 3^us amicus sunt bona opera sc. eleemosyne, jejunia et devote oraciones, que ducunt eum ante suum imperatorem, que et ungunt et lavant eam et postea respondeant, quod graciam Dei optinebit. Studeamus ergo nos a peccatis lavari, et sic vitam eternam obtinebimus.

Erat quidam imperator, qui statuit pro lege quod sub pena gravi quilibet judex judicaret juste. Quidam muneribus corruptus falsum judicium dedit. Imperator hoc audiens servis suis precepit ut eum excoriarent, ut amplius falsum judicium non daret. Et sic factum est, et pellem ejus in loco, in quo judex sedere debuit, deposuerunt ad significandum quod quilibet judex cogitaret et amplius falsum judicium non daret.

Mistice iste imperator est Dominus noster Jhesus Christus, qui istam justiciam legis dedit, ut habetur in Ps. [57,2]: *Juste judicate, filii homines.* Judex qui male judicat, est homo qui habet seipsum judicare, quidquid et quantum et quotiens contra Deum dereliquit. Unde si muneribus sc. temptacionibus diaboli sit corruptus, debet excoriari sc. omnibus peccatis suis per puram penitenciam denudari et pellem ab eo poni, sc. quod semper doleat quod Christum offenderat, et per consequens vitam habebit eternam.

De triplici honore et triplici molestia. Jheronimus scribit illud: Quidam imperator erat qui statuit pro lege quod cuilibet victorialiter de bello vel hastiludo vel torneamento venienti exhibetur triplex honor et 3^s molestie. Primus honor fuit quod populus civitatis obviaret ei cum cantu, leticia et tripudio. 2^us honor fuit quod omnes captivi ligatis manibus et pedibus solvebantur et ipsum sequebantur. 3^us honor quod victor indutus fuit tunica Jovis vel purpurea, et sequebatur eum biga, quam ducebant equi pulchri, et ducebatur ad campum sc. palacium civitatis. Et ne inde nimis superbiret de istis honoribus, triplicem molestiam oportuit eum habere. Prima die prima molestia fuit quod ponebatur in biga et cum eo unus, qui erat vilis condicionis vel ribaldus. 2^a molestia fuit quod servus ejus eum colaphizabat, ne nimis superbiret, et dicebat ei: Nosce teipsum et noli superbire. Respice et memento te hominem esse. 3^a molestia fuit quod cuilibet licebat eadem die dicere **[158r:]** quidquid vellet sc. obprobria et vicia.

Mistice iste imperator fuit pater celestis, victor de bello veniens fuit Dominus noster Jhesus Christus, qui victoriam contra diabolum obtinuit.

Unde in die palmarum triplex ei honor fiebat. Primo quando populus ei obviabat cum leticia in Jherusalem cum ramis palmarum et vestimentis, et pueri cantabant [Mat. 21,9] *Ossianna filio David.* 2[us] honor fuit quod omnes captivi etc. Captivi sunt judei et omnes peccatores ligati, qui eum sequebantur videntes signa, que faciebat. 3[us] honor fuit quod indutus erat tunica Jovis sc. divinitatis conjuncta humanitati,[et sequebatur eum biga] quam trahebant 4[or] equi albi sc. 4[or] evangeliste, qui de ejus divinitate et humanitate locuti sunt et scripserunt. Contra hos 3[s] honores triplex ei molestia fiebat, nam vilis condicionis sc. latro pessimus secum positus erat. 2[a] molestia quod servus eum colaphizabat. 3[a] quod judei in faciem ejus exspuerunt et multa obprobria et vicia contra eum dixerunt.

De morte Alexandri. Cum sepultura ejus fiebat aurea, plures philosophi venerunt ad eum. Primus dixit: Heri Alexander fecit thesaurum de auro, hodie econtrario de thesauro aurum. 2[us] dixit: Heri Alexandro non sufficiebat totus mundus, hodie ei sufficiunt due vel tres ulne de panno. 3[us]: Heri Alexander in populo imperabat, hodie populus imperat sibi. 4[us]: Heri Alexander potuit multos a morte liberare, hodie non potuit mortis vincula superare. 5[us] dixit: Heri Alexander premebat terram, hodie premitur sub terra. 6[us]: Heri timebant omnes Alexandrum, hodie eum vilem reputabant. 7[us]: Heri Alexander multos amicos habuit, hodie nullum. 8[us] dixit: Heri Alexander duxit exercitum, hodie ducitur ad sepulchrum.

Mistice iste Alexander potest dici quilibet dives et potens hujus mundi, qui laborat cum magna diligencia circa mundana et transitoria plus quam circa animam in peccatis jacentem. Philosophi sc. doctores et expositores sacre scripture qui dicuntur divites hujus mundi, quia faciunt ex auro thesaurum. Sed post mortem econtrario. Sicut totus mundus non sufficit avaro, quia quanto **[158v:]** plus habet tanto plus cupit, quia divites dum vivunt, multos habent amicos, sed post mortem omnes recedunt et ipsum derelinqunt. Item dives quamdiu vivit, potest multos secum ducere, sed in morte ab aliis dominatur. Unde Christus dixit Petro [Joh. 21,18]: *Alius te ducet quo tu non vis*.

De ligno sancte crucis. Refert Valerius quod quidam senex flens dixit amicis suis: Habeo arborem in orto meo, in qua uxor mea suspensa est, postmodo 2[a] tunc 3[a]. Ideo est mihi dolor intolerabilis. Ait vicinus cui nomen Ayrus: Miror te in tantis bonis successibus tot lacrimas misisse. Rogo te: Da mihi surculos arboris, quia intendo dividere inter vicinos, ut

quilibet habeat in horto suo [arborem] ad uxorem suspendendam. Quod et factum est.

Mistice hec arbor est sancta crux, in qua pependit Dominus noster Jhesus Christus. Debet poni in corde hominis ut anima habeat integram memoriam dominice passionis. In ista arbore 3[s] uxores hominis suspendantur sc. superbia vite, concupiscencia carnis et concupiscencia oculorum. Homo existens in hoc mundo ducit tres uxores, quarum prima est figura carnis que voluptas carnis vocatur. Alia est figura carnis [mundi?] que vocatur cupiditas. 3[a] est filia diaboli que vocatur superbia. Sed cum peccator ex gracia Dei et spiritus sancti infusione penitenciam et satisfaccionem incipit facere, tunc iste 3[s] uxores voluntatem suam habentes se suspendunt. Superbia se suspendit fune humilitatis, voluptas se suspendit fune jejunii et castitatis, cupiditas largicione eleemosynarum. Ayrus qui petiit surculos arboris, est bonus christianus, qui toto conamine debet conspicere et querere non tantum pro se, sed eciam pro amicis. Sed senex qui flevit, est miser homo, qui magis carnem et ea que carnis sunt diligit quam ea, que sunt spiritus sancti. Tantum talis ad informacionem boni viri ad rectam vitam poterit duci et sic vitam eternam obtinebit.

De duobus filiis imperatoris. Lupinus regnavit in civitate romana, qui sibi pulchram puellam desponsavit que concepit per ipsum et peperit filium. Imperator verum utrumque filium sc. primum et secundum ad nutriendum dedit ad longinquas partes. Isti duo filii erant per omnia consimiles. Cum vero ad longum tempus ibi starent, mater filii desideravit filium suum videre. Rex vero ei concessit et misit nuncios pro duobus filiis suis. Cum autem venissent, similes erant per omnia, quod mater **[159r:]** nescivit quis filius ejus esset. Rex ei hoc indicare noluit. Quod ipsa considerans flevit amare. Imperator ait: Noli flere, iste est filius tuus. Et ostendit ei filium quem de prima uxore genuit. Ipsa hoc audiens gavisa est valde et totam curam dedit illi filio ad nutriendum, et de alio nihil curabat, qui erat proprius ejus filius. Imperator hoc videns ait: Iste non est filius tuus, sed unus illorum. At ista: Quare sic agis mecum? Indica mihi veritatem. At ille: Non faciam, et hec est causa. Si dixissem tibi veritatem, unum velles diligere et alium odire, quod non est conveniens, et ideo volo quod ambos equaliter nutrias et diligas, et cum ad etatem pervenerint, tunc dicam tibi veritatem. Et tunc gaudebit cor tuum. Et sic factum est, et ambos peroptime nutrivit donec veritatem audivit.

Mistice iste imperator est Dominus noster Jhesus Christus, duo filii sc. electi et reprobi, mater est sancta ejus ecclesia. Unde Christus non vult

ut sancta ecclesia sciat, quis sit electus vel quis reprobus, sed quod ambos in vera caritate nutriat, quia si sciret sancta mater ecclesia, unum diligeret et alium odiret. Sed in die judicii tunc sciamus, qui sunt electi et qui reprobi. Sed cum electis nos glorificet, qui cum Deo etc.

De Virgilio poeta. Refert Alexander philosophus de naturis rerum, quod Virgilius in civitate romana nobile palacium construxit, et in medio palacii stetit imago quedam, que dea romana vocabatur[69] et tenebat pomum aureum in manu sua. Et per circuitum palacii erat imago cujuslibet regionis, que subjecta erat romanis, et ligneam campanam tenebat. Quando vero regio aliqua insidias romanis ponere ausa fuit, statim imago illius regionis campanam pulsavit, et statim miles exiit equo eneo insidens in summitate predicti palacii hastam vibrabat, et regionem eandem adierunt et eam devastabant.

Mistice ista civitas est corpus humanum, quod v portas habet sc. 5 sensus. In hac civitate construitur nobile palacium sc. anima racionalis, in cujus medio stat quedam imago nobilis habens pomum aureum in manu. Ista imago est similitudo quam habet homo cum Deo. Tria enim regna sunt in civitate ista, que impugnant civitatem destruere sc. corpus et animam ad infernum trahere. **[159v:]** Sed ista tria regna sc. mundi, carnis et diaboli habent $3^s$ imagines. Imago mundi est cupiditas, imago carnis est voluptas, imago diaboli est superbia. De quibus dicitur [1.Joh. 2,16]: *Omne quod est in mundo, aut est superbia vite aut concupiscencia carnis aut concupiscencia oculorum.* Cum homo considerat quod iste imagines corpus et animam perdere volunt, tunc imago sc. racio debet campanam pulsare et viriliter contra eos stare.

De muliere adulterata. Imperator quidam erat qui statuit pro lege, quod si mulier deprehensa a viro suo in adulterio fuerit, vir et filius ejus, si haberent, eandem interficerent. Accidit quod quidam miles pulchram uxorem habuit, et ipse ad bellum ivit et dextrum brachium in bello amisit. Medio tempore uxor adulterata est. Quod cum miles audisset, contristatus ait filio suo: Fili mi, legem scis. Jure tua mater moriatur. Sed quia dextrum brachium in bello amisi, non possum eam occidere. Ideo volo quod tu secundum preceptum eam occidas. Ait filius: Licet lex hoc precipit, tamen secundum legem alibi habetur: [Deut. 5,16] *Honora patrem et matrem etc.* Si ergo eam occiderem, contra legem facerem, quia mater mea est. Absit ergo a me quod tale peccatum committam, et sic mulier salvata est a morte.

[69] cf f.184r and 208r about the roman statues of the provinces

Mistice sic est de Deo et anima. Ante incarnacionem Domini Deus erat valde austerus, sed pater in passione filii amisit dextrum brachium sc. austeritatem, quia ante passionem oculum pro oculo erui precepit. Ergo quotiens contra legem peccamus mortaliter, totiens mori deberemus eternaliter. Precepit pater per legem suo filio ut occideremur, sed filius non vult, quia carnem nostram assumpsit.

Vorago Rome. In medio Rome aperta est terra in quodam loco, et abundancia infinita patuit. Super hoc sunt dii interrogati, qui responderunt: Vorago est, nisi aliquis se voluntarie immergat. Sed cum nemo inveniri posset, dixit quidam Amelius nomine civibus: Si per annum Rome libero arbitrio vivere me sinitis, anno elapso gaudenter et voluntarie me immergam. Romani concorditer consentientes nihil autem clauserunt. Anno elapso equo saltu se immisit et statim terra se clausit.

Mistice per Romam mundus iste designatur, in cujus medio est infernus in centro terre, qui erat apertus ante Christi nativitatem, et infiniti in eum ceciderunt. Unde a diis sc. a prophetis recepimus responsum, quod numquam clauderetur, **[160r:]** donec virgo pareret filium, qui pro genere humano contra diabolum pugnaret, et anima ejus cum divinitate ad inferna descenderet. Unde sciendum quod infernus numquam erit apertus, nisi qui eum per peccata sua aperit.

De quodam fure. Quidam fur ad domum unius divitis venit et ascendens tectum cepit auscultare, si aliquis in domo vigilaret. Quod hospes in domo considerans suaviter uxori dixit: Interroga me alta voce qualiter bona que habemus, acquisieram, et non desistes quin dicam tibi. Tunc mulier dixit: O domine, cum non fueris usurarius, qualiter tantam pecuniam, quam habes, acquisieras? Qui quasi coactus suis precibus ait: Noli alicui dicere que dico tibi. Fur quondam fui et furtive, que habeo, congregavi. Cui mulier: Miror cur non fuisti deprehensus. Respondit ille: Magister meus docuit me unum verbum, quod septies dicebam, et tunc per aliquam fenestram vel foramen in domum super radium solis vel lune descendebam et, acceptis rebus que mihi placuerunt, iterum per eundem radium ascendebam. Et sic semper evasi. Cui mulier: Dic mihi hoc verbum, cujus virtute totiens furebaris. At ille: Dicam tibi, et nulli alteri dices. Ecce illud verbum: Septies dixi: Fallax, fallax. Hiis dictis mulier obdormuit, et vir finxit se dormire et stertebat. Tunc fur dixit septies eadem verba et super radium lune laxatis manibus et pedibus sedere voluit, et per fenestram in domum cecidit et magnum sonum fecit, fractisque cruribus et

brachio jacuit semivivus. Dum autem hospes vigilavit, quesivit quid hoc esset, et qualiter cecidisset. Ait iste: Verba fallacie deceperunt me.

Mistice iste fur est diabolus, qui per malas cogitaciones peccati quotidie foramen hominibus facit per consensum. Vir cum uxore dormiens est bonus prelatus, qui ecclesie est desponsatus, qui inter se debent consulere, quomodo diabolum faciunt cadere per radium lunarem, sc. per graciam spiritus sancti, qui nos interius illuminat. Diabolus est fur, qui in nocte peccatrices animas laborat **[160v:]** rapere. Et ideo prelato necesse est vigilare, ne oves suas rapiat et eas secum deportet.

De milite regem offendente. Quidam miles quendam regem offendebat, misit ad regem milites et amicos ut pro eo intercederent. Vix ejus amiciciam sub hoc pactu obtinuit, sc. quod ad curiam regis pedester et equester sc. semiambulans et semiequitans veniret. Et quod secum duceret fidelissimum amicum et joculatorem et inimicum suum perfidissimum. Qua de re miles multum contristatus est et cepit cogitare, quomodo hoc adimpleret. Quadam vero nocte cum peregrinum ad hospicium recepisset quendam, occulte uxori sue dixit: Scio quod peregrinus iste multam pecuniam portat. Volo ergo quod tu consuleris ipsum occidere, et habeamus pecuniam ejus. At ista: Bonum est consilium, mihi placet bene. Cunctis igitur dormientibus in domo circa diluculum miles surrexit et peregrinum excitavit et abire fecit et unum de vitulis occidit et in frusta secuit ponens ea in sacco. Excitavitque uxorem dansque sibi saccum, ut in angulo absconderet, et dixit: Caput cum cruribus et brachiis in hoc sacco posui. Totum autem corpus ipsius cum intestinis sepelivi.

Hiis dictis uxori aliquantulum de pecuniis ostendit, ac si illo peregrino mortuo abstulisset. Cum autem dies appropinquaret, ut se regi presentaret, accipiens ad dextram canem et filium suum parvulum in gremio et uxorem suam ad sinistram seriemque[?] pulcherrimam pro eo et ire cepit. Cumque castro regis appropinquaret, dextrum crus suum super dorsum equi posuit velut equitans, et in terris per alium pedem gradiens sic pedester et equester regis curiam subintravit. Quo viso rex cum astantibus mirabatur et dixit ei: Ubi est amicus tuus fidelissimus? Qui statim evaginavit cultellum et canem auri abscidit, qui cum clamaret et fugeret, ad parvam horam ipse miles revocavit, qui sanguinolentus erat, statim ad militem est reversus. Ait miles regi: Ecce domine, amicum meum fidelissimum adduxi. Cui rex: Ubi est joculator tuus? Et iste ostendit **[161r:]** parvulum suum dicens: Ecce, domine. Non est joculator in mundo, qui tantum solacium conferat mihi, sicut quando filium meum coram me

ludere video. Dicit ei rex: Ubi est inimicus tuus? Statim dedit uxori alapham dicens: Quare tam impudice dominum meum regem intueris? Illa statim dixit: O maledictus homicida, quare me percutis? Nonne in domo tua lamentabile homicidium commisisti. Audite, domine rex, pro modica pecunia quendam pauperem peregrinum occidit.

Quod audiens miles iterum dedit ei alapham dicens: O maledicta, cur mihi falsum crimen imponere non formidas? Que ira statim accensa coram omnibus clamavit dicens: Venite ad domum suam, et ostendam vobis locum in quo occisi caput, crura et brachia sepelivit, et stabulum in quo totum corpus reliquit. Ob hoc astantes ad probandum rei veritatem ad domum militis perrexerunt. Precurrens autem mulier cellarium aperuit, in quo saccus cum vitulinis carnibus est defossus. Qui saccum effodientes visis carnibus obstupuerunt, astuciamque militis cognoscentes dignas sibi laudes retulerunt. Qui postea regi speciali dileccionis vinculo est astrictus.

Mistice miles iste, qui regem offenderat, est quilibet peccator, qui ad obtinendum graciam Domini debet mittere milites et amicos sc. apostolos et alios sanctos, ut ante Dominum suum satisfaciat. Venit pedester et equester. Pedester dico quasi terrena et temporalia contempnendo, equester vero quasi tota carnis desideria contempnendo. Canem quoque suum a dextris pro amico suo fidelissimo adduxit sc. angelum vel confessorem suum, qui animam ejus habet custodire, quem licet gladio suorum criminum vulnerat et offendit, tamen recurrat fideliter amico sc. confitenti. Et tenebit joculatorem sc. parvum puerum in gremio sc. in consciencia que, si bene regatur anima, in ea multum delectantur. Uxorem vero suam a sinistris pro inimico perfidissimo secum ducat sc. carnis molliciem vel demonem seu fallaciam mundi, qui sua secreta coram familia regis et amicis sc. coram **[161v:]** omnibus angelis et sanctis, imminente mortis hora in perdicionem prodat et revelat. Tunc merito laudabitur miles sapiens et discretus propter predictas fallacias. Sic fefellit occulte vitulum mactando et in secreto angulo domus subterrando, nec tamen verum homicidium perpetrando sc. modo indebitum non exercendo, sed jejuniis et oracionibus et aliis bonis operibus insistendo, per que tandem domini sui graciam, quam perdiderat, reprehendit.

Exemplum de 3$^{bus}$ regibus. Rex danorum tres reges magos in honore habuit, qui Christo munera obtulerunt honorifice, et eos Coloniam perduxit et tres coronas aureas regaliter factas eis optulit. Insuper ibidem pauperibus distribuit eleemosynam ipsos honorando. Quadam autem nocte cum dormiret, vidit in sompniis 3$^{s}$ predictas personas et coronas, quas eis

dederat, in capitibus eorum differentes cum magno lumine et claritate ad se venire, et audivit singulariter a singulis sic dicere. Primus sc. senior ad ipsum sic dixit: O frater, multa hic tribuisti, sed plurima tecum deportabis. 2^us^ dixit: O frater mi, feliciter venisti, sed felicius remeabis. 3^us^: Fidem ostendisti, sed completis 4^or^ annis in eternum in celestibus nobiscum regnabis. Primus iterum dixit offerens ei pixidem plenam auro dicens: Accipe thesaurum pecunie, per quem populum tibi subjectum juste judicabis, quia honor regis judicium diligit. 2^dus^ eciam pixidem cum mirra ei optulit dicens: Accipe mirram penitencie, per quam carnis motus illicitos reservabis, quia optime regit qui seipsum regit. 3^us^ optulit ei pixidem plenam thure dicens: Accipe thus devocionis, per quod miserorum levabis jugum, quia sicut ros herbam irrigat ut crescat, sic eleemosyna regis ipsum ad sidera provehit et exaltat.

Quidam dicunt quod idem rex fuit dominus Ericus Egevod.[70] Rex iste danorum potest dici quilibet bonus christianus, qui tenetur tres coronas offerre tribus regibus sc. patri et filio et spiritui sancto. Patri tenetur offerre coronam fidei, quia potens, quia non est bonum frangere fidem potenti. Istam coronam sc. fidem in baptismo fideliter promisisti reddere, quando abrenunciasti diabolo et pompis ejus. 2^am^ coronam sc. spem firmam filio teneris **[162r:]** reddere, quia sapiens est et passus est pro nobis. Ideo spem in eo pre ceteris debemus habere multiplici de causa. Primo in tantum nos dilexit quod de celo descendit et diabolum vicit. 2^o^ quia frater noster est, quia naturam nostram assumpsit. Et ideo spem certam in ipsum habeamus. 3^am^ coronam amoris offerre debemus spiritui sancto, quia ipse est amor patris et filii, et per eum amorem Dei et proximi habere et invenire possumus. Et si ista tria puro corde offerrimus, sine dubio ista tria que sequntur, a patre et filio et spiritu sancto obtinebimus. Primo a patre aurum sc. thesaurum virtutum, per quas virtutes possumus corpus et animam regere et contra diabolum, mundum et carnem viriliter pugnare et sic Deo placere et vitam eternam possidere. 2^o^ a filio pixidem cum mirra, per quod intelligitur mundatum cor. 3^o^ a spiritu sancto thus sc. graciam ut simus devoti plena caritate, et quod omnia peccata, que fecimus contra Deum, deleantur, et vitam eternam habeamus.

De virgine deflorata. Refert Valerius quod Zelongus imperator statuit pro lege ut si quis virginem defloraret, utroque oculo privaretur. Accidit autem quod filius suus filiam cujusdam vidue defloraret. Mater vero imperatori occurrens ait: O domine, legem quam fecisti, implere facias

[70] This line is a footnote, written in another hand

amore Dei. Ecce filius tuus filiam meam rapuit et eam oppressit. Rex hoc audiens precepit ut filio suo duo oculi eruerentur. Dixerunt ad regem: O domine, tantum unum filium habetis, qui est heres vester. Vicium et dampnum esset toti regno, quod imperatorem cecum post decessum vestrum haberemus. Et iste: Nonne vobis constat quod legem istam edidi. Obprobrium mihi esset, quod legem istam non tenerem. Sed ex quo filius meus est primus, qui contra legem meam fecit, beneficium legis perpetrabo. Sapientes dixerunt: Rogamus vos una voce quod apud filium vestrum talia non faciatis. Rex vero precibus victus ait illis: Ex quo ita, o audite me, oculi sui sunt oculi mei. Ergo mihi oculum dextrum eratis et filio meo sinistrum, et tunc lex erit impleta. Et sic factum est. Unde omnes regem laudabant, quia erat tam justus judex in omnibus.

Mistice iste imperator est Dominus noster Jhesus Christus, qui istam legem edidit, **[162v:]** ut quicunque virginem defloraret sc. animam in baptismo lotam, duos oculos amittere deberet sc. visionem Dei et omnium electorum. Iste qui contra legem fecit, est quilibet christianus, qui per peccatum animam suam defloravit. Sed Christus, qui est pater omnium nostrorum, non tantum unum oculum amisit in cruce, sed vitam suam pro peccatoribus. Et ideo oportet ut unum oculum tuum sc. omnes concupiscencias tuas ac carnis delicias per penitenciam et confessionem deleas. Quia impossibile est de deliciis ad delicias posse pervenire.

De die solempno. Tyrus in civitate romana regnavit, qui statuit pro lege quod dies primogeniti sui ab omnibus celebraretur. Et quicunque ista die filii sui nativitatis aliquid operis faceret, morte morietur. Promulgata lege vocavit ad se Virgilium magistrum et ait: Talem legem constitui ut bene scis. Verumtamen multa opera possunt private fieri et occulte, ad quorum noticiam non possum supervenire. Rogo te ut secundum industriam tuam mihi aliquam scienciam componas, per quam possum scire, qui sunt isti qui contra legem editam derelinqunt. Domine, fiat voluntas tua. Virgilius arte magica quandam statuam in medio civitatis Rome statuit, que omnia opera occulta isto die commissa imperatori narrare solebat. Et sic per accionem statue multi sunt morte condempnati. Erat tunc in civitate romana quidam faber nomine Focas, qui in die primogeniti laborabat sicut ceteris diebus. Cum semel in stratu suo jacuisset Focas faber cogitabat, quomodo per accusacionem statue multi fuissent mortui. De mane surrexit et ad statuam ivit et ait: O statua, per accusacionem tuam multi sunt ad mortem positi. Voveo Deo meo, si me accusaveris, caput tuum frangam, et ideo consulo ut nihil de me loquaris.

Hiis dictis domum perrexit. Statim imperator circa horam primam, sicut solitus erat, nuncios ad statuam misit ut ab ea quererent, si quis contra legem commisisset.

Cum autem ad statuam pervenissent et mentem regis protulissent, ait eis statua: Karissimi, levate oculos et videte, que scripta sunt in fronte meo. Illi vere, cum oculos suos levassent, talia in fronte ejus viderunt sc. ista: Tempora mutantur. Homines deteriantur. Qui voluerit veritatem dicere, caput suum fractum habebit. Aliter audi, vide, tace. Et ait **[163r:]** statua: Ite et renunciate domino vestro hoc, quod vidistis et legistis. Nuncii abierunt et omnia domino retulerunt. Imperator dum hoc audisset, precepit xxii militibus ut se armarent et ad statuam pergerent. Et si quis contra statuam aliquid faceret, eidem manus et pedes ligarent et ad eum ducerent. Milites illuc ambulabant et statuam ex parte imperatoris salutabant dicentes quod placeret imperatori, quod illum, qui contra legem fecisset, accusaret, et qui ei minas imposuisset. Ait statua: Accipite Focam fabrum istius civitatis. Iste est qui in nihilo legem tenet, et mihi minas fecisset.

Qui statim Focam acceperunt et eum imperatori presentabant. Ait imperator: Quid est, quod audio de te? Quare legem non tenes editam? Ait iste: Domine, illam non valeo tenere. Ait imperator: Quare? Qui dicit: Propter viii denarios, quia omni die per annum teneor [duos denarios dare], duos denarios accomodo et duos perdo et duos expendo. Ait imperator: Dic mihi de istis denariis ut plenius te intelligam. Ait iste: Domine mi, audite me. Duos denarios teneor dare patri meo, quia bene me nutrivit tempore juventutis mee, et nunc est egenus et bene indiget, ut ego subveniam ei in paupertate sua. Et ideo omni die teneor sibi duos denarios [dare] in recompensacionem beneficiorum. Item duos denarios concedo filio meo, qui intrat scolas, si ipse proficiat ut mihi eos reddat. Item duos denarios omni die perdo super uxorem, quia semper contentari vult et mihi est contraria et proprie voluntatis, et propterea quidquid ei do, hoc totum perdo. Item duos denarios omni die super meipsum expendo in cibis et potibus. Et istos predictos denarios non possum habere sine continuo labore. Date ergo rectum judicium.

Ait imperator: Karissime, satis prudenter respondisti. Vade et similiter labora. Et sic de omnibus propter suam prudenciam a romanis commendatus est. Et post mortem imperatoris Focas propter suam prudenciam in imperatorem est electus, qui pre multis imperium optime regebat. Et ipso mortuo imago ipsius romanis inter alios imperatores depicta est, et super suam viii denarii depicti sunt.

Mistice iste imperator est pater celestis, qui statuit pro lege quod quicunque diem primogeniti sui violaverit, morte morietur. Dies iste est dominica dies vel alie festivitates ab ecclesia institute. Unde dixit [Exo. 20,8]: *Memento* **[163v:]** *quod diem sabbati sanctifices*. Sed heu, plures plura peccata committunt in die dominica quam aliis diebus. Sed Virgilius, qui statuam [fecit], interpretatur spiritus sanctus, qui predicatores ad hoc ordinavit ut annuncient virtutes et vicia, penam et gloriam.

Sed heu, predicator potest dicere sicut statua dixit: Tempora mutantur. Hoc enim manifeste videmus quod quondam tempora fuerunt magis apta propter preces et bonam vitam hominum, quam modo sunt. Terra enim dabat semen magis abunde quam modo. Ergo tempora mutantur propter peccata hominum. Homines deteriantur, sicut clare videmus. In antiquo tempore erant magis devoti homines quam modo. Immo in pueris regnat major malicia quam quondam in senibus. Quare hoc? Quia [1.Joh. 5,19] *totus mundus in malicia positus*. Modo si predicator voluerit veritatem dicere et peccata potentum et divitum arguere, non audet.

Focas est quilibet christianus bonus, qui fideliter quotidie laborat. Iste tenetur patri suo sc. celesti duos denarios dare sc. amorem et honorem, quia in tantum nos dilexit, quod unicum filium suum nobis in terram misit et morte turpissima condempnari permisit pro homine. Item duos denarios debemus filio accomodare. Quis est iste filius? Certe iste, de quo loquitur Isaias [9,6]: *Parvulus filius natus est nobis etc.* Quales denarios debemus ei accomodare omni die? Certe bonam voluntatem et bonum actum quamdiu vivimus. Item ii denarios perdimus super uxorem. Hec uxor est caro nostra sive corpus, que semper contrariatur anime. Isti ii denarii sunt mala voluntas et actus malus. Item ii denarios quotidie expendimus super nosmetipsos sc. dileccione Dei et Christi toto corde et tota anima Deum diligere. Unde si istos viii denarios sic expendimus, ad vitam eternam perveniamus.

**[Nota f. 162v:]**

| | | |
|---|---|---|
| Qui minmum[?].peccat | | impugnans verum |
| aut qui desperat | de Foca | aut induratus non cesset |
| et qui sensus odit | | qui non f.... pugnet |

**[163v cont.:]** De tribus veritatibus. Cenognarus imperator regnavit, qui statuit pro lege quod quicunque malefactor esset captus et coram judice ductus, si tres veritates posset dicere que vere essent sine omni fallacia, quantumcunque magnus malefactor esset, vitam haberet cum omni hereditate. Accidit quod quidam miles contra imperatorem surrexit et multa in imperio perpetravit, quia multos spoliavit et multos interfecit. Judex vero imperatoris eum apprehendit et ligatum eum ad judicium duci fecit. Cum vero adesset dies judicii, dixit **[164r:]** ei judex: Karissime, non [scis] statutum legis? Qui ait: Eciam, domine. Tres veritates oportet me dicere, si volo mortem evadere. Ait ei judex: Cito ergo legem impleas aut hodie suspensus eris in patibulo. Ait ipse: Domine, fac fieri silencium. Quo facto ait: Domine, hec est prima veritas, quam omnibus dicam, quod toto tempore vite mee fui malus homo. Judex hoc audiens dixit astantibus: Estne verum, quod iste dicit? Dixerunt: Si non esset malefactor, huc in statu non venisset. Ait judex: Dic ergo $2^{am}$ veritatem. Ait ille: $2^{a}$ veritas est ista: Multum sum turbatus, et multum mihi displicet quod in ista forma huc veni. Ait judex: Certe credimus. Dic ergo $3^{am}$ veritatem et teipsum a morte liberabis. Ait iste: Hec est $3^{a}$ veritas: Si semel evaderem, numquam in istum locum voluntarie venirem. Dixit ei judex: Certe teipsum liberasti satis sapienter. Vade in pace. Et sic salvatus est.

Mistice iste imperator est Dominus noster Jhesus Christus, qui istam legem edidit quod quilibet malefactor sc. peccator coram judice sc. discreto confessore ductus dicat tres veritates: Ego sum malus et multis peccatis implicatus. $2^{a}$ veritas est quod multum mihi displicet, quod regem celestem sc. Christum in tantum offenderam, quod vix peccata mea per veram contricionem deleri possunt. $3^{a}$ veritas est: Si semel possum evadere per satisfaccionem, numquam amplius voluntarie in istum locum redirem, et sic per consequens inveniens vitam eternam.

De tribus filiis unius regis. Arbor sancte crucis. Ezechias regnavit, qui tres filios habuit quos multum dilexit. Rex iste continuo guerram habebat contra regem Egypti et omnia sua expendit preter unam arborem. Ista enim arbor magnam virtutem habuit in tantum quod omnis infirmus, qui de fructu ejus comedebat, sanitatem accepit. Cum autem idem rex infirmaretur usque ad mortem et evadere non posset, fecit vocari primogenitum suum, dixit: In tantum te et fratres tuos dilexi, quod omnia que habui in guerra expendi preter istam arborem. Sed quia tu es primogenitus filius meus, tibi do de eadem arbore omne quod est sub terra et supra. Alteri vero dedit omne quod erat in latitudine et altitudine. Et $3^{o}$

filio ait: Tu es filius meus junior. Tibi do omne de isto arbore quod est siccum et humidum. **[164v:]**

Hoc dicto emisit spiritum et honorifice est sepultus. Quo facto primogenitus cepit arborem occupare tamquam esset sua. Hoc audiens 2^us^ ait: Quo jure occupas lignum meum? Ait iste: Jure hereditario quia pater meus dedit mihi omne, quod erat de ligno sub terra et supra. Et ideo totam arborem tamquam meam occupare volo. Respondit 2^us^: Pater meus dedit mihi omne longum et profundum et latum, in radice, in medio, in summitate, et ideo lignum est meum sicut et tuum. Hoc audiens junior frater ait illis: Karissimi, quare vultis plus lignum occupare quam ego? Pater meus dedit mihi de ligno omne quod erat siccum et humidum. Ergo meum tantum est et non vestrum. Sed audite me, fratres, ne discordia inter nos fiat, fratres enim sumus, eamus ad regem qui est hic prope, et sicut judicaverit auditis nostris racionibus, simus contenti. At illi: Bonum est consilium Et perrexerunt ad regem.

Et unusquisque suam questionem regi exposuit. Rex cum audisset raciones eorum, dixit primogenito: Tu petis primo columpnam in arbore. Et ideo sis primo minutus. Et fecit unum balneatorem de dextro brachio ipsius sanguinem extrahere. Hoc facto dixit rex fratribus: Ubi est pater vester sepultus? At illi: In tali loco. Et fecit eum extumulari et unum os extrahi et iterum sepeliri. Hoc facto ait: Accipite os ipsius regis mortui et in sanguine primogeniti involvite, et sumat quantum possit. Hoc facto tunc ad solem et ventum posito et sanguis fortiter adherebat ossi. Cum autem os exsiccatum fuit et cruentatum apparebat, tunc precepit rex ut lavaretur cum aqua, et sic factum est. Cum autem os lavaretur, statim sanguis evanuit, et os in suo colore permansit. Tunc rex ait 2^o^ filio sicut et primo, qui eciam minutus fuit ut primus etc. Tunc rex ait 3^o^ filio: Oportet te eciam minui. Quod factum est, et cum sanguis ejus in os patris dispersus erat, et os ad solem et ventum positum fuit sicut prius, sanguis ejus ab osse lavari nullomodo potuit. Quo viso rex ait: Vere tu es filius ejus karissimus. Nam tuus sanguis ex isto osse processit. Fratres autem tui sunt illegitimi et ex adulterio nati. Ideo do tibi arborem et heredibus tuis. Et factum est ita. Et omnes laudabant sapienciam imperatoris, quod tam prudenter judicavit.

Mistice iste imperator est Dominus noster Jhesus Christus, qui pugnavit contra regnum  Egypti sc. diabolum et omnia expendit **[165r:]** in guerra. Unde ipse ait [Mat. 8,20]: *Volucres celi nidum habent etc. Filius autem hominis non habet etc.* Et nil sibi remansit nisi unum lignum sc. arbor sancte crucis. Et quicunque gustaverit de fructu illius arboris, sanitatem recipiet sc. memoriam passionis Christi habuerit, excepto

leproso sc. desperato a misericordia Dei. Et per istos 3s filios designantur tria genera hominum. Per primum potentes et divites quibus datur quodlibet sub terra et supra sc. in terra et aere, quia omnia eis obediant. Sed illis venit aqua superbie et luxurie, et ideo arborem non habebunt. Per 2m filium intelliguntur judices tam seculares quam ecclesiastici, et talibus aliquando venit aqua avaricie sc. bursa plena denariis. Unde [Eccli. 20,31]: *Munera excecant oculos judicum.* Isti duo filii nullomodo possunt arborem sancte crucis optinere nec fructum ejus gustare sc. vitam eternam. Per 3m filium designantur christiani simplices, quorum sanguis non potest deleri, quia omnia patienter propter Deum sustinent. Unde hoc [Mat. 5, 9-10]: *Beati pacifici, quoniam ipsorum est regnum celorum.*

De melodia. Tiberius in civitate romana regnavit, qui miro modo melodiam dilexit. Unde accidit quod ad venandum semel equitaret, audivit quandam melodiam. Quod sibi videbatur quod numquam tam dulcem melodiam audisset, post istam equitavit ipse solus, et cum ad locum venisset, vidit unam magnam aquam et latam. Juxta hanc aquam pauper quidam sedebat, qui cytharam percussit, et de ista tota melodia procedebat. Ait ei imperator: Dic mihi quare tam dulcis melodia de ista cythara procedit. Ait iste: Domine, per viii annos huc mansi, et Deus dedit mihi tantam graciam quod quam cito tetigero, sonus procedit de cythara quod pisces istius aque veniunt, per quos ego et familia mea sustentamur. *Quam dulcia faucibus meis eloquia. Super mel ori meo.* [Ps. 118,103]. Sed heu, infra paucos dies ex parte aque venit quidam sibilator, qui in tanta dulcedine sibilat quod pisces dimittunt me. Et ideo rogo vos ut vestrum adjutorium contra ipsum dignemini mihi impertiri. Ait ei imperator: Ecce in baculo meo annulum habeo. Illum accipe et in summitate virge liga et deinde cytharam et cordas tange, et sic sibilator recedit confusus. Piscator omnia fecit et cytharam incepit tangere. Ad cujus tactum pisces statim venerunt. Piscator eos cum hamo aureo ad terram traxit. Sibilator hoc videns confusus recessit. Et pauper ibidem tempore vite sue in pace permansit.

**[165v:]** Mistice iste imperator est Dominus noster Jhesus Christus, qui multum melodiam sc. puram oracionem diligit. Venator per sua animalia sc. per animas, quas diabolus conatur decipere. Aqua vero, in qua sunt pisces, est mundus iste plenus peccatoribus. Sed pauper sedens juxta aquam est predicator, qui tangit cytharam sacre scripture, cum qua debet pisces sc. peccatores ad terram sc. ad regnum celorum trahere. Sed cum predicator incipit cytharam sacre scripture percutere sc. populo Dei

predicare, statim sibilator sc. diabolus sibilat tam dulciter ita quod peccatores non audiunt predicatores. Qui diversas habet melodias, quia aliquos facit dormire, alios garrulare et sic de aliis. Unde necesse est cytharizanti sc. predicatori hamum divine gracie petere, per quem possit peccatores ad Dominum trahere.

De Socrate philosopho et filia imperatoris. Gaudinus regnavit, qui habuit unicam filiam, quam multum dilexit. Cogitavit intra se quomodo eam desponsare potuit. Ait: Si eam diviti in uxorem dedero, et ipse fuerit stultus, filia mea est perdita. Et si ipsam pauperi sapienti dedero, sibi et filie mee [haud] satis acquirat. Erat tunc in civitate quidam philosophus nomine Socrates, quem imperator vocavit ad se et ait: Karissime, placet tibi filiam meam in uxorem ducere? Cui ait: Eciam, domine, immo eam cum gaudio ducam. Ait imperator: Ex quo tibi placet eam ducere, dabo tibi eam tali condicione, quod si moriatur apud te, tu perdas vitam tuam. Elige ergo si tibi placet ducere eam an non. Ait iste: Stante tali condicione mihi placet eam ducere. Imperator filiam suam cum magna solempnitate desponsavit, et per aliquod tempus in quiete manserunt cum sanitate bona.

Postea uxor cepit infirmari. Socrates contristatus est valde et intravit quoddam nemus, flevit amare et dum fleret, rex Alexander in eodem nemore venatus est. Miles quidam Alexandri videns Socratem ait ei: Quis es tu? Ait iste: Homo talis, domine, sum. Ego sum dominus tuus et servus domini mei. Ait iste: Mentiris. Non est **[166r:]** major domino meo Alexandro in toto mundo. Sed ducam te ad dominum meum, et videbimus quis sit dominus tuus. Et cum ad regem Alexandrum ductus fuisset, ait ei rex: Karissime, quis est dominus tuus de quo dicis quod sum servus suus? Ait iste: Racio est dominus meus, sed servus est voluntas. Sed quia tu per voluntatem regnum usque nunc gubernasti et non per racionem, ideo servus domini mei sc. racionis es, que est dominus.

Audiens hoc Alexander ait: Certe prudenter respondisti. Ibo ad eum. Et ab illo tempore rex regnum suum gubernavit secundum racionem et non voluntatem. Et sic Socrates in dolore mansit in nemore, et dum sic flendo iret, venit quidam senex ad eum et ait: O bone magister, cur tantum doles? Ait iste: Dicam tibi. Filiam imperatoris duxi tali condicione, quod quandocunque ipsa moreretur, ego vitam amittam. Et ipsa jam ad mortem infirmatur, et si morietur, vitam meam nullomodo salvare possum. Ait senex: Fac secundum consilium meum, et bene tibi erit. Uxor tua est de semine regis, et cum rex minutus fuerit, uxor tua lineat pectus suum et ubera cum sanguine patris sui. Et tu accipe hic 3$^{s}$ herbas et de una fac ei

pocionem, et bibat mane. Et de aliis duabus faciet emplastrum et ponat super stomachum, et dum istam doctrinam impleverit, sanitatem perfectam habebit. Socrates autem hec omnia adimplevit, uxor sua sanata est. Audiens imperator quod Socrates sic pro sanitate uxoris laboravisset, eum ad magnas divicias et honores postea promovebat.

Mistice imperator iste dicitur Dominus noster, sed filia pulchra est anima ad imaginem Dei creata. Istam dedit in uxorem pauperi Socrati sc. homini in mundo isto existenti, qui est pauper. Unde Job [1,21]: *Nudus egressus sum de utero matris mee etc.* Sed scire debetis quod sub tali condicione Dominus animam dedit homini, si in ejus societate moreretur sc. per mortale peccatum, ipse vitam amittat sc. eternam. Si autem anima per peccatum infirmatur, fac sicut Socrates. Intra nemus sc. ecclesiam et tu invenies senem hominem sc. confessorem, per cujus consilium salvaberis. Linies pectus in sanguine regis sc. per frequentem memoriam **[166v:]** passionis Christi in corde tuo jugiter portando. Primo fac pocionem sc. semper doleas de peccato. Et fac de aliis duabus emplastrum sc. integram confessionem et satisfaccionem, et sic sanata erit uxor tua sc. anima tua, et per consequens vitam eternam habebit.

De pulchra Florencia. Marius in civitate romana regnavit valde prudens, in cujus imperio erat quedam mulier miro modo pulchra nomine Florencia. Unde tam pulchra erat quod tres reges propter illam bellum commiserunt, et quod ex omni parte istorum trium regum infiniti occisi fuerunt. Satrape nobiles hoc videntes ad imperatorem dixerunt: Domine, propter istam Florenciam, que est in imperio, que est tam pulchra quod propter eam infiniti mortui sunt, et nisi cito remedium faciatis, infiniti in imperio peribunt. Audiens hoc imperator statim annulo suo literas signatas scribi jussit, ut Florencia sine dilacione ad eum veniret. Nuncius rediit et nunciavit imperatori quod mortua est Florencia. Imperator contristatus est valde, quod eam non viderat. Statim omnes pictores imperii vocavit. Cum autem venissent, ait eis: Karissimi, erat in imperio quedam mulier nomine Florencia, que modo mortua est, et eam non vidi. Que erat tante pulchritudinis quod multi propter eam mortui sunt. Ite cum omni diligencia ad imaginem ejus et mihi eam in pariete depingite, sicut ipsa fuit prius quando vixit, per quam picturam pulchritudinem ejus possim videre, quia tot mortui sunt propter illam. Dicunt ei: Domine, difficilem rem petis. Omnes pictores totius mundi non possunt depingere ejus pulchritudinem, excepto uno pictore qui latet in montibus.

Audiens hoc imperator pro eodem misit. Cum autem venisset, ait ei: Cum omni diligencia fac mihi imaginem Florencie secundum suam pulchritudinem, et dabo tibi mercedem condignam. Ait ei: Domine, fiat voluntas tua. Attamen unum peto, quod omnes pulchriores mulieres in conspectu meo sint, que sunt in imperio. Quod factum est. Cum omnes pulchre mulieres fuerunt ei presentate, ex eis 4^or^ pulchriores elegit et alias licenciavit. Pictor iste cum rubeo colore incepit imaginem depingere, et sicut iste 4^or^ mulieres pulchre habebant oculos magis graciosos et nasum et alia membra, sic imaginem posuit et sic eam pulchre complevit. Cum autem completa esset imago, venit imperator **[167r:]** et vidit eam. Quam cum vidisset ait: O Florencia, numquam vidi te pulchriorem in hac vita. Mirum non est quod tot amore tuo occubuerunt. O Florencia, si vixisses, super omnes istum pictorem diligere deberes, qui te in tanta pulchritudine depinxit, quia omnes imaginem tuam videre delectantur.

Mistice imperator iste est pater celestis, Florencia pulchra est anima ad imaginem Dei creata, que est obsessa per tres reges sc. mundum, carnem et diabolum. Nam per peccatum primi parentis tot multi occubuerunt sc. omnes ante adventum Christi ad infernum descendebant. Hoc videntes seniores imperatoris sc. patriarche et prophete pro remedio clamabant dicentes [Is. 16,1]: *Emitte agnum, Domine, dominatorem terre etc.* et plura alia de adventu Christi. Sed heu, ante adventum Christi mortua est Florencia sc. anima. Unde vocati sunt pictores qui excusaverunt se erga imperatorem, quia inter angelos et omnes prophetas et patriarchas non est adinventus, qui sciret vel posset imaginem sc. animam depingere ad suam pulchritudinem. Sed pictor, qui de monte venit, est Dominus noster Jhesus Christus, qui descendit de celis ut istam imaginem reformaret et hoc colore rubeo sc. suo proprio sanguine. Hic pictor elegit 4^or^ mulieres sc. 4^or^ dignitates dedit anime sc. agilitatem, immortalitatem, claritatem et subtilitatem. Et sic imago completa est. Imperator est Dominus Deus, qui sic dicebat: O Florencia, sc. O anima, multum debes istum pictorem sc. Christum diligere super omnia, qui proprio sanguine te redemit et depinxit in tanta pulchritudine, quod omnes sancti angeli Dei cupiunt te in sua societate habere et cum eis eternaliter suum creatorem laudare.

De campana. Theodosius in civitate romana regnavit prudens valde, qui lumen oculorum amiserat. Edidit quandam legem quod unam campanam in palacio habebat, ut quicunque aliquam causam haberet tractare, cordam campane traheret, ad cujus pulsacionem judex ad hoc deputatus descenderet et unicuique judicium faceret.

Erat tunc quidam serpens qui sub corda campane nidum fecerat et ibidem proles produxerat. Unde quadam die juvenes serpentes cum serpere poterant, antiquus serpens cum eis extra civitatem **[167v:]** perrexit ad solem. Cum vero serpens sic absens esset, quidam buffo nidum intravit. Serpens dum reversus fuisset, ascendit ad cordam campane, pulsavit ac si diceret: Judex, fac mihi judicium. Judex audiens campanam descendit et neminem vidit et recessit. Serpens iterum pulsavit, quod audiens judex iterum descendit et serpentem cordam trahere vidit et buffonem locum ejus occupantem. Qui statim imperatori nunciavit. Ait imperator: Descende et buffonem expelle et occide, ut serpens locum suum rehabeat. Quod factum est. Serpens vero nidum suum intravit cum pullis suis.

Post hec autem cum imperator in stratu suo jaceret, serpens cameram intravit portansque in ore suo lapidem parvum. Hoc videntes camerarii imperatoris de introitu serpentis domino narrabant. At iste ait: Nolite eum impedire. Credo quod nullum malum mihi faciet. Serpens vero lectum ejus ascendit et ad faciem imperatoris se junxit. Et cum illuc venisset, lapidem super oculos ejus misit et sic recessit. Imperator vero oculos cum lapide tetigit et statim clarum visum recepit. Iste vero non modicum gaudens et quamdiu vixit lapidem bene custodivit et vitam in bona pace finivit.

Mistice iste imperator est quilibet homo christianus mundanus, cecus quantum ad Dominum, sed clare videns quantum ad mundum. Campana suspensa est lingua predicatoris, que certis temporibus pulsari debet. Sed corda campane est sacra scriptura, per quam debet predicator virtutes et vicia intimare, quomodo homo per virtutes debet ascendere in celum et per vicia ad infernum. Sed serpens, qui fecit nidum sub campana, significat confessorem discretum qui debet ponere se super scripturam in nidum sc. in cor peccatoris. Sed judex sc. consciencia hominis debet descendere et omnia per veram confessionem corrigere. Sed si buffo sc. diabolus locum occupat sc. cor hominis, tunc serpens sc. confessor debet pugnare cum diabolo, peccatorem confortare quomodo diabolo sit resistendum, et sic eum expellere de corde hominis. Item serpens portavit lapidem, cujus virtute imperator visum recepit. Sic discretus **[168r:]** confessor per dulcem informacionem debet dare peccatori spem bonam de vita eterna dicens quod non desperet, sed confidat, quia [Ez. 18,21] *quacunque hora peccator ingemuerit, salvus erit.* Et sic per talem lapidem recipit visum spiritualem.

De horto et apro. Trojanus regnavit in civitate romana, qui habuit unum hortum in quo diversa genera arborum fuerunt plantata. Custodem

instituit ut hortum fideliter custodiret. Erat autem quidam aper in nemore, qui hortum intravit et in una parte murum fregit et arbores multas destruxit. Supervenit custos horti et aprum invasit et sibi aurem sinistram abscidit. Aper vero amissa aure clamavit et exiit. Post paucos dies aper iterum intravit. Jonathas autem videns aprum ei aurem dextram abscidit. Aper vero amissa aure dextra clamavit et exiit. Hoc diu non obstante aper 3[a] vice intravit et quasi multa mala in horto commisit, quod videns custos ei caudam abscidit. Et sic turpiter exiit. Item 4[a] vice aper intravit et quasi infinita mala in horto perpetravit. Jonathas vero hoc videns cum sua lancea eum interfecit. Et sic regi tradidit ipsum. Et cum aper regi fuisset traditus, de corde ipsius a servitoribus quesivit. Servi vero ad coquinam venerunt et cor apri quesierunt et non invenerunt. Respondit coquus: Dic domino meo quod non habuit cor, sed si non vult credere, ego probabo. Servi ista domino dixerunt. Ait rex: Quid est quod dicitis? Non est aliquod animal quod non habet cor. Adducite coquum. Qui statim fuit vocatus. Ait imperator: Ostende mihi, quare aper non cor habuit. Quod non si probaveris, vitam amittis. Ait iste: Omnis cogitacio a corde procedit. Unde sequitur quod ubi nulla est cogitacio, ibi nec est cor. Insuper aper iste hortum intravit et multa mala commisit. Custos horti hoc videns aurem sinistram ei abscidit, qui clamavit et exiit. Si cor habuisset, de aure amissa cogitasset. Hoc non fecit, quia iterato intravit et dextram aurem amisit. Post amissionem dextre auris nihil cogitavit de amissione ejus. Iterum intravit et caudam amisit, et ergo cor non habuit. Rex hoc audiens non potuit ei contradicere. Et sic evasit.

Mistice iste imperator est Dominus Jhesus Christus, qui hortum habuit sc. status hominis, **[168v:]** sicut sunt viri ecclesiastici et religiosi et boni christiani, in quorum hortis plantavit diversa genera arborum sc. virtutes, sc. x precepta Domini, vii opera misericordie. Sed Jonathas est mors, qui jam rapit unum post alium. Aper est quilibet homo, qui in horto sc. in statu suo multa mala committit post baptismum. Sed Christus est custos noster, aufert a nobis dextram aurem sc. pueros et parentes, et si miser per breve tempus non se emendat, tunc aufert ab eo caudam sc. res temporales. Sed si miser homo hec omnia non precogitat nec in aliquo se emendat et a peccato non vult desistere, tunc diabolus per Jonatham sc. per mortem ipsum totaliter occidit et coquo tradit sc. diabolo ad consumendum. Tunc in die judicii Deus cor hominis querit sc. animam, quam super omnia diligit. Tunc coquus sc. diabolus dicit quod aper sc. homo cor non habuit sc. animam, quam si habuisset, numquam precepta Dei violasset. Et sic Deus amittit animam, quod multum est dolendum.

De tribus virtutibus Anthonii et allegorice de annunciacione sancte Marie per angelum. Anthonius regnavit in civitate romana, qui 3$^{s}$ virtutes habuit. Primo quod erat fortissimus omnium hominum tunc existentium, 2$^{o}$ erat sapiens et dives, 3$^{o}$ pulcher et in statura longus. Qui diu sine uxore vixit. Tandem sui amici et omnes nobiles sui dixerunt ad eum: Domine, bonum esset uxorem ducere et prolem generare. Ait iste: Vobis constat quod satis dives et potens sum. Ideo diviciis non indigeo. Ite ergo per diversa regna et provincias et mihi pulcherrimam virginem ac sapientem querite. Licet sit pauper, tamen eam in uxorem ducam. Illi vero perrexerunt per multa regna, tandem invenerunt puellam quandam in civitate pulcherrimam, nobilem et sapientem, sed tamen pauperculam. Statim imperatori ipsius virtutes annunciaverunt. Imperator vero volens ejus sapienciam experiri vocavit nuncium et ait: Ecce trado tibi pannum lineum habentem in longitudine et latitudine 3$^{s}$ pollices. Vade ergo ad puellam et eam ex parte mei saluta et da ei pannum istum lineum, de quo mihi secundum suam sapienciam camisiam faceret, longam et latam pro corpore meo. Et si hoc fecerit, uxor mea **[169r:]** erit.

Nuncius perrexit ad virginem et salutavit eam ex parte imperatoris dicens: Ecce pannum habens in longitudine et latitudine 3$^{s}$ pollices tantum. Si camisiam satis longam pro corpore domini mei feceritis, cum magno gaudio vos ducet. Ait ista: Quomodo fiet illud, quoniam 3$^{s}$ pollices in longitudine et latitudine habet tantum? Ut ei camisiam faciam, mihi impossibile est. Verumtamen concedat mihi vas, in quo et per quod operari possit, et camisiam ei satis longam promittam. Nuncius reversus nunciavit imperatori de responsione virginis, et statim imperator vas debitum et conveniens misit. Illa vero de tam parva quantitate in eodem vase operata est ei camisiam satis longam et latam pro corpore suo, et statim imperator eam in uxorem cum magno gaudio duxit.

Mistice iste imperator est Dominus noster Jhesus Christus potens et dives. Sed puella pulchra de stirpe regum nata est beata virgo Maria, que fuit pulchra et gracia plena. Item fuit sapiens. Unde propter istas tres virtutes misit rex regum nuncium Gabrielem archangelum, qui eam ex parte regis salutavit dicens [Luc. 1,28]: *Ave Maria gracia plena, Dominus tecum.* Et pannus missus fuit gracia spiritualis 3$^{s}$ habens pollices sc. 3$^{s}$ proprietates. Prima erat potencia patris, 2$^{a}$ sapiencia filii, 3$^{a}$ clemencia spiritus sancti. [Vas] sc. uterum sanctificatum in utero matris sue, in quo fecit camisiam suam latam in humanitatem quam de ea assumpsit. Hoc videns

pater celestis eam reginam in celo coronavit, ubi pro nobis filium interpellat et filius patrem.

De domina et uno milite. Pompejus in civitate romana regnavit, in cujus imperio erat quedam domina nimis pulchra et in omnibus graciosa, et juxta illam manebat quidam miles pulcher, qui istam dominam sepe visitavit, quia ipsam multum dilexit. Accidit uno die quod mulier unum falconem in manu portavit, quem cum vidisset miles diligenter dominam rogavit ut ei falconem concederet. Ait ista: Falconem tibi concedo, sed videas ne tantum in eo delectaris, quod mei non obliviscaris. Qui ait: Domina, absit hoc a me. Immo magis teneor vos diligere et sepius visitare. Domina ei falconem concessit et ita recessit. Miles in tantum falconem **[169v:]** dilexit et cum eo in campo ludebat et de domina nil magis cogitabat. Domina vero pro milite sepe misit, sed ipse noluit venire. Tandem domina literas ei misit ut ad eam veniret sine omni dilacione et secum falconem portaret, quem dedit ei. Et ait: Verum est quod plus eum diligitis quam me. Ideo falco erat causa separacionis nostre, quod me non visitas. Statim caput falconis coram milite de corpore extraxit et ait: Non habebitis pro bono malum. Jam videbitis me sicut prius.

Mistice iste imperator est pater celestis. Domina tam pulchra est divinitas humanitati conjuncta. Sed miles est quilibet christianus, qui tenetur dominam sc. divinitatem semper diligere et sepius visitare et opera misericordie facere. Sed falco sunt temporalia bona, que Deus dat homini ut in eis operetur. Sed miser homo cum dives efficitur, est similis falconi, nec recordatur de dileccione Dei nec ipsum visitare [visitat?] sicut prius solebat. Deus hoc videns aufert sepe ab homine bona temporalia sc. sanitatem et prosperitatem, ut ipsum diligat sicut prius, et non odio habeat ipsum. Juxta illud [Hebr. 12,6]: *Quem Deus diligit, ipsum corrigit et castigat.*

De tribus sociis. Erant quondam tres socii, qui cum simul irent, accidit quod una dierum cibaria non possunt invenire preter unum panem, et erant valde fameliti et dixerunt ad invicem: Si panem dividamus in $3^s$ partes, tunc pars ista unicuique nostrum non sufficit ad saturitatem. Ait unus ex eis: Dormiamus hic in via, et quicunque melius sompniaverit totum panem manducet. Dixerunt: Bonum est consilium. Et inceperunt dormire. Sed socius qui consilium dederat, ipsis dormientibus surrexit et panem comedit. Hoc facto socios excitavit et ait: Dicat quilibet sompnium suum. Ait primus: Karissimi, sompnium mirabile vidi. Vidi enim scalam

auream de celo descendentem, per quam descenderunt angeli et animam meam de corpore meo acceperunt et ad celum duxerunt, et vidi ibi Patrem et Filium et spiritum sanctum. Et hoc est sompnium meum. $2^{us}$ ait: Vidi sompnium terribile et contrarium huic. Vidi quod demones cum instrumentis ferreis et ignitis me ad infernum duxerunt et dixerunt: Quamdiu Dominus regnabit in celo, tamdiu hic manebis. Et hoc est sompnium meum. $3^{us}$ ait qui consilium dederat: Audite sompnium meum. Vidi quod angelus Dei venit ad me dicens: Vis scire ubi socii tui sunt? Respondi: Volo. Ait angelus: Sequere me. Et duxit me ad portas celi, et cum huc venissem, **[170r:]** vidi unum sc. te in throno aureo sedentem et preciosas ferculas ante te preparatas in mensa aurea. Et dixit mihi angelus: Ecce socius tuus, abundat hic cum gaudio cibis et potibus et hic in eternum manebit. Jam veni, ostendam tibi alium tuum socium. Et duxit me ad infernum, et ibi te vidi in penis multis cruciatum. Tunc dixi: O karissime socie, mihi displicet quod in tali loco video te. Et dixi: Quamdiu hic manebis? Et dixisti: Sicut Deus est in celo. Cum hoc vidissem, cito surrexi et totum panem comedi.

Mistice per istos $3^{s}$ socios designantur tria genera hominum. Per primum judeos et saracenos, per $2^{m}$ divites et potentes hujus mundi, per $3^{m}$ bonos christianos. Per panem rotundum signatur gaudium eternum. Panis iste sc. celum dividitur inter ista tria genera hominum et secundum meritum, alicui magis, alicui minus. Primi sc. judei et saraceni credunt quod sunt in celo sc. credunt ingredi celum. $2^{i}$ socii, qui sunt in inferno, sunt divites, qui possidebant res et divicias male acquisitas, puta usurarios. $3^{us}$ socius est bonus christianus, qui panem comedit sc. doctrinam spiritus sancti, vitam suam dirigit ad celum.

De puero et lupo. Lucius regnavit qui statuit pro lege quod quicunque puerum alterius ad nutriendum reciperet, si in ejus custodia puer lederetur, vitam amitteret. Accidit quod imperatrix peperit pulchrum filium. Hoc videns quidam miles rogavit imperatricem ut sibi filium ad nutriendum daret. Ait ista: Tibi filium meum committo. Videas ne apud te lesus erit, quia tunc vitam tuam amittas. At iste: Domina, mihi placet. Accepit puerum et ad domum duxit et uxori suo ad nutriendum dedit. Ista vero satis bene eum nutrivit. Accidit quod miles cum domina ad nundinas ivit, puer vero domi mansit in cunabulo. Sed postquam dominus et domina exierunt, omnis familia eciam exiit ad villam et curiam et puerum sine custodia aperto ostio dimiserunt. Erat quidam lupus circa villam, qui multa mala fecerat hinc inde. Villam intravit et cum vidisset valvam militis apertam,

intravit et puerum de cunabulo rapuit et ad silvam festinavit. Hoc videns quidam pastor in campo lupum cum puero fugientem arborem ascendit et in cornu suo sufflavit. Hoc audientes homines cum equis et canibus lupum postcurrunt. Lupus cum vidisset strepitum et clamorem canum, **[170v:]** dimisit puerum. Sed homines cum puerum videbant, multum gaudebant et precipue miles. Sed puer lesus est in fronte et sanguis sibi effluebat. Post hoc tamen optime est recreatus. Imperator post paucos dies pro milite misit ut ad eum veniret et filium suum secum ferret. Iste ad mandatum imperatoris venit tremens.

Cum autem imperator puerum vidisset, signum vulneris in fronte ejus apparuit, et ait: Karissime, quid est quod in fronte pueri video? Respondit miles: Domine, de casu accidit quod ad nundinas perrexi, et sic familia domus deficiente puer a lupo lesus est. Et sic narravit de pastore, quomodo puer per eum fuit liberatus. Ait imperator: Tibi puerum meum commendavi et non familie tue, et ideo contra legem dereliquisti. Qui ait: Domine, fateor me deliquisse, et ideo graciam peto. Ait imperator: Ex quo cognoscis te peccasse et doles te deliquisse, tibi remitto, et studeas emendare quod deliquisti. Quod iste promisit. Imperator eum postea ad magnas divicias et honores promovit.

Mistice imperator iste est Dominus noster Jhesus Christus, qui istam legem statuit quod quicunque acciperet filium sc. animam, que si in custodia ejus lesa fuerit per mortale peccatum, ipse moreretur. Miles iste est quilibet christianus per baptismum lotus, qui per longum tempus animam a peccatis custodivit. Sed postea currit ad nundinas sc. ad mundi spectacula et mundi vanitatem. Et cum eo uxor ejus sc. concupiscencia carnis, per quam homo sepe deducitur, et omnes sensus, qui sequuntur, ita quod puer sc. anima in cunabulo solus dimittitur sine custodia cordis. Et lupus currit querens quem devoret Videns domum apertam sc. omnes sensus apertos intrat hospicium cordis et secum puerum sc. animam rapit ad mortalia peccata. Pastor sc. bonus prelatus cum hoc videt, debet ascendere arborem sacre scripture et cornu [sufflare] sc. omne verbum Dei predicare. Ad cujus clamorem familia sc. intellectus, racio et memoria currunt post lupum, et lupus sc. diabolus dimittit puerum sc. animam cadere. Accipe ergo animam tuam et salva eam per veniam. Tunc imperator sc. Christi pater celestis reddet tibi mercedem condignam.

Adrianus regnavit in civitate romana, qui legem statuit **[171r:]** quod si mulier adulterium committeret, in carcerem perpetuum tradi deberet. Accidit quod quidam miles uxorem habuit, que ex adulterio concepit, cum

vir absens erat bene per duos annos. Que statim incarcerata est et filium pulchrum in carcere peperit. Puer in carcere crevit et numquam lumen vidit. Una die domina flevit in carcere valde amare, et cum puer matrem audivit flere, ait: O mater, cur tantum affligitur anima tua? Respondit mater: O fili karissime, nos ambo causam flendi et dolendi habemus, quia super nos est gressus hominum et lumen diei et solis. Nos vero semper sumus in tenebris. Ait filius: O mater, ista que dicis, penitus ignoro nec umquam vidi, quia in isto carcere natus sum. Et quamdiu copiam cibi et potus habuero de hiis omnibus, que dicis, non curo. Tunc temporis extra ostium erat quedam imperatrix, que dominam sepius in carcere visitavit ei loquendo, que cum audisset lamentacionem inter matrem et filium, pietate mota imperatorem adiit et flexis genibus pro eorum liberacione preces fudit. Et liberati sunt ambo et marito suo reconsiliati, et ei pulchrum puerum peperit et vitam in bono finivit.

Mistice imperator iste est pater celestis, qui istam legem edidit quod quecunque mulier esset adulterata etc. Miles iste est Dominus Jhesus Christus, uxor sua est anima. Heu, anima sepe adulteratur sc. quotiens mortale peccatum committit et sic traditur in carcere sc. in potestate diaboli, et ibi filium peperit. Unde Ps. [50,7]: *In peccatis concepit me mater mea.* Sed cum ad conscienciam vadat cogitando, quanta gaudia sunt in celo, et ea amiserat propter peccata que commiserat, certe causam flendi et dolendi habet. Sed per filium, qui dixit: Si copiam cibi et potus habuero etc., intelliguntur homines mundi, qui cogitant et dicunt: Si sic possem vivere pro voluntate mea, non majus gaudium optarem. Tales qui ita mundi vanitatem cogitant, ad infernum descendunt. Sed imperatrix, que istam lamentacionem audivit, est beata virgo Maria, que pro nobis Dominum interpellat, qui positi sumus in carcere sc. in potestate diaboli, et educit ad gloriam eternam. Amen.

**[171v:]** De duobus filiis sc. Deo in humana natura. Legimus in historia romanorum quod quidam princeps habuit duos filios, quorum senior morabatur cum patre in quodam palacio, sed junior morabatur in castro valde periculoso. Qui scripsit tres literas per tres diversos nuncios sed 4$^{am}$ per proprium fratrem seniorem. Tenor prime litere talis erat: Peccatum et immundiciam totaliter delinque, virtuti et honestati te conjunge. Tenor 2$^{e}$ litere erat talis: Dilige Dominum Deum toto corde tuo, qui te ad suam similitudinem creavit. Tenor 3$^{e}$ litere talis erat: Sine amore non poteris salvari. Tenor 4$^{e}$ litere talis est: De omnibus tuis nihil aliud peto nisi ut me diligas.

Mistice iste princeps est Deus, qui habet duos filios. Senior est Christus, qui moratur cum patre in palacio paradisi, sed junior filius est humana natura, que moratur in mundo tamquam in castro periculoso. Deus enim misit humane nature 4[or] literas, quarum prima dicit: Delinque peccatum et immundiciam. 2[a] litera dixit: Diligite Dominum etc. 3[a] litera est: Sine amore etc. Ista litera missa est in legem prophetarum per Jheremiam, qui cecivit lamentacionem ad ostendendum humanum genus esse perditum propter amorem carentem, quia per hoc deficit gaudium cordis sui. 4[a] litera est: De omnibus tuis nihil etc. Ista litera missa est per proprium filium sc. Jhesum Christum, quando intravit in uterum virginis Marie gloriose.

Lecius in civitate romana regnavit istis temporibus, ubi quidam cum equitaret in via, venit ad crucem in qua erat ex una parte scriptura talis: O homo, si per istam viam equitas, in hospicio tuus equus bene habebit, sed tibi nihil ministrabitur. Ex alia parte erat scriptum: Si per istam viam equitas, tu bonum hospicium habebis, sed equo tuo nil dabitur. Ex 3[a] scriptum erat: Si per istam viam ibis, ambo satis habebitis, sed ibi equum tuum dimittes, et tunc oportet te pedibus ambulare. Et iste cum hoc vidisset, cogitavit intra se per quam viam deberet equitare. Ait intra se: 2[am] viam volo equitare, quia bene erit mihi et equo meo male, quia una nox cito transit. Et venit ad unum castrum, in quo erat miles qui eum benigne suscepit et laute ei in cibis et potibus comministravit, sed equus parum aut nihil comedit. Mane surrexit et ad propriam domum equitavit.

Iste vir potest dici quilibet christianus, qui habet equitare pro salute anime sue. Crux stans in medio est consciencia hominis **[172r:]** ad modum crucis existens. Una pars te provocat ad malum, alia pars ad resistendum malo. Vide si vadas per istam viam, ubi tibi bene erit et equo tuo male, optime facis. Ista via est via penitencie. Hospicium est celum, in quo tibi bene erit. Sed equus subjacet sc. corpus tuum. Qui ergo per istam viam vadit, sapienter facit. Alia via in qua homo hospicium invenit, in quo equus sc. corpus satis laute habebit, sed sibi pessime erit. Via ista est gulosi et luxuriosi, qui habent voluptatem carnis. In isto hospicio erit anime sue male ministratum. Alia est via, ubi tu et tuus equus satis habebitis. Via ista est via peccatorum, sicut sunt divites, qui laute vivunt et in fine dolent. Sed 4[a] via est, per quam ambulans equum amittis. Hec via est via boni christiani, qui de omnibus sc. victu et vestitu est contentus. Job [1,21]: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Iste equum dimittit sc. omnes carnales

concupiscencias et mundi vanitates propter Deum, quia ipse dicit [Mat. 19,29]: *Omnis, qui reliquerit patrem et matrem etc.*

De equo nigro, falcone nigro et de terra militis. Siniachus regnavit. Tunc temporis erat quidam miles Lemicius qui quandam terram habebat, quam imperator multum desiderabat et cogitavit qualiter sibi terram usurparet. Vocavit ad se militem et ait: Quere mihi equum nigrum et falconem nigrum ita quod ambo hodie habeam ad octo dies, quod si non feceris, terram amittas. Miles cum hoc audisset contristatus est valde, quia unde ista haberet, penitus ignoraret. Venit domi ad uxorem suam Mariam valde devotam, que dicebat: Vade primo ad confessorem, et facta confessione Deus auxilium tibi prestabit. Miles pure confessus equitavit per quandam viam satis pulchram, venit ad quandam foveam, super quam unum senem invenit habentem baculum in manu sua, et ait ei senex: Karissime, unde venis et quo vadis? Ait iste: Domine, de ecclesia venio et quo vadam penitus ignoro. Cui senex: Accipe baculum istum et sequere me per viam istam, nec declines a dextris nec sinistris. Et videns a longe castrum nigerrimum cum ibi veneris, precipe ex parte mei in hec verba: Ille qui est dominus istius baculi, **[172v:]** vobis precepit, ut detis mihi equum nigrum et falconem nigrum et canem [et] cornu nigrum. Cum omnia ista habueris, dicunt tibi: Ascende. Et non ascendas nec cornu sufflas nec canem currere permittas nec falconem volare. Sed omnia ista domino tuo presentabis et mihi baculum reportabis, et hic redditum tuum exspectabo. Miles baculum istum recepit et viam trium dierum ivit.

3[a] die castrum nigerrimum a longe vidit, et cum hinc appropinquasset, 4[or] armigeri armis induti ei obviabant et dixerunt: Domine, bene tibi erit. Ascende et sume cibum. Et ait iste: Nullomodo castrum intrabo. Sed dominus istius baculi precepit vobis ut detis mihi equum nigrum, falconem nigrum, canem et cornu nigrum. Qui dixerunt: Oportet illo domino obedire. Statim dixerunt militi: Bonum est te equum ascendere et cornu sufflare. Respondit miles: Nec hoc faciam, et canem in una manu duxit et falconem in alia manu et cornu circa collum. Et sic ad senem pervenit et baculum sibi tradidit et gracias egit. Senex ab oculis ejus evanuit et ad castrum perrexit. Rex cum vidisset quod miles venisset et omnia secum portaret, gavisus est valde breviter[?]. Cum sic sederet, audivit canes latrantes, quesivit quid hoc esset. Responderunt servi ejus quod cervus esset, et canes post eum currunt. Dixit rex: Adducite mihi equum nigrum ut ascendam, et canem nigrum et falconem nigrum et cornu nigrum. Et factum est. Rex autem cum cervum vidisset, cornu sufflavit, equum

equitavit. Cervus recto tramite ad voraginem terre sc. ad infernum cucurrit. Rex vero cum equo et falcone, cane et cornu sequebatur cervum, nec postea eum ullus vidit.

Mistice rex iste est diabolus, qui incipit auferre terram nostram sc. regnum celorum. Miles iste est bonus christianus, qui debet diabolo **[173r:]** resistere et pergere ad uxorem sc. ad conscienciam et confessionem, et tunc invenit pulchram viam sc. penitencie, per quam debet ambulare. Sed senex super foveam sedens est Christus cum baculo crucis, quem baculum debemus habere in mente et passionem ejus frequenter in memoria tenere. Et sic invenimus castrum nigrum sc. cor nostrum plenum peccatis. Sed 4$^{or}$ armigeri, qui exierunt, sunt peccata que exierunt de corde per contricionem, et omnia possumus extrahere per baculum sc. per virtutem passionis Christi.

Igverus regnavit, qui pulchram filiam habuit, quam multum dilexit. Require illud miraculum in 2$^{o}$ cisterno hujus libri.[71] Circa illud miraculum [Thren. 1,12]: *Videte, si est dolor similis sicut dolor meus.* Circa narraciones.

De drachone et leone et angelo gladium evaginatum [tenente]. Anthonius regnavit, in cujus imperio erat miles qui volebat equitare per quandam civitatem. Accidit quod pergebat ad quendam locum desertum, et ecce horribilis dracho ex una parte jacuit et ex alia parte leo. Sed miles volebat dimittere viam et reversus vidit post tergum mare et angelum stantem et evaginatum gladium in una manu et in alia manu coronam tenentem, et dixit: Sperne, resiste, tere. Sertum dabo tibi in fine. Iste vero viam perfecit sine omni lesione et reversus est cum magno gaudio.

Mistice iste miles, qui pergit ad civitatem, est quilibet christianus, qui tendit ire versus celum. Ipsum oportet ire per desertum hujus mundi sc. per multas tribulaciones. Sed dracho est caro tua propria, quam habebis sub pedibus. Leo sc. diabolus, cui debes resistere, et fugiet a te. Mare est mundus, qui est fugiendus. Et sic illud expono: Sperne mundum, resiste diabolo, tere carnem sc. castiga, et ego dabo sertum sc. coronam et vitam eternam.

**[173v:]** Adrianus regnavit valde potens, in cujus imperio erat quidam miles qui pulchram uxorem habuit, sed sub eo adulterata est. Accidit quod iste miles ad peregrinandum perrexit. Uxor ejus suum amasium vocavit.

---

[71] Possibly f. 21v:2 Quidam rex regnavit, qui...

Habebat eadem domina quandam ancillam, que cantum avium intellexit, et erant tres galli in domo. Circa mediam noctem, cum amasius circa dominam jaceret, primus gallus cepit cantare. Ait domina ancille: Quid dixit gallus? Respondit ista: Gallus dixit sic: O frater, si dominus esset presens, circa dominam utique non jaceres. Ait domina: Occidatur gallus iste. Et factum est. Post hoc 2^us^ gallus cantavit, et ait domina ancille: Quid dixit gallus? Respondit ista: Gallus sic ait: Socius meus occisus est propter veritatem, quam dixit. Ego sum paratus mori propter illam. Domina dixit: Occidatur gallus iste. Et factum est. Post hoc 3^us^ gallus cantavit. Ait domina ancille: Quid dixit gallus? Respondit: Gallus sic dixit: Audi, vide, tace, si tu vis vivere in pace.

Mistice imperator iste est pater celestis. Miles est Dominus Jhesus Christus, uxor est anima in baptismo lota. Sed amasius, qui eam seducit, est diabolus, qui nos seducit per vilem superbiam, oculorum concupiscenciam et carnis voluptatem. Unde quotiens nos peccatis delectaremur, totiens adulterium committimus. Sed ancilla sc. consciencia hominis, murmurat et stimulat hominem ad lotum. Per primum gallum intelligitur Christus, qui propter peccata hominem arguebat. Hoc audientes judei ipsum occiderunt. Per 2^m^ intelliguntur martyres Christi et sancti, qui Dominum in veritate predicaverunt et eciam occisi sunt. Per 3^m^ gallum qui dixit: Audi, intelliguntur predicatores, qui non audent dicere veritatem, sed pacem. Studeamus ergo veritatem dicere ut ad Christum mereamur pervenire.

De uxore unius carpentarii. Gallus regnavit prudens et potens, qui quoddam palacium construere volebat. Erat tunc in imperio ejus quidam carpentarius nomine Scicius, subtilis valde, quem imperator ad construendum palacium vocavit. Miles erat in imperio, qui cum videret subtilitatem et probitatem ejus, sibi filiam suam dedit in uxorem. Cum magna solempnitate nupcie facte sunt. Hoc facto uxor militis **[174r:]** vocavit carpentarium generum suum et ait: Ex quo filiam meam in uxorem duxisti, dabo tibi camisiam istam pulchram satis, et talem virtutem habet, si ea uteris toto corpore toto tempore vite tue, locione non indiget nec frangitur nec consumitur, quamdiu cum uxore tua fideliter conversaberis et ipsa econtrario. Si autem aliquis ex vobis matrimonium violaverit, statim camisia turpabitur et indiget locione sicut ceteri panni. Carpentarius recepit ipsam et ait: Karissima mater, pulchrum donum mihi dedisti. Ideo nullomodo matrimonium nostrum poterit violari, quin per camisiam sciatur. Post paucos dies carpentarius vocatus est ad imperatorem, qui venit

et camisiam secum portavit et uxorem domi dimisit. Imperator vero convenit cum eo de palacio construendo. Carpentarius graviter laboravit et sudores diversos emisit, sed camisia nullomodo turpata est, ita quod multi mirabantur.

Venit quidam miles qui interrogavit dicens: Magister, quomodo potest hoc esse? Ex quo in continuo labore es et tamen numquam camisiam tuam lavas? Respondit: Non indiget. Ait iste: Que est causa hujus rei? Respondit: Uxor matris mee [mater uxoris mee?] dedit mihi [camisiam], que talem habet virtutem ut supra. Miles: Ego faciam te lavare. Et statim equitavit ad domum carpentarii, ipso nesciente, et uxor carpentarii ipsum satis gratanter acceptavit. Miles statim ei de amore inordinato loquebatur, que ait: Domine, numquid huc causa hujus rei venistis? Qui dixit: Eciam, domina. Et multa ei promisit. At ista: Fiat bene. Et ipsum in unam cameram duxit. Cum autem introductus fuit, illa ostium foris clausit et abiit. Ait ipsa: Exspectetis donec tempus habuero. Et per unam fenestram ei panem cum aqua ministravit. Iste sepius eam rogavit ut eum abire permitteret. Ait illa: Donec maritus meus ab imperatore venit, non exibis. nec aperiam, nisi sit presens. Post hoc alius miles sicut prior quesivit, qui eciam cogitavit quomodo uxorem ejus potuit decipere, et inclusit eum in alia camera. Deinde venit 3$^{us}$ miles et similiter ei contigit, et inclusit illum in alia camera.

Post hoc carpentarius venit ad domum uxoris non modicum gaudens. Ipsa autem honorifice suscepit eum et camisiam inspexit et videns camisiam **[174v:]** satis pulchram et mundam ait: Benedictus Deus. In camisia enim apparet vera dileccio et verus amor inter nos. Karissima, dicam tibi aliqua. Cum essem in curia imperatoris, venerunt ad me 3$^{s}$ milites, unus post alium, et de camisia quesierunt, et eis veritatem dixi. Et sic recesserunt et amplius non sunt visi. Ait ista: De illis militibus dicam tibi aliqua. Ipsi ad me venerunt, unus post alium, et multa mihi promiserunt, si eis consentirem, et non volui sed modo eos inclusos teneo, et eis panem cum aqua ministravi. Carpentarius gavisus est valde de constancia uxoris sue et milites salvos abire fecit, fide tali quod numquam talia perpetrarent. Et sic carpentarius cum uxore sua in vera dileccione permansit.

Mistice imperator iste est pater celestis, qui hunc palacium construxit sc. humanum corpus bonis virtutibus, in quo palacio Deus delectaretur habitare. Sed miles sc. Christus habens pulchram filiam sc. animam. Carpentarius sc. bonus christianus, qui illam filiam accepit in uxorem. Camisia est fides catholica, sine qua impossibile est salvari, et quamdiu

homo manet in bona vita, tamdiu fides non violatur. Tres milites, qui venerunt ad temptandum uxorem sc. animam carpentarii, sunt superbia vite, concupiscencia oculorum et concupiscencia carnis. Ista tria debet homo includere in camera sc. contricionis, confessionis et satisfaccionis, et sic dileccionem veram inveniet a Deo et vitam eternam.

De sancta trinitate. Sagittarius quidam philomenam cepit, quam jugulare vellet. Ait ad eum philomena: Quid prodest tibi, si me interficis, quia ventrem tuum implere non possum. Sagittarius de ejus loquela stupefactus eam dimittere promisit, sed [si?] tria consilia sibi daret. Ait ista: Primum est quod res illa, que apprehendi non posset, non affectas. 2^m^ quod de re perdita irrecuperabili numquam doleas. 3^m^ est quod verbo increduli numquam credas. Si bene ista tria servaveris, bene tibi erit. Iste sagittarius permisit eam volare, et in volatu dulciter cantavit. Finito cantu sagittario dixit: Ve tibi, quod malum consilium habuisti. Quia me dimisisti, magnum thesaurum perdidisti. At ille dixit: Karissima, quomodo? At ista dixit: Quia in ventre meo habeo magnam margaritam. Iste tristis ad eam ait: Veni ad me, et bene faciam tibi. Et nitebatur **[175r:]** iterum eam capere, credens verum esse quod ei dixit. Et ait: Modo de re perdita doles, quia me nequeas capere, et tu stultus es et in stulticia tua permanebis. Hiis dictis avolavit.

Mistice iste sagittarius est quilibet christianus per baptismum lotus, in quo recipit arcum. Arcus est fides catholica, quam recipiet contra diabolum, mundum et carnem. Capit philomenam, cogitat occidere, quotiens peccatum mortale committit. Sed ipsa dedit sibi tria consilia, quod numquam affectaret rem, que [non] apprehendi posset. Ista res est sancta trinitas, in qua sunt 3^s^ persone, tamen unus Deus, quam humana mens apprehendere non potest hic in mundo. 2^m^ consilium est de re perdita sc. sanitatem, divicias, quas Deus aufert, inde non doleamus. 3^m^ est non credere verbo increduli sc. diaboli, nam multi per diabolum sunt decepti. Diabolus enim multa suggerit, multa promittit, quod patet in Adam et Eva, quando dixit [Gen. 3,5]: *Si comederitis, eritis sicut dii*, quod crediderunt turpiter, ejecti sunt de gaudiis paradisi. Sic adhuc multi credunt diabolo et ei adherent peccatis consentiendo. Studeamus ergo ista consilia tria retinere.

De tribus amicis. Quidam rex erat qui tantum unum filium habuit, quem multum dilexit. Iste licenciam a patre accepit ut mundum visitaret et sibi amicos acquireret. Cui pater ait: Mihi placet, sed vide ne in vanum

labores. Perrexit, per vii annos in mundo est conversatus. Finitis vii annis rediit ad patrem. Pater cum ipsum vidisset gavisus est valde et ait: Fili mi, dic mihi quot amicos acquisivisti. Cui iste ait: $3^{s}$. Primum amicum plus diligo quam meipsum, $2^{m}$ tantum sicut meipsum, $3^{m}$ vero non tantum sicut me, sed pro eo parum feci. Cui pater ait: Bonum est amicum temptare in necessitate. Consilium tibi do. Porcum occidas et in sacco ponas et vade ad istum amicum, quem plus diligis quam teipsum, et dic ei: Amice, hominem a casu interfeci. Si mecum corpus ejus inventum fuerit, filius ero mortis. Ideo rogo te ut in hac necessitate mihi subvenias et corpus istud in domo tua abscondas. Et tunc videas, quis eorum sit verus amicus.

Respondit filius: Bonum est consilium. Statim **[175v:]** occulte porcum occidit et in sacco super dorsum accepit et ad domum primi amici ivit et pulsavit. Amicus ejus surrexit et quesivit quare venisset. Ait iste: A casu hominem occidi et corpus ejus in sacco super dorsum meum porto. Rogo te ut in hac necessitate mihi subvenias et in domo tua sepelies. Cui iste: Karissime, si corpus ejus erga me fuerit inventum, filius ero mortis. Tamen quia amicus meus fuisti et me plus quam teipsum dilexisti, ad patibulum tecum ibo et $3^{s}$ vel $4^{or}$ ulnas de panno tibi dabo ad volvendum corpus tuum. Iste hoc audiens ad $2^{m}$ amicum ivit et illi dixit sicut priori de occisione hominis. Cui iste: Karissime, credis me talem stultum esse quod ego vitam meam pono pro te, quia si mecum inventum fuerit corpus mortui, vitam perdam. Tamen propter amiciciam, quam ad me habuisti, ad patibulum tecum ibo et te consolabor in quantum possum. Naturale est enim nobis omnibus mori. Iste ad $3^{m}$ amicum venit, qui dixit: Dic mihi causam adventus tui. Ait iste: Verecundor tibi dicere, quia numquam aliquid boni pro te feci. De casu hominem occidi, sicut prius. O karissime, trade mihi corpus et illud super dorsum portabo et loco tui ad patibulum ibo. Dum vero saccum aperiret, invenit porcum occisum.

Mistice iste imperator est pater celestis. Sed filius est quilibet christianus, qui per vii annos et quamdiu vivit in isto mundo, conversatur et acquirit tres amicos. Primus amicus est mundus, quem plus diligit quam seipsum, et sepe se in patibulo mortis pro bonis temporalibus acquirendo suspendit, quia de omnibus bonis suis nihil ei dat nisi vile pannum ad tumulum eum sepeliendo. Et ideo qui in eo confidit stultus est valde. $2^{us}$ amicus est quem tantum diligit sicut seipsum, est uxor, filii etc., qui tempore necessitatis sc. post mortem tecum vadunt plorando ad sepulchrum, sed infra paucos dies tui obliviscantur, et tua uxor alium ducet. $3^{us}$ amicus pro quo parum aut nihil facimus, sed multum eum

offendimus, iste in tempore necessitatis pro nobis mortem sustinuit sc. Jhesus Christus.

**[176r:]** De trunco avari et fabro. Erat quidam avarus sedens juxta mare, qui magnum thesaurum habuit et totum in trunco posuit juxta ignem in domo suo, nullo sciente. Accidit una nocte quod magna pluvia venit et eandem villam per omnes domos incurrit. Et truncum cum pecunia levavit et bene per tria miliaria ad aliam villam natavit. Faber ejusdem ville truncum videns ad domum suam traxit et cum securi secuit et in plures partes divisit. Et pecunia cecidit, et iste gavisus valde gracias egit Deo. Sed avarus truncum cum pecunia per multas villas quesivit. Tandem ad illam villam pervenit et diligenter de trunco quesivit. Faber ad istum avarum dixit: Cras mecum prandebis. Et sic a vicinis explorabo utrum truncum invenerunt. Iste consensit et usque mane exspectavit. Faber in nocte fieri fecit 3[s] postellas. In prima posuit ossa mortuorum, in 2[a] terram, in 3[a] totam pecuniam, et vocavit avarum et ait ad eum: Ecce, ego inveni postellas pro prandio nostro. Elige quam tu vis habere. Ego vero 2[am] tenebo pro me et uxore et 3[am] pro pueris meis. Avarus concessit et accepit tres postellas ad manus et ponderavit, que esset gravior. Et invenit postellam terra plenam, quam elegit. Et ait ei faber: Adhuc semel eligas ne sis deceptus. Et sic tribus vicibus eandem elegit. Faber hoc videns pro se et uxore et pueris suis alias duas servavit.

Mistice avarus iste est pater Adam, cui non sufficiebat quod ei Dominus totum paradisum commisit et dominum eum constituit totius creature. Ps. [8,8]: *Omnia subjecisti etc*. Ipse truncum habuit sc. lignum pomi vetitum. Sed venit aqua superbie et avaricie, abstulit truncum cum pecunia, et avarus sc. Adam circuiit istum mundum laborando pro pane suo in labore et sudore et eum non invenit. Sed faber sc. Christus truncum invenit, qui fabricatus est corpus et animam. Quomodo ipsum invenit? Certe per suam passionem amaram acquisivit nobis thesaurum celestis regni. Sed per illas **[176v:]** tres postellas debemus intelligere tria genera hominum. Per primam in qua fuerunt ossa mortuorum, debemus intelligere potentes mundi hujus, qui licet faciunt aliqua bona opera, tamen eadem sunt arida propter peccata eorum mortalia, in quibus jacent, nec confiteantur. Per 2[am] in qua fuit terra, intelliguntur sapientes mundi, qui pleni sunt terra sc. ponunt totum sensum in terrenis rebus et modicum curant de celestibus. Per 3[am] postellam in qua jacet pecunia abscondita, intelliguntur boni christiani et timentes Dominum, in quibus manent

virtutes, quas in baptismo receperunt. Unde dicitur [Mat. 5,8]: *Beati mundo corde.*

Quidam rex erat qui statuit pro lege quod quando aliquis deberet mori vel occidi, tunc duo buccinatores ante ostium ejus in summo mane deberent in buccinis canere. Et iste qui deberet mori, vestimentis nigris induebatur. Accidit quod iste rex magnum convivium fecit, ad quod omnes nobiles sunt vocati. Cum autem omnes venissent et saturati essent, buccinatores de diversis generibus musicorum omnem melodiam ostenderunt, et cum omnes essent in gaudio, rex caput inclinavit et parum comedit et inter fercula sepius flevit. Satrape et alii hoc videntes contristati sunt valde. Rex vero unum fratrem habuit, qui semper palacium circuibat hinc inde, ut invitatos consolaretur. Vocaverunt eum et dixerunt: Dominus noster laute ministrat, sed nobis vultum hilarem non ostendit sed flet, et que sit causa penitus ignoramus. Rogamus ergo ut inquiratis ab eo causam tristicie ejus, ut si aliquis ex nobis offenderit eum, parati sumus omnes satisfacere pro eo. Frater hoc audiens accessit ad eum et ait: Rogo, frater, dic mihi causam tristicie. Cui rex: Die crastina hora prima dabo responsum. Mane facto rex vocavit duos buccinatores et ait: Precipio vobis ut eatis ante ostium fratris mei et canite tubas. Statim satellites regis fratrem regis vestimentis nigris induebant et eum ante regem presentabant. Et ecce viri cum 4$^{or}$ gladiis, unus a dextris et alter a sinistris, unus ante et alius retro. Hoc facto dixit ei rex: Frater, letare. Cui iste: O domine, non possum, quia omnia ista contra me sunt.

Mistice rex iste dicitur quilibet bonus christianus, qui habet regere se in bonis virtutibus et sensus suos in Dei servicio ordinare. Buccinatores **[177r:]** sunt signa, que Deus ante diem judicii predixit, sc. [Mat. 24,7] *Surget gens contra gentem.* Ista debemus quotidie cogitare. Unde Jheronimus: Sive comedam, sive bibam etc. [72]Surgite, mortui, et venite ad judicium. Item debemus indui vestimentis nigris et deponere delicias et voluptates hujus mundi et cogitare, quod mori debemus sed nescimus qua hora, ubi vel quomodo. Unde nihil est certius morte etc. Item debemus cogitare de fovea infernali, quia qui semel in eam ceciderit, inde non exibit. Item de 4$^{or}$ gladiis debes timere et precipue de diabolo. Unde si frater tuus sc. caro tua te investigaverit de aliquo, quod est contra Dominum, ista ante eum ponas. Et sic Deum videbis et ad vitam eternam pervenias.

[72] This utterance is attributed to Bernardus f. 66v and to Augustinus f. 307r

De cecis. Quintillus regnavit qui statuit pro lege ut qui cecus esset per totum regnum suum, centum solidos ab eo deberet habere. Accidit quod 4[or] socii vel sex ad quandam civitatem ad unum hospicium venerunt, et ibi pecuniam magnam expenderunt et tandem non habuerunt ut hospiti satisfacerent. Iste eos inclusit et juravit quod inde non exirent, donec solverent ultimum quadrantem. Unus ex ipsis dedit consilium ut mitterent ad palacium regis, ut centum solidos peterent secundum quod rex statuerat. Et cecidit sors super illum, qui consilium dederat, et socii ejus ei oculos eruerunt. Postea ductus est ad palacium regis et pulsavit. Janitor veniens diligenter quesivit quis esset. Ait illi: Male legem intelligis. Rex loquitur de cecis natis et ex infirmitate vel senectute. Aliqui a Deo sunt percussi, tu vero pridie claros oculos habuisti. Sed in camera oculos tuos dilusisti, ideo queras alibi solucionem, quia de domo regis nil habebis.

Mistice imperator iste est Dominus noster Jhesus Christus, qui istam legem dedit etc. Cecus potest dici quilibet homo, qui in infirmitate, paupertate et tribulacione percussus est et patienter sustinet. Centum solidos ab imperatore sc. Christo sc. vitam eternam habebit juxta illud [Mat. 5,9]: *Beati pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur.* Qui ad tabernam sedet, sunt multi in isto mundo residentes, quibus tabernarius sc. diabolus **[177v:]** vina sc. bona mundana propinat. Tales facti sunt ceci, cum peccata committunt nec de ipsis umquam dolent, sed peccatis peccata addunt et exultant in rebus pessimis. Tales cum difficultate graciam Dei obtinebunt, quia sors diabolica cadat super eos, ut priventur oculis spiritualibus, quia Deum non possunt videre. Studeamus ergo sic sobrie in taberna hujus mundi vivere et bona opera perpetrare, quod nihil teneamur diabolo solvere. Et sic recipiemur ad regnum celorum.

De filio imperatoris et aureo pomo. Aurelianus regnavit in civitate romana, qui tantum unicum filium habuit quem multum dilexit. Qui cum jam mori deberet, vocavit filium suum et ait: Fili karissime, unum pomum aureum habeo preciosum valde. In virtute benediccionis mee tibi dabo. Vade ergo per plura regna et castra, et ubi majorem stultum inveneris, da ei pomum istud. Ait filius: Pater, libenter mandatum tuum complebo. Hiis dictis emisit spiritum. Post hoc ad paucos dies filius equitavit per multas provincias, castra et civitates. Tandem venit ad quoddam regnum, in quo novus rex eligebatur cum magna solempnitate.

Ille hoc videns quesivit que esset consuetudo illius regni, utrum filius regis illud regnum post mortem patris occuparet. Dixerunt sibi quod consuetudo hujus regni esset, quod quolibet anno novus rex eligeretur, qui

per totum annum quamdiu est rex, potest precipere et disponere in regno quidquid sibi placuisset. Sed finito anno spoliabitur omnibus bonis et honore et nudus in exilium mittatur, ubi fame et frigore moreretur. Filius imperatoris, cum hoc audisset, regem noviter electum et coronatum accessit ad eum et intime respexit. Quem cum videret ridere et letificari, in corde suo cogitavit: Ubicunque fueram, tam naturalem stultum numquam inveni sicut istum regem. Hic possum benediccionem patris mee adimplere. Accessit ad regem et sibi pomum aureum ex parte patris sue presentavit.

At iste: Karissime, qua de causa pater tuus mihi pomum istud dedit, cum non habeo noticiam sui, nec aliquid servicium ei umquam feci? Cui iste: Domine, non tibi singulariter dedit, nec nomen tuum mihi expressit, quod tibi pomum illud darem. Nunc multa regna, civitates et castra circumivi et multos **[178r:]** stultos inveni, sed talem naturalem stultum numquam inveni sicut tu es. Ideo pomum illud ex precepto patris mei tibi dedi. Ait rex: Dic mihi, karissime, quare indicas me esse naturalem stultum? Cui iste: Quis potest esse major stultus quam tu es? Tibi constat quod in fine istius anni ab omni honore et diviciis spoliaberis, et adhuc in exilium positus eris, ubi mala morte morieris, et hoc non obstante regnum illud accepisti. Jam gaudes ac si semper rex esse deberes, et ideo naturalis stultus es, et ideo pomum illud tibi dedi. Ait rex: Benedicta sit hora, in qua huc venisti. Pomum illud plus mihi valebit quam totum regnum meum. Statim quamdiu esset rex, omni die aurum et argentum, vinum blandum et oleum premisit in exilium et omnia necessaria pro se et sua familia, ac si per tot annos vivere debuisset. In fine anni cum depositus fuisset ac spoliatus et in exilium missus nudus, ubi omnem abundanciam de omnibus necessariis usque ad finem vite sue invenit.

Mistice iste imperator est pater celestis. Sed filius est Dominus noster Jhesus Christus, qui dat pomum majori stulto sc. misero homini. Debetis scire quod inter omnia naturalia homo potest dici stultus ad dirigendam viam salutis, et homo bene scit quod non regnabit nisi per unum annum sc. per breve tempus sue vite eterne. Immo ignorat si per diem naturalem vivere potest. Cum hoc ita sciat, non tamen cessat mundana laborare et addere peccata peccatis. Tamen in fine mortis spoliabitur diviciis et honore. Fac ergo tu sicut iste rex fecit: Si Deus dedit tibi pomum aureum sc. divicias, mitte ad exilium que ventura sunt bona et que tibi necessaria sunt sc. eleemosyne etc., et mitte oraciones et jejunia et alia bona opera misericordie, et cum spoliatus fueris per mortem, ibidem invenies omnia necessaria et omnem copiam sc. vitam eternam.

Item de duobus physicis. Quidam rex erat valde potens qui nolebat invidos in regno suo pati. Erant tunc tempore in regno ejus duo physici, et quidquid unus illorum fecit, hoc et alius faciebat. Accidit quod unus alteri invidebat. Dixit unus ad alium: Per multum tempus socii fuimus, et ut non sit scissura inter nos, per unum factum probamus, quis sit melior inter nos in arte medicine, et quicunque defecerit inter nos sit discipulus alterius. Ait alter: Mihi bene placet, sed dic mihi quomodo probamus? **[178v:]** At iste: Hec est probacio. Si ego ambos oculos tuos sine dolore eruam et in mensam coram multis ponam, et tibi iterum in caput sine dolore restituam, et quod ita clarum sicut prius visum habueris, et omnia ista sine dolore et lesione perpetrabo, satis erit bona probacio hec. Et tu similiter facias mihi. Et miserunt sortes quis prius erueret oculos alterius, et cecidit sors super illum, qui consilium dederat, qui dixit: Vocetur ergo multitudo populi.

Et venerunt. Et positus est super mensam. Statim accepit pixidem cum nobili ungento et oculos socii unxit et cum subtili instrumento ambos oculos extraxit et super mensam posuit. Et ait: Karissime, numquid dolorem sensisti? Respondit: Nullum. Et statim cum nobili ungento unxit loca et quemlibet oculum ad suum locum restituit. Et ait: Karissime, da gloriam Deo. Dic quomodo de oculis tuis sentis. Qui ait: Dicam veritatem, nec dolorem sensi quando oculos meos extraxisti nec quando eos in loca sua posuisti, et tam clare video sicut prius.

Ait 2[us]: Eodem modo mihi ministres, alioquin discipulus meus eris. Ille vero securus sine lesione ambos oculos extraxit et super tabulam coram omnibus posuit et ait socio: Numquid lesionem sentis? Ait iste: Penitus nullam. Dum modo sic invicem loquerentur, venit unus corvus et unum oculum rapuit et comedit. Medicus hoc videns turbatus est et ait intra se: Nisi duos oculos sibi restituam, ero perpetuus suus servus. Respexit intra se et vidit unam capram, cui statim oculum eruit et in locum posuit. Cumque oculos in locis suis posuisset, ait: Karissime, da gloriam Deo, et dic quomodo est tibi. Qui ait: Optime mihi ministrasti. Nullum dolorem sensi nec in extrahendo nec in imponendo, sed unum est quod miror. Unus ex oculis frequenter respicit alta sicut ad horsum[?], sed in hoc non est vis. Omnes videntes hoc factum medicos istos laudabant, et ab illo tempore facti sunt socii ad invicem, et in una domo sic permanserunt per totum tempus vite sue.

Mistice imperator iste est pater celestis. Isti duo medici periti in arte medicine sunt duo genera hominum in hoc mundo sc. potentes et sapientes, quia primi per potenciam bona temporalia acquirunt et sapientes

per suam sapienciam similiter. Sepe inter istos est invidia in tantum, quod uterque in utroque oculos extrahit sc. dileccionem Dei et proximi, quia per istos oculos quilibet **[179r:]** debet videre in die judicii. Dic mihi quomodo extrahuntur? Certe per ungentum et instrumentum sc. per potenciam exspoliant pauperes. Sapientes vero per cautelas legum et scripturarum duos oculos sine corporali dolore amittunt sc. dileccionem Dei et proximi. Sed quomodo restituuntur? Certe per instrumenta contricionis et per ungentum confessionis. Sed unus oculus rapitur per corvum sc. oculus potentis, et oculus capre loco ejus ponitur sc. ad tempus quamdiu contricio durat. Tunc arbores respicit sc. divina precepta.

Primus oculus est Dominus noster Jhesus Christus, qui non tantum oculus noster est sed totum corpus, sc. quando in cruce mortem pro nobis sustinuit. 2$^{us}$ oculus est sacra scriptura, per quam debemus dirigi ad viam salutis eterne. Sed veniunt heretici et per doctrinam suam multos excecant et multos ad errorem inducunt. Et sic est oculus extractus. Item duo oculi extrahuntur ab uno medico, quando christianus alterius infirmitati compatitur. Item a 2$^{o}$ medico duo oculi extrahuntur alteri medico, sc. quando bonus homo alteri in necessitate et tribulacione sublevat, ita quod seipsum attendat et proximum a miseria sublevat. Oculi sunt restituendi ungento contricionis, confessionis et satisfaccionis.

Quedam civitas erat juxta mare, que a bestiis venenosis multa mala patiebatur. Inter alias bestias erat quidam dracho fortissimus, qui cum una die venerat ad civitatem, et cives quotidie ei unum animal dabat ad comedendum. Inter se consilium inierunt, quomodo possent civitatem illam a illis bestiis et precipue a drachone liberare. Tandem venit unus de longinquis partibus, qui consilium eis dedit, quod leonem caperent et in alto ligno suspenderent, et cum bestie hoc videbant, fugierunt et precipue dracho. Cives a casu leonem ceperunt et mortuum in ligno cum clanis fixerunt, ita quod ipsum per totam civitatem viderunt. Quem cum dracho vidisset, statim recessit.

Mistice ista civitas signat mundum, qui diu a demonibus multa mala patiebatur propter peccatum primi parentis. Dracho sc. diabolus, qui non tantum unum animal, sed omnia ante adventum Christi ad infernum duxit, donec leo sc. Christus suspensus erat in ligno sc. sancte crucis.

De milite predone. Miles quidam erat magnus predo, qui habuit unum fidelem famulum. Quadam die cum per quoddam nemus equitaret, accidit **[179v:]** quod xx marchas perdidit. Cum enim pecuniam non invenisset,

servum interrogavit utrum pecuniam invenit. Qui ait quod nihil sibi de ista pecunia constaret. Sed quia famulum suspectum habebat, amputavit sibi dextrum pedem et relicto eo domum equitavit. Erat quidam heremita prope viam, qui cum clamorem servi audiret, statim ad eum properavit et ad cellam suam duxit. Et adoratorium suum intravit et Dominum pro eo interpellavit, eo quod innocentem pedem perdere permisit. Cumque diutius orasset, venit angelus ad eum et ait: Noli loqui adversus Deum. Scias eum propter culpam antiquam pedem amisisse, quia cum eodem pede matrem suam bigo precipitavit malivole, pro qua nullam penitenciam egit. Pone ergo custodiam ori tuo et noli improperare Deo nostro, cum iste sit judex justus, fortis et patiens.

Mistice miles potest dici primus homo Adam, qui perdidit pecuniam sc. paradisum, ex quo expulsus erat, famulus fuit et totum humanum genus ab eo procedens. Adam quesivit quod amiserat et non invenit, donec Christus per suam passionem Deo patri nos reconsiliavit. Adam famulo sc. generi humano dextrum pedem amputavit, quando nos per peccatum ipsius mortem incurrimus. Unde dexter pes sc. immortalitas a nobis est ablatus et amputatus per ejus peccatum. Sed heremita est ecclesia militans, peccatorem per baptismum recepit et in bonis actibus nutrivit. Pauper vero invenit pecuniam perditam, sc. Dominus rnoster Jhesus Christus, qui erat natus, paradisum invenit per suam passionem et inter nos distribuit.

De imperatrice noverca Diocleciani. Poncianus regnavit in civitate romana, prudens valde, qui pulcherrimam uxorem habuit quam multum dilexit. Imperatrix concepit et pulcherrimum filium peperit, cui nomen Dioclecianus imposuit. Cum autem puer esset vii annorum, mater ejus usque ad mortem infirmabatur. Vidensque quod evadere non potuit, vocavit imperatorem et ait: Domine, de hac infirmitate evadere non possum. Unam peticionem antequam moriar, humiliter peto. Cui iste: Petis quid vis, et paratus sum adimplere. Ait ista: Scio quod post mortem meam aliam uxorem ducas. Rogo quod ista non habeat potestatem super filium meum, **[180r:]** sed nutriatur longe ab ea. Et imperator ipsam multis diebus et ultra planxit et multo tempore uxori copulari noluit. Semel cogitavit intra se de filio suo, et mane facto vocavit nobiles suos et super hoc consilium habuit, ut filium traderet ad nutriendum et doctrinandum. At illi: Domine, in Roma sunt vii sapientes, qui omnes magistros mundi sapiencia et sciencia excellunt. Unus illorum vocatur, et illis puer tradetur ad nutriendum et doctrinandum. Imperator statim literas ad illos vii sapientes misit ut sine omni dilacione ad eum venirent. Illi statim venerunt, et ait eis

imperator: Tantum unicum filium habeo, sicut vobis constat, quem vobis ad nutriendum et doctrinandum dabo, ut per vestram doctrinam post mortem meam imperium posset regere.

Ait primus: Domine, trade mihi filium tuum, et ego faciam eum scire, quantum omnes socii mei sciunt, infra vii annos. 2[us] ait: Domine, multo servivi tibi. A te nullam mercedem recepi et nunc nihil aliud peto, nisi ut mihi filium tuum tradas etc. ut primus dixit. Et omnes socii, quilibet pro se rogavit sibi filium dari ad nutriendum et doctrinandum, et unusquisque descalavit annum, ita quod ultimus dixit infra unum annum. Hiis dictis imperator ait: Multum regracior vobis, quod quilibet vestrum cupit filium meum ad nutriendum.

Illi omnes puerum acceperunt et domum perrexerunt, et cum domum pervenissent, sibi speciale commodum et pulchram cameram fieri jusserunt, et vii artes scripserunt, ut puer in omni tempore tamquam in libro suo doctrinam suam videre poterat. Magistri ipsum satis instruxerunt. Finitis vii annis magistri in se dixerunt: Bonum est ut discipulum nostrum temptemus, quomodo proficeret. Ait primus nomine Tantillus: Quomodo probabimus? Ait Cato: Ipso dormiente ponamus sub quolibet cornu lecti unum folium de lauro. Et sic factum est. Cum vero ex sompno excitatus fuisset, oculos suos in summitate camere erexit. Magistri hoc videntes dixerunt: Domine, qua de causa oculos tuos ita dirigas? At iste: Non est mirum. Aut summitas aut altitudo camere istius inclinata est, aut terra sublime elevata. Magistri **[180v:]** hoc audientes dixerunt: Si puer iste vixerit, aliquid magni erit.

Iterum nobiles et sapientes imperii ad imperatorem dixerunt: Tantum unicum filium habes. Possibile est quod moriatur. Bonum est tibi uxorem ducere, ne imperium manet sine herede. Ait imperator: Ex quo sic est, querite mihi pro regina virginem pulchram et eam in uxorem ducam. Tandem filiam regis nimis pulchram ad imperatorem duxerunt, et eam in uxorem duxit et omnis dolor prime imperatricis ab eo recessit. Et ambo diu simul vixerunt. Imperatrix concipere non potuit, de quo multum doluit. Cum vero audisset quod imperator tantum unicum filium habuisset in longinquis partibus, cogitavit intra se quomodo eum occidere potuisset. Accidit una nocte, cum simul jacerent, ait imperatrix: Domine, parvam peticionem peto a te. Qui ait: Proponas. At ista: Constat tibi adhuc non concepi. In hoc multum sum turbata. Unicum filium habes in longinquis partibus cum magistris, quem meum reputo filium. Rogo ut pro eo mittas, ut de ejus presencia gaudere possum, quousque Dominus visitaverit me. At iste: Fiat voluntas tua, quia diu ipsum non vidi. Statim magistris vii literas

misit ut hiis visis sub pena mortis filium suum sibi adducerent. Cum magistri legissent literas, in crepusculo noctis stellas inspexerunt si expediret. Et in stellis vidissent, quod si puerum tempore presignato non ducerent, omnes capita sua amitterent, et puer occideretur. Et contristati sunt valde.

Puer de camera exiit et causam tristicie ab eis quesivit. At illi: Domine, nuncius venit ut te ad patrem tuum duceremus. Super hoc stellas inspeximus, ubi clare vidimus quod si te patri tuo presentabimus tali tempore nobis assignato, in primo verbo quod ab ore tuo prolatum fuerit, moriaris. Quod si non fecerimus, vitam nostram amittamus. At iste: Ista nocte ego stellas videbo. Cum perspexisset, clare vidit quod magistri verum dixerunt. Sed cum ulterius vidisset, in parva stella vidit quod si vii dies, postquam ad patrem suum veniret, ab omni verbo se abstineret, ita quod videretur mutus ita quod non loqueretur, et omni die ad suspendium duceretur et cum difficultate salvaretur. Magistros suos vocavit et ait: Ista stella parva satis clare et aperte habet, quod si omni verbo etc. sicut supra. Modo vos eciam vii magistri, quilibet vestrum cum sua sapiencia una die poterit me salvare. Cumque enim magistri stellam vidissent, quod verum dixisset, una voce dixerunt: Benedictus Deus, quod sapiencia discipuli nostri **[181r:]** omnes nos precellit. Ait Tantillus: Domine, prima die vitam tuam salvabo. 2[us] dicit: Et ego te 2[a] die salvabo, et sic magistri dixerunt per ordinem. Hiis dictis cum magno comitatu venerunt ad imperatorem.

Imperator cum hoc audisset, obviam filio suo equitavit. Cum magistri intellexerunt quod imperator venit obviam eis, dixerunt puero: Domine, nos recedimus. At iste: Mementote mei tempore necessitatis. Imperator vero cum filio appropinquasset, amplexatus est eum et osculatus, dixit: Fili mi, quomodo est tibi? Multo tempore te non vidi. Iste vero caput inclinavit et nil loquebatur. Rex vero multum admirabatur. Cum vero ad palacium venisset, imperatrix cum magno ornatu et dominabus[?] et ancillis eum secum ad cameram duxit. Et omnes de camera exire jussit et puerum juxta se collocavit et ait ei: O bone Diocleciane, scire debes quod patrem tuum feci pro te mittere, ut gauderem de presencia tua. Unde dico tibi quod in amorem tuum meipsam virginem custodivi, ut tu virginitatem meam haberes. Loquere ergo mihi, et simul vivamus. Puer vero non respondit ei verbum. Illa hoc audiens ait: O Diocleciane, scire debes, sicut prius. Iterum non respondit. Ista hoc videns dixit ei: O Diocleciane, si amorem tuum non habuero, ero filia mortis. Hiis dictis amplexatus est puerum et eum osculari voluit. Puer vero faciem suam avertit. Ait ista: O fili, cur talia facis? Ecce nullus nos videt. Dormiamus simul. Iste vero caput ab ea avertit. Ista vero

ei pectus ostendit, et iste semper ab ea recedere vellet. Ista hoc videns ait: Si mihi non vis loqui, dabo tibi tabulam, in qua mihi voluntatem tuam scribas. Puer scripsit: Absit a me, domina, ut violem pomerium domini et patris mei et in conspectu Dei peccarem et patris malediccionem incurrerem. Ideo ammodo tale opus exercendum me non sollicites vel instiges.

Ista vero cum legisset, cum dentibus momordet et vestes usque ad umbilicum laceravit et faciem suam usque ad sanguinis effusionem, et omnia ornamenta capitis deposuit et clamorem validum emisit dicens: Succurrite mihi propter Deum, antequam iste Dioclecianus me opprimat. Imperator cum esset in aula, clamorem imperatricis audivit et agili cursu ad eam intravit, et milites eum sequebantur, et quesivit causam clamoris. At ista: O domine, miserere mei. Iste non est filius tuus, sed diabolus, qui me ad peccatum, in quantum potuit, sollicitavit, et quia ei consentire nolui, ipse me opprimere volebat. Et ostendit faciem et vestes. Imperator repletus furore precepit satellitibus ut eum **[181v:]** ad patibulum ducerent et suspenderent. Satrape dixerunt: Domine, tantum unicum filium habes. Non est bonum tam breviter occidere. Lex posita est pro transgressoribus, quod per legem moriantur. Ecce rex sine judicio in suo furore filium occidere voluit, sed hoc audiente precepit ut incarceretur et die crastina coram eo judicium fieret, quod factum est. Die crastina puer ducitur ad judicium et condempnatur. Ducitur ad patibulum omnibus convenientibus, et ecce clamor factus est: Heu, unicus filius imperatoris ducitur ad mortem. Cum vero eum ducerent, ecce primus magister nomine Tantillus obviavit populo. Puer vero, cum magistrum vidisset, caput ei inclinavit ac si diceret: Memento mei, cum veneris coram patre meo, ecce ducor ad patibulum.

Magister dixit ad populum: Nolite tantum festinare cum puero. Spero de Dei misericordia quod hodie ipsum a morte liberabo. Responderunt omnes: O bone magister, festina et salva discipulum tuum. Iste festinavit ad imperatorem et ipsum flexis genibus salutavit. Ait imperator: Numquid bene scis, quod tradidi tibi filium meum et sociis tuis bene loquentem. Modo mutus factus est et, quod pejus est, uxorem meam opprimere voluit. Propter hoc hodie moriatur, et vos morte turpissima condempnabo. Ait magister: Quantum ad primum respondebo. Novit Deus quod in nostra societate optime loquebatur, sed quomodo modo non loquitur, novit Deus. Sed quod dicitis de uxore vestra, novit Deus quod per vii annos nobiscum stetit, et numquam talia de eo percepimus. Unum pro certo vobis dico quod si filium vestrum propter verbum uxoris vestre vultis perimere, vobis pejus contingat quam illi militi, qui leporarium suum optimum sibi nimium

dilectum occidit propter uxorem, de quo postea multum doluit. Ait imperator: Dic mihi illud. At iste: Domine, non dicam, quia antequam finirem, puer posset suspendi, et tunc nihil valeret, quod dixissem. Sed si vultis quod dicam exemplum, revocetur puer et ponatur in carcerem, et postea dicam vobis, et eum potestis salvare et perdere. Imperator puerum fecit revocari et in carcerem poni usque in crastinum, et tandem puer liberatus est et noverca igne concremata.

Mistice iste imperator signat quemlibet christianum, qui habet unicum filium sc. animam, quam debet ad vii opera misericordia ponere, per que salutem eternam potest adipisci, et vii artes sc. alias virtutes fructuosas quotidie imprimere. Noverca sc. caro petit puerum ut veniat, [Galat. 5,17] *quia caro concupiscat contra spiritum.* Fac ergo tu sicut fecerunt vii sapientes. Si inimicus sc. cogitacio [mala] venit ad cor tuum, respice ad stellas **[182r:]** sc. in sanctam doctrinam, et bene invenias quomodo possis evadere eternam mortem. Si sic non feceris, vii sapientes capita amittent. Puer vero non loquebatur vii diebus et seipsum salvavit cum magistris et noverca[m] imperatrix[icem] comburi fecit. Ideo studeamus habere opera misericordie semper.

De tribus nutricibus filii imperatoris. Erat quidam miles qui tantum unicum filium habuit, quem multum dilexit, quod ei tres nutrices ordinavit custodiendo, primam ut eum aleret, $2^{am}$ ut eum sordibus ablueret, $3^{am}$ ut eum ad dormiendum portaret. Habebat unum leporarium et falconem, quos miro modo dilexit. Leporarius istam virtutem habuit, quando aliquam bestiam cepit, illam tenuit, quousque dominus venit. Item quando dominus ad bellum ire et in bello vincere [deberet], canis ante dominum suum, quando equum ascendere voluerit, $3^{s}$ vel $4^{or}$ saltus fecit ante equum, ut domino suo bene succederet. Sed si non bene ei succedere deberet, canis caudam equi tenuit et ejulatus emisit. Sic per ista duo signa miles erat expertus, quando prospere incederet vel in vanum equitaret. Accidit quod miles in torneamentum ivit, et nutrices domum exierunt et puerum solum dimiserunt in aula. Et canis juxta puerum jacebat, et falco sedebat in porticu. Quidam serpens venit et ivit contra cunabulum, ut puerum occideret. Sed falco hoc videns innuit hoc cani quasi diceret: Surge, adjuva puerum. Et sic canis de sompno excitatus vidit serpentem, contra eum surrexit, et sic ambo pugnaverunt. Et cum sic simul pugnabant, serpens canem momordebat quod sanguis copiosus ab eo exiit, et in circuitu cunabuli multus erat sanguis. Canis leporarius magno labore serpentem occidit, ita quo cunabulum fuit transversum.

Cum cunabulum 4[or] cornua habuit, quod facies pueri terram non tetigit, et illesus permansit. Sed canis jacebat juxta parietem et vulnera sua lambebat. Cito post hoc nutrices domum venerunt. Cum vero cunabulum eversum viderent et sanguinem in circuitu et canem cruentatum, putabant quod canis puerum occidisset, et non viderunt nec consideraverunt quid actum esset de puero, sed fugam extra aulam ceperunt. Cum essent in fuga, domina eis obviavit et ait: Quo tenditis? Iste dixerunt: O domina, heu nobis et vobis. Canis quem dominus diligit, puerum occiderat et superficiem terre et cunabulum sanguine pueri maculavit. Domina super terram cecidit et flens et ejulans dixit: Heu mihi. Quid faciam, **[182v:]** quia orbata sum filio meo.

Miles vero domum venit, et cur domina sic clamaret, quesivit causam doloris. At ista: O domine, heu nobis. Canis tuus, quem multum diligis, unicum filium nostrum occiderat et juxta parietem sauciatus sanguine pueri jacet. Miles multum commotus aulam intravit. Canis surrexit et applausus domino suo fecit, sicut prius solebat. Miles gladium extraxit et cani uno ictu caput amputavit. Hoc facto iverunt ad cunabulum et puerum sanum invenerunt. Unde per certa signa miles cognovit quod canis ad defensionem pueri serpentem occiderat. Tunc miles cum clamore et fletu valido, scissis vestibus, clamavit dicens: Heu mihi, quod propter verbum uxoris mee canem occidi. Heu mihi, a meipso accipiam penitenciam. Lanceam insuper ferream fregit, et nudis pedibus ad sanctam terram perrexit et vitam in bono finivit. Tunc magister dixit imperatori: Audistis, quod ego dixi? Ait iste: Bonum exemplum dedisti. Sine dubio hodie filius meus non moritur.

Mistice miles iste potest dici quilibet mundanus mundo datus, qui unicum filium sc. animam habet. Canis sc. racio, que hominem dirigit. Miles ad torneamentum vadit. Sic homo sepe extra divina precepta vadit ut mundi spectacula videat. Tres nutrices, que puerum custodiunt sc. animam, sunt contricio, confessio et satisfaccio. Contricio animam alit bonis operibus, confessio a sordibus lavat, satisfaccio ad dormiendum et quiescendum in bonis operibus ducit. Domina sc. caro clamat: Filius noster mortuus est sc. si viam penitencie elegeris vivere secundum carnem non poteris. Miles lanceam fregit, sic et tu muta malam voluntatem in bonam per jejunium. Et sic eleemosynam. Et sic puerum sc. animam sanam invenias.

Imperator erat qui habuit nemus, in quo erat aper crudelis in tantum quod multos intrantes occidit. Imperator de hoc multum doluit et fecit

proclamare quod quicunque aprum occideret, filiam suam cum toto regno post mortem suam in uxorem acciperet. Erat quidam pastor qui cogitavit aprum occidere, nemus intravit. Aper cum vidisset, contra eum cucurrit. Iste vero arborem ascendit. Aper incepit arborem corrodere, quod videbatur pastori quod cito vellet cadere. **[183r:]** In arbore erat fructus bonus et dulcis, et de isto fructu apro projecit. Aper comedit de fructu, quo repletus et cepit dormire. Quod pastor videns ipsum occulte occidit et filiam imperatoris in uxorem duxit.

Mistice iste imperator est pater celestis. Nemus est mundus. Aper est diabolus. Aper iste multos occidit ante incarnacionem Christi et secum ad infernum duxit. Pastor est filius Dei, qui carnem de virgine Maria assumpsit. Unde [Joh. 10,11]: *Ego sum pastor bonus etc.* Pastor arborem ascendit sc. sanctam crucem, per quam diabolum occidit. Fructus ejus arboris est sanguis Domini nostri Jhesu Christi, per quem diabolus fugam cepit, et ipsam filiam sc. sanctam animam Deo acquisivit et ad vitam eternam duxit.

De juvencula uxore. Quidam miles senex erat in civitate una, qui habuit juvenculam uxorem, quam miro modo dilexit, et ideo in nocte ostium domus ipsemet clausit et claves sub capite posuit. In civitate illa erat preceptum, quando una campana pulsata erat, si quis ambularet in nocte, a custodibus esset capiendus et tota nocte incarcerandus et crastina die in piloria ponendus. Miles iste non potuit filiam [uxorem?] consolari quantum sibi placuit. Attamen ipso dormiente claves accepit et ostium aperuit et ad amasium suum ivit. Cito post hoc miles a sompno excitatus et uxorem non inveniens statim surrexit et ad ostium domus ivit et tandem apertum invenit. Ostium clausit et statim ascendit et ad fenestram domus sedit. Post hoc circa mediam noctem venit mulier et pulsavit. O impiissima mulierum, jam expertus sum quod adulterium commisisti. Ammodo dico tibi quod foris manebis, quousque venient et te incarcerabunt. O domine, cur talia dicis? Dico tibi veritatem. Cum tecum essem in lecto, venit ancilla ex parte matris mee, ut eam sine dilacione visitarem. Nolui te a sompno excitare et ideo occulte exivi. Statim ei miles aperuit et eam benigne suscepit.

Mistice miles iste est Dominus noster Jhesus Christus, qui animam nostram in sponsam accepit et eam in tantum dilexit ut eam secum ponat. Unde ipse dicit **[183v:]** [Ps. 8,31]: *Delicie mee esse cum filiis hominum.* Miles ostium claudit et claves sub capite ponit. Sic Christus claudit et aperit. Sed heu, peccator sibi claves furatur, quando divina precepta non

servat sed violat et de peccato in peccatum vadit. Lex est posita quod campana pulsatur, post cujus pulsacionem, si quis in nocte ambulaverit, incarceretur. Campana nihil aliud est quam servare precepta divina. Qui vero contrarium facit verbo aut opere, extra ostium domus sc. extra sanctam ecclesiam inventus per vigiles sc. per demones capietur et in carcerem infernalem deducetur. A quo etc.

De pica. 2ª parabola 2ⁱ doctoris. Erat quidam civis in civitate romana, qui habuit picam, que loquebatur perfecte quidquid vidit vel audivit. Ille civis habuit juvenem uxorem que maritum suum non dilexit, quia carnis debitum ei reddere non potuit, quotiens ista volebat. Mulier ista alium dilexit, et cum maritus esset in negocio suo, pica in reversione ejus narravit marito omnia que audierat a domina. Maritus sepe mulierem arguebat. Illa negavit et dixit: Tu credis pice maledicte. At ille: Pica mea nescit mentiri. Accidit quod maritus pergeret ad longinquas partes. Ista ad amasium suum misit, et ille venit de nocte et ait ad dominam: Pica ista accusabit nos. Sed cum per aulam iret, ubi pica erat, eum loquentem audivit. O domina, ultra quam dici potest picam illam timeo. Pica respondit: Licet te non video vocem tuam audio. Injuste agis quod cum domina domini mei vis dormire. Scias quod omnia domino meo revelabo. Domina ait ad amasium: Noli timere. In nocte ista erimus vindicati in pica ista.

Circa medium noctis surrexit et ancillam vocavit et dixit: Accipiamus scalam et domum ascendamus. Et super gazam, ubi pica sedebat, foramen fecerunt et lapillos parvos et arenam et aquam quasi tota nocte super picam projecerunt, ita quod pica semimortua erat. 2ª die venit dominus et ait pice: Quomodo est tibi? Que ait: Domina mea iterum cum alio dormivit in absencia tua. Et numquam ita male habui sicut in ista nocte, quia fere fui mortua, quia nix et grando et pluvia per totam noctem super me ceciderunt. Cum domina hoc audisset, ait: Per totum annum non erat nox ita clara et amena sicut in ista nocte. Maritus a vicinis querebat, et idem dixerunt. Unde domina ait marito: Satis aperte intelligere potes quod pica mendax est. Civis ivit ad picam et ait: Quare uxorem meam defamasti? Ait pica: Novit Deus, nescio **[184r:]** mentiri. Nonne dixisti mihi quod nocte ista fuit grando, nix et pluvia? Sed vicini mihi oppositum dixerunt. Et sic picam occidit. Cum vero picam occidisset, respexit in summitatem domus, vidit foramen et scalam et statim ascendit super eandem scalam. Et super tectum vas aque plenum et lapillos parvos et arenam [vidit] et statim cognovit fraudem uxoris sue et alta voce clamavit: Heu mihi, quod verbo uxoris mee

credidi, quod dilectam meam occidi, que solacium meum fuit. Et sic statim ab uxore sua recessit.

3ª parabola. De 4or militibus et de 4or doliis auro plenis. Accarnanus regnavit dives valde, qui aurum super omnia cupiebat. In ista civitate erat magister Virgilius peritus in arte magica. Cives eum rogaverunt ut aliquid componeret, per quod ab inimicis premuniti essent. Ille arte sua turrim construxit et in summitate in circuitu turris tot imagines fecit, quot in mundo provincie erant.[73] Et in medio fecit imaginem, que pomum aureum in manu tenebat. Et quelibet imago faciem suam ad provinciam sibi assignatam vertebat. Cumque aliqua provincia contra Romam se opponeret, tunc imago provincie assignata campanam pulsavit, et omnes imagines pulsabant. Romani ergo hoc audientes omnes se armabant et cum magno exercitu ad illam provinciam pergebant, ita quod nulla provincia se occultare poterat nec se de romanis vindicare, quin per imaginem esset provincia manifesta.

Post hoc magister Virgilius ad solacium pauperum fecit magnum ignem in quodam loco, ut pauperes possent ibi calefieri, et juxta eundem ignem quandam aquam ex quodam fonte bulientem, quod omnes pauperes ibi sitim suam extinguerent et ibi balnearentur juxta aquam et ignem. Et ibidem fecit unam imaginem, et in fronte ejus erat scriptum: Qui me percusserit, vindictam in consequenti accipiet. Illa vero imago per multos annos ibidem stetit.

Tandem venit quidam [clericus], qui superscriptionem legit: Qui percusserit etc. Ille cogitavit qualem vindictam acciperet [et dixit:] Tibi melius crederem, si darem tibi alapham et sub pedibus tuis thesaurum invenirem, et nolles quod aliquis [te] tangeret ne caderes. Clericus sibi alapham dedit, et imago cecidit et extinxit ignem et aquam inundavit, et nullum thesaurum invenit. Pauperes de ictu imaginis turbati sunt **[184v:]** valde dicentes: Pereat iste qui propter suam cupiditatem imaginem destruxit et nos magno solacio privavit.

Post hoc venerunt 3s reges, quibus romani multas injurias fecerunt, et inter se dixerunt: Quomodo poterimus nos de romanis vindicare? Et dixerunt: In vanum laboramus, quia quamdiu turris cum imaginibus stat, nihil contra eos agere poterimus. Tunc surrexerunt 4or milites et dixerunt: Quid dabitur nobis ut turrim cum imaginibus destruamus? Reges dixerunt: Quid et quantum petitis. At illi: 4or dolia plena auro. At illi: Fiat voluntas vestra. Isti 4or milites pecuniam acceperunt sc. 4or dolia plena auro et

[73] cf. f 159r.

versus Romam perrexerunt. Tunc ad primam portam ab extra profundam foveam fecerunt et unum dolium plenum auro sepelierunt. Deinde ad $2^{am}$ portam $2^{m}$ dolium, ad $3^{am}$ $3^{m}$ dolium et sic de $4^{o}$ dolio.

Hoc facto satis occulte civitatem intraverunt, et statim eis imperator obviavit et salutavit eos dicens: Unde estis? Qui dixerunt: Domine, a terra longinqua et augures sumus, et nil aliud sompniare poterimus, nisi ubi aurum est absconditum. Et audivimus de vestra probitate. Ideo ad vos venimus, si servicio nostrum indigetis. At imperator: Probabo vos. At illi: Nil aliud petimus nisi dimidiam partem de inventis. Ait ille: Bene dicitis. Et secuti sunt imperatorem. Post cenam dixerunt imperatori: Domine, si placet dormiamus, et senior nostrum sompnium videbit, et cras vobis dicemus. At iste: Ite in nomine Domini. Deus dat vobis sompnium bonum.

Illi iverunt et nocte ista dormierunt. Mane facto ad imperatorem venerunt. Ait senior: Sompnium vidi quod extra portam civitatis primam est fovea sub terra, in qua est dolium auro plenum absconditum. Ait rex: Eamus in nocte et videamus, si vera sunt que dicis. Qui cum ante portam venissent, dolium quod ibi posuerunt, extraxerunt. Rex cum hoc audisset, gavisus est valde et medietatem auri eis dedit. $2^{us}$ ait: Ego sompniabo, et sic omnes breviter dicendo. Et sic aurum totum invenerunt et sic regem deceperunt. Tunc omnes ad regem dixerunt: Domine, ista nocte omnes sompniabimus et speramus quod majorem copiam auri inveniemus. Ait rex: Deus det vobis bonum sompnium et utile.

Mane facto regi dixerunt: O bone domine, rumores habemus. At ille: Dicite mihi. Qui dixerunt: Sompnium vidimus quod sub fundamento turris, ubi sunt imagines, tantum jacet de auro preciosissimo quod omnes equi nostri non possunt portare. **[185r:]** Ait rex: Absit quod turrim destruam propter aurum cum imaginibus, per quas ab inimicis nostris semper fuerimus premuniti. At illi: Cum mane sit, capiemus fundamentum turris sic subtiliter fodendo, quod turris fortius stabit, et totum aurum habebitis. Sed oportet quod hoc de nocte fiat ne populus nos impediat. Ait rex: Ite in nomine Domini et cras adveniam. Illi vero iverunt et ista nocte ceperunt fodere, quousque turris parata erat cadere. Deinde ignem submiserunt et velociter extra civitatem perrexerunt. Vix ad unum miliare venerunt, et turris cum imaginibus cecidit, et imagines erant destructe. Mane venerunt cives romani et turrim cum imaginibus invenerunt destructam. Ultra quam dici potest doluerunt et ad regem accesserunt. At ille totum processum de militibus dixit. Cives vero dixerunt: Per tuam cupiditatem sumus destructi. Unde tua cupiditas in teipsum redundabit. Et statim ipsum acceperunt et os suum auro impleverunt et ipsum vivum in terra sepelierunt.

Mistice iste imperator potest dici quilibet homo in baptismo lotus, qui debet super omnia salutem anime sue concupiscere et turrim sc. cor contritum erigere et imagines sc. sensus ad Dei servicium preparare. Imago in medio turris stetit sc. anima, que debet tenere pomum aureum in manu sc. caritatem in adversis et prosperis. Item quelibet imago habet campanam illam pulsare contra adversarios sc. demones. Et sic erimus premuniti contra adversarios nostros sc. diabolum, mundum et carnem. Sed Virgilius fecit imaginem, in qua scriptum fuit: Qui me percusserit etc. Imago ista potest dici Adam, qui habebat fontem misericordie et ignem gracie, qui sic erat percussus per diabolum, quod fons gracie et ignis misericordie et gracia immortalitatis erat sibi sublatum, quando totum humanum genus infecit. Per tres milites intelliguntur tria genera peccatorum sc. concupiscencia oculorum, concupiscencia carnis et concupiscencia cordis, per que homo sepe decipitur. Primus ponit dolium in porta. Dolium est cor divitum et potentum in terra absconditum cum superbia. Unde dicitur [Exo. 32,6]: *Ludebant, comedebant, bibebant et mortui sunt et ad infernum descenderunt.* $2^{m}$ dolium est avaricia que absconditur in avaris, quia tantum cupiunt quod seipsos perdunt, sicut patet in isto rege et Adam. $3^{m}$ dolium est gula. Unde tales, quidquid acquirunt, in ventrem ponunt. Unde dicitur [Phil. 3,19]: *Quorum deus venter est.* $4^{m}$ dolium est luxuria, per quam sapientes pereunt, fortes, divites et pauperes. **[185v:]** Per ista $4^{or}$ dolia multi perierunt et adhuc quotidie pereunt.

De imperatore ceco facto per $7^{tem}$ sapientes extra suum palacium. Quidam imperator Rome erat qui secum habuit vii sapientes, qui arte magica ordinaverunt quod imperator intra palacium clare vidit et extra nihil. Isti eciam vii ordinaverunt sub pena statuta ut quicunque vidisset sompnium, ad eos veniret cum marcha auri et interpretacionem sompnii ab eis obtineret. Et sic per talem delusionem majorem copiam auri obtinebant. Uno die cum imperator ad mensam cum imperatrice sua sedebat, flevit amare. Ait imperatrix: O domine, cur affligitur anima tua? At iste: Nonne mihi magnum est, quod tantum in palacio possum videre. At ista: Vii sapientes habes in regno tuo, per quos regnum tuum regitur. Mitte pro eis et infirmitatem tuam eis ostende. Sub pena mortis eis precide ut remedium apponant. Ille misit pro vii sapientibus, et venerunt. Ait eis imperator: Constat vobis quod infra palacium bene video et extra non. Ite ergo sub pena vite vestre, ut visum extra palacium [me] habere faciatis, aut morte turpissima vos condempnabo. At illi: Domine, rem difficilem petitis. Date nobis inducias dierum, et vobis respondebimus. At ille: Mihi bene placet.

Isti intra se cogitabant et nullo modo potuerunt invenire, ut regem extra palacium facerent videre. Per imperium ambulabant hinc et inde, ut aliquem possunt invenire, qui sciret eis super hoc consilium donare. Accidit quod per quandam civitatem transierunt et pueros in platea ludere viderunt. Homo quidam cum marcha auri ad vii sapientes venit et ait: O boni magistri, sompnium nocte ista vidi. Indicate mihi, et vobis aurum secundum modum consuetum dabo.

Puer quidam hoc audiens ait: Noli eis aurum dare, sed dic mihi sompnium, et tibi interpretacionem indicabo. Ille vero ait: Hac nocte videbam quod in medio pomerii mei fons erumpebat, a quo tot rivuli procedebant, quod totum pomerium plenum fuit aqua. Ait ei puer: Vade domum et accipe ligonem et in eodem loco fode, et tantum thesaurum invenies, quod tu et omnis parentela tua divites eritis. Ille vero domum cucurrit et tantum thesaurum invenit, quod ipse et omnes sui amici facti sunt divites. Et puero marcham auri optulit. Et ait: Absit quod pecuniam tuam accipiam. Vade et ora Deum pro me. Sapientes cum hoc audissent, dixerunt puero: O puer, nos bene videmus quod sapiencia magna es in te. Unde tibi libenter proponeremus, si posses nobis veritatem indicare. Ait puer: Proponatis. **[186r:]** Dixerunt: Dominus noster imperator clare vidit in palacio suo, sed extra cecus est et nihil vidit. Si scirem [scires?] causam cecitatis indicare et remedium apponere. At iste: Optime scio.

Tunc ipsum ad imperatorem duxerunt. Ait imperator ad puerum: Scis tu mihi remedium cecitatis apponere? At ille: Optime scio. Ait imperatori: Intremus occulte cameram ego et vos et imperatrix, et vobis dicam quid sit faciendum. Cameram intraverunt, sapientes vero foris in aula steterunt. Cum puer lectum imperatoris vidisset, vocavit servos et ait ad illos: Cito lectum ammovete, et videbitis mirabilia. Cumque lectus ammotus esset, sub lecto erat quidam fons habens vii bullas bulientes. Ait puer: Quamdiu fons iste sub lecto vestro est, visum vestrum extra vestrum palacium numquam habebitis. Imperator mirabatur et ait puero: Cum quo fons iste poterit ammoveri? Ait iste: Tantum per unum modum et aliter non. Ait imperator: Quomodo? Ait puer: Septem bulle bulientes non possunt extingui nisi uno modo. Isti vii sapientes, quos habetis, falso modo et arte magica vos extra palacium cecum fecerunt et remedium apponere ignorant. Si vero vultis extinguere illas bullas fontis, faciatis amputari capita eorum. Quod imperator fecit, et bulle fuerunt extincte et fons evanuit. Ait puer: Jam equum ascendite, et extra palacium equitabimus. Cum extra palacium equitarent, clare vidit [imperator] et gavisus est valde, et puero filiam in uxorem dedit.

Mistice per istos vii sapientes intelliguntur peccata vii mortalia, que excecant hominem et confundunt regnum tam materiale quam spirituale. Quid ergo est faciendum? Homo debet flere, sicut imperator fecit. Et sicut puer ductus ad imperatorem sibi visum restituit, sic discretus confessor debet intrare cameram cordis sui et lectum male vite per penitenciam ammovere. Et sic invenit fontem sc. diabolum, vii bullas sc. in vii peccatis mortalibus manentem. Quid ergo faciendum? Certe amputa caput primi magistri sc. caput superbie per gladium humilitatis, caput avaricie per gladium caritatis et eleemosynarum largicionem, caput luxurie per gladium castitatis et sic de aliis. Hoc facto sine dubio fons cum vii bullis evanescit, et imperator clarum visum recipit sc. peccator. Quod prestare dignetur etc.

**[186v:]** De imperatore et Ambia servitore, qui fecit aliqua servicia singularia imperatori. Imperator fuit qui statuit pro lege ut quicunque vellet sibi ministrare, deberet in portam palacii tres ictus dare, et ipsum imperator ad servicium acciperet. Venit quidam nomine Ambias ad portam palacii et ictum fecit. Imperator eum introduxit, quia servicium ab eo petiit. Ait imperator: Quid scis tu ministrare? Domine, de quinque serviciis. Primum est quod scio vigilare dum alii dormiunt, et dormire dum alii vigilant. 2$^{o}$ scio probare bonum potum. 3$^{o}$ scio homines invitare ad convivium. 4$^{o}$ scio facere ignem sine fumo. 5$^{o}$ scio docere homines, quod sine periculo vadent ad terram sanctam et redibunt. Ait imperator: Ista sunt optima servicia. Tu manebis mecum. Et constituit eum procuratorem totius regni.

Ille vero in estate, quando alii dormierunt et quiescerent, quotidie laboravit, et quidquid necesse fuit in hieme, hoc in estate providebat. Sed in hieme quando alii laborabant, ipse quievit. Imperator hoc videns vocavit camerarium et ait ei: Accipe ciphum meum et pone in eo acetum, vinum et muscum et da ei bibere, et videbimus quid dicit. Cum vero gustasset, ait: Fuit bonum, est bonum, erit bonum. Imperator ait: Vade et invita plures amicos nostros ut proxima dominica die nobiscum comedant. Et ille invitavit tantum inimicos regis, et impleta est aula, et tamen non fuerunt sibi capitales inimici, sed imperatori. Sed detrahebant et non fuerunt sibi prompti ad serviendum. Et cum imperator hoc vidisset, commotus est et Ambiam vocavit et ait: Nonne tu dixisti mihi quod scires invitare ad convivia, et dixi tibi quod invitares amicos. Sed tu invitasti inimicos. At ille: Domine, respondebo vobis. Omni tempore amici vestri veniunt ad vos, sed non sic inimici vestri, et ideo adduxi eos, ut per convivium vestrum inimici vestri vobis erunt amici. Et sic factum est. Et quotquot erant de cetero, regi in omnibus obediebant.

Ait rex: Dic mihi 4$^{m}$ servicium tuum. At ille: Presto sum. Habebat autem lignum desiccatum in solem ad tantum, quod quam cito ignem apponeret, sine fumo clarus ignis fiebat. Ait imperator: Bene tale factum est cum sociis et amicis tuis. Deinde ait Ambias: Quicunque vult ire ad terram sanctam, sequatur me ad mare. Multi enim eum sequebantur, et cum ad mare venissent, ait palam omnibus: Videtis quod ego video? At illi: Ignoramus. Ait ille: Ecce rupes magna. In ista rupe est quedam avis semper residens in nido. Sed natura illius avis est, quamdiu residet in nido, totum mare est in pace, et tunc quilibet potest transire mare. Sed quando avis extra volat, totum **[187r:]** mare perturbat. At illi: Quomodo poterimus scire, quando avis est in nido et quando extra? At iste: Est alia avis que est inimica istius avis, que sepe deturpat nidum suum, et cum nidum suum fetidum [invenerit], evolat de nido. At illi: Quomodo possumus illam avem defendere? At iste: Inimica avis fugit sanguine agni, quamdiu est una gutta, et quando nidus est aspersus sanguine, quamdiu una gutta est in nido inimica avis non audet accedere. Et hoc fecerunt et sic secure ibant et redibant. Imperator cum hoc audisset, ipsum maximo honore in militem promovebat.

Mistice imperator est pater celestis, qui istam legem statuit ut quicunque in porta esset [et] tres ictus faceret sc. oraciones, jejunia et eleemosynas, poterit regnum celorum intrare et in mundo isto feliciter ministrare. Sed Ambias est homo nudus egressus et in baptismo lotus, promittit Deo quinque servicia. Primum est vigilare in bonis operibus, quando alii dormiunt in peccatis. Unde [Mat. 26,41]: *Vigilate et orate.* Sed dormire debemus sc. a peccatis cessare, quando alii vigilant in peccatis, sicut sunt fures, latrones et fornicatores. 2$^{m}$ servicium est gustare bonum potum. Potus est penitencia, que bona fuit illis qui penitenciam hic fecerunt, propter quod jam in celis regnant, et bonum est in die judicii, cum corpus erit glorificatum cum anima. 3$^{m}$ est invitare homines sc. bonum exemplum predicare et hortari ad bonam vitam.

4$^{m}$ servicium est ignem facere sine fumo. Hoc est caritas quam quilibet tenetur habere sine fumo iracundie, et non in ore dicat: Diligo proximum, et in corde latet ira. 5$^{tum}$ servicium est docere viam ad terram sanctam sc. ad celum. Sed mare sc. mundus, quia sicut mare semper est in motu, sic mundus iste, modo dives, modo pauper, modo sanus, modo eger. Rupes est corpus hominis. Sed nidus est cor hominis. Avis in nido est spiritus sanctus, quem in baptismo recepisti, quia quamdiu spiritus sanctus manet tecum, secum potes ad terram sanctam sc. ad celum pervenire. Sed avis inimica est diabolus, qui omni tempore nititur federe nidum cordis per

malas cogitaciones, sensus et actus. Avis sc. spiritus sanctus extra nidum tuum volat. Quid est ergo faciendum? Certe aspergatur nidus cordis tui sanguine agni, sc. quod semper habeas in memoria passionem Christi, et per consequens avis inimica sc. diabolus numquam potest venire ad te. Et sic pervenies ad terram sanctam sc. ad vitam eternam.

**[187v:]** De paupere homine. Quidam pauper fuit in villa, qui ivit singulis diebus pro lignis ad quoddam nemus magnum. Accidit a casu quod venit in magnam densitatem nemoris et cecidit in unam longam et profundam foveam, de qua nullomodo potuit exire. In ista fovea erat horribilis dracho ex una parte, ex altero vero latere erant multi serpentes. Et omni die semel in foveam descenderunt ad quendam lapidem, qui erat in medio putei, et unus post alium lapidem lambit et tunc iterum ascenderunt per ordinem. Deinde dracho eciam lambit lapidem et tunc per totum diem quiescebat. Pauper cum hoc vidisset, cogitavit: Quia ego comedere et bibere non habeo, sic moriar. Vadam et eciam lambam lapidem istum. Et sic fecit et invenit saporem quem desiderabat, et ita erat refocillatus ac si omnem cibum gustasset. Post paucos dies audivit tonitrum magnum et horribile, ita quod omnes serpentes exierunt de fovea, et dracho post eos volavit. Pauper tenuit se ad caudam drachonis, et dracho ipsum de fovea levavit et eum ad magnam distanciam projecit, et clamare cepit. Ad cujus clamorem homines venerunt et eum extra nemus duxerunt.

Mistice iste pauper est homo nudus egressus de utero matris sue, intrat nemus sc. istum mundum et cadit in profundam foveam, quam cito cadit in peccatum mortale, ubi jacet in magno periculo quia in potestate diaboli. Sed serpentes qui jacent, sunt omnes sensus nostri. Sed dracho sc. divina potencia, que descendit cum peccatore ne demones eum trucidant. Unde Ps. [90,15]: *Cum ipso sum in tribulacione etc.* Sed lapis in medio jacens est Christus, in quo omnes sapores dulci [dulces?] inveniuntur. Unde tempore tribulacionis et angustie recurrere debemus ad lapidem sc. Jhesum Christum, et ipsum lambere sc. invocare cum bona et devota oracione. Sed tonitrus magnus est pura confessio et integra coram sacerdote. De hoc tonitruo serpentes sc. diaboli terrentur et fugiunt, et omnes sensus nostri de puteo peccati mortalis educuntur. Et dracho sc. divina potencia que nos trahit de fovea mortalis peccati, et tunc prelati ecclesie ducunt nos de nemore ad vitam eternam. Quod donare dignetur etc.

De unicorne. Imperator erat qui habuit unum nemus, in quo erat unicornis, cui nemo audebat appropinquare. Hoc videns imperator quesivit a magistris naturam unicornis. Illi vero dixerunt quod unicornis nudas virgines et mundas multum diligeret et de cantu earum multum delectaretur. Imperator fecit inquireri duas pulchriores **[188r:]** puellas, que in imperio haberi poterant. Invente sunt due pulchre puelle virgines, et ut ambe intrarent nemus, denudate sunt totaliter. Una pelium accepit, altera gladium, et inceperunt dulciter cantare per nemus. Hoc audiens unicornis venit ad eas et cepit lambere maxillas earum. Iste virgines tantum continuebant, quousque unicornis dormuit in gremio illius que pelium tenebat. $2^a$ puella videns unicornem dormire cum gladio ipsum occidit. Sed alia puella sanguinem ejus in pelium accepit, et de isto sanguine fecit fieri purpura.

Mistice imperator iste est pater celestis, unicornis est Dominus noster Jhesus Christus, qui erat ante incarnacionem valde austerus. Due sunt virgines sc. Eva et Maria, que ambe erant nude ab omni peccato, Eva in principio, Maria in utero immo preservata ab omni peccato. Eva portans gladium sc. peccatum, propter quod Christus mortuus est. Sed Maria pelium sc. velum, in quo conceptus erat Christus et humanam naturam assumpsit. Unicornis sc. Christus lambebat per. ubera. Per ubera intelligere debemus legem antiquam et novam, quas Christus lambebat sc. implevit. Christus sanguinem fudit, de cujus sanguine anime nostre facte sunt purpuree ad vitam eternam. Ad quam nos ducat. Amen.

De virgine rapta de manu raptoris. Exemplum bonum pro matrimonio quando celebratur. Justinus regnavit in civitate romana, qui statuit pro lege quod quicunque aliquam virginem caperet[?] et eam de manu raptoris liberaret, si placeret ei, ipsam in uxorem duceret. Accidit quod unus tyrannus rapuit unam puellam et duxit ad quoddam nemus et eam defloravit. Hoc facto volebat eam occidere. Ista autem alta voce clamabat. Miles quidam per dictum nemus equitavit et vocem puelle audivit et illuc properavit et causam clamoris a puella quesivit. Ait ista: Domine mi, per Dei amorem succurrite mihi. Iste me rapuit et defloravit et vult me occidere. Ait raptor: Mea uxor est et eam propter adulterium occidere volo. Statim ad invicem pugnabantur, sed miles victoriam optinuit tamen graviter vulneratus. Obtenta victoria dixit mulieri: Numquid tibi placet quod te in uxorem accipiam? Que ait: Eciam, domine, super hoc fidem meam do vobis. Fide data ait miles: In castro meo per aliquot dies permanebis, quia ad amicos meos pergam et pro nupciis celebrandis

providebo. At ista: Presto sum, domine. Miles **[188v:]** valefecit, et ipsa ad castrum perrexit. Cum iste sic absens esset, tyrannus ad castrum militis perrexit, in quo puella erat, et pulsavit. Illa vero ei introitum negavit.

Tyrannus vero incepit promittere ei multa ut eam in uxorem honorifice ducere. Illa dictis ejus credens introduxit eum, et ambo simul nocte dormierunt. Miles post unum mensem reversus est et januam castri pulsavit. Puella ei non respondit. Ille hoc videns cum cordis admiracione dixit: O bona puella, aperi et ostende mihi faciem tuam. Ista vero unam fenestram aperuit. Ecce ego sum. Jam proponas quidquid tibi placet. Qui ait: Miror de te quod ignoras que et quanta vulnera pro te sustinui. Et depositis vestimentis dixit: Ecce karissima, que et quanta vulnera pro te susceperam. Aperi ergo mihi et memor eris mei, qua dileccione hoc propter te sustinui, et noli claudere januam ante me, sed mihi aperi ut te recipiam in uxorem. Illa vero faciem ab eo avertit et januam non aperuit. Miles cum hoc vidisset, pro se legem statutam allegavit: Rapcionem [raptam?] liberans non ducam eam in uxorem.

Judex hoc audiens pro milite et raptore misit. Qui cum venissent, ait judex: Numquid mulierem istam rapuisti, et miles iste eam de manibus tuis liberavit? Ait iste: Eciam, domine. Ergo secundum legem pro sua voluntate uxor sua esset. Quare ergo te de uxore alterius intromisisti, quando suum castrum intrasti? Ille vero obmutuit, et conversus judex ad mulierem dixit: O tu mulier, duplici de causa uxor istius fuisti. Primo quia de manu raptoris te liberavit, 2$^{o}$ quia sibi fidem dedisti. Quare ergo januam sibi non aperuisti? Ista vero non poterat respondere. Judex istam sentenciam dedit ut ambo in patibulo suspenderentur. Et sic factum est. Omnes vero laudabant eum, qui talem sentenciam dedit.

Mistice imperator est Deus, qui istam legem dedit. Mulier rapta est anima, sed raptor est diabolus, qui non eam tantum per peccatum defloravit, sed eciam eternaliter eam occidere volebat. Sed ipsa clamabat, oleum misericordie petiit dicens [Is. 16,1]: *Emitte agnum, dominatorem terre*. Cujus clamorem audivit quidam miles sc. filius Dei, venit in nemus hujus mundi et bellum contra diabolum pro humano genere subiit, in quo **[189r:]** bello diversa vulnera accepit et mortuus est secundum humanitatem. Uterque erat vulneratus sc. Christus in morte et diabolus in potestate. Unde Isaias [?]: *Fortis impugnat fortem, et ambo ciderunt,* sed unus sc. Christus miles gloriosus gloriose surrexit et diabolum sua potestate privavit. Et sic Christus statuit sponsalia per baptismum, in quo anima dat fidem, bquando diabolo abrenunciat et Deo adhereat per alias virtutes, quas retinuit in baptismo, de quibus fit castrum contra diabolum.

Iterum Deus ascendit in celum preparando nupcias, ut anima in gloria eterna sibi conjungatur sc. secundum illud [Joh. 14,2]: *Vado parare vobis locum*. Sed dum sumus in castro corporis, tunc raptor sc. diabolus mulierem aggreditur sc. animam. Sed Christus eciam ager[?] dicitur, et si non corporaliter, tamen spiritualiter secundum illud [Apoc. 3,20]: *Ego sto et pulso*. Sed sepe anima non cognoscit Deum. Tunc ostendit vulnera in cruce recepta ut molliat cor tuum. Sed quibus ista ingrata sunt, non sunt digni filii Dei esse quantum ad animam. Et ideo judex celestis in die judicii dat contra eos sentenciam eterne dampnacionis. A qua nos custodiat etc.

Regina quedam concepit filium de servo ex adulterio, qui filius rusticaliter se habuit in conspectu regis. Rex vero cognoscens rusticitatem ejus cogitavit quod non esset filius suus, et diligenter a regina quesivit utrum filius suus esset vel non. Promisit regine et juravit quod numquam noceret, et quod ipsa de cetero caveret. Tandem ipsa confessa est quod filius ejus non esset. Rex autem nolens privare eum hereditate post mortem, signum sibi dedit, sed sic ordinavit quod vestes suas, quamdiu viveret, fieri faceret ex diversis coloribus et generibus sc. medietatem ejus ex vili panno et medietatem ex optimo panno, ut quando vilem pannum inspiceret, de superbia et vicio retraheretur. Et cum pannum nobilem inspiceret, quod non nimis humilem se exhiberet. Secundum illud: Sis humilis etc.

Mistice si caro nostra per immundiciam uxoris carnalis diligenter vult nos retinere, ne pergamus ad terram promissionis, vestes debemus habere de vili panno, quia **[189v:]** filii rustici sumus sc. terre. Una pars panni est caro nostra vilissima. Quando consideramus ejus vilitatem non superbiam[us]. Alia pars panni est nobilissima sc. anima, et debemus cogitare ejus nobilitatem et non esse nimis humiles, sc. ne subjiciamus nos peccatis. Et [si] ista duo secundum suam naturam volumus observare, ad regnum eternum perveniamus.

De viro et serpente. Sicut dicit Isidorus: Quidam vir transiens unam silvam vidit unum serpentem a pastoribus ligatum ad arborem, qui pietate motus solvit ipsum. In sinum suum posuit, qui cum esset calefactus in sinu cepit virum mordere. Qui ait: Quid facis? Malum pro bono reddis. Ait serpens: Quod natura dedit, nemo tollere potest sc. difficulter aufertur, et ideo secundum naturam meam facio. Ille homo ad quendam sapientem accessit et totum processum ei narravit. Qui dixit: De hoc causam per auditum ignoro, sed volo ut serpens ligatur ut prius. Et sic factum est. Et

tunc judicium dabo. Tunc ait sapiens: Serpens, si potes evadere, recedas, et tu, bone amice, noli amplius laborare ut serpentes solvas, quia semper facit quod natura sibi dederat.

Mistice iste homo potest dici quilibet christianus, qui invenit diabolum ligatum quamdiu manet in vita pura, sed diabolum solvit quamdiu peccatis consentit, et in sinum suum ponit quamdiu in mortali peccato est. Iste sic jacens graviter animam mordet. Quid est ergo faciendum? Certe ad sapientem confessorem [ire] qui dabit consilium, quod per opera misericordie diabolus iterum ligatur et sic de cetero non solvatur, quia de ejus natura malum facit anime. Cum sic sis separatus, noli recidivare quia, sicut dicitur, peccator qui iterat vias suas, ita malus est sicut *canis qui revertitur ad vomitum suum*, ut dicit beatus Petrus [2.Pet. 2,22].

De denario et janitore. Quidam dominus erat qui habuit unum janitorem, qui a domino suo petiit ut eum in civitate sua janitorem faceret per unum mensem, ita quod ab omni gibboso, monoculo et scabioso, manum et aurem non habente, unum denarium haberet. Dominus illi concessit et sub sigillo roboravit. Qui officio suscepto stetit in porta civitatis ut videret euntes et transeuntes, **[190r:]** si ex officio posset aliquid habere. Quadam autem die gibbosus bene capuciatus portam intravit. Janitor venit et denarium ab eo petiit secundum preceptum civitatis. Sed gibbosus nihil ei dare voluit. Janitor in eum manum injecit et capucium capere voluit et invenit eum monoculum. Statim janitor duos denarios ab eo petiit. Iste vero noluit sed fugere voluit. Janitor tenuit eum per capucium, et scabiosus apparuit. Janitor tres denarios postulavit. Gibbosus cepit resistere, enudato capite apparuit quod aures non habuit. Janitor 4$^{or}$ denarios postulavit. Qui defendenti capucium et pallium abtulit, et una manu caruit. Janitor quinque denarios petiit, et sic factum est quod [qui] unum denarium dare noluit, quinque invitus dedit.

Mistice dominus iste est Dominus noster Jhesus Christus. Janitor est discretus confessor, qui habet stare et predicare in porta civitatis hominibus, in qua sunt 5$^{e}$ fenestre per quas mors intrat, sc. per primum gibbosum monoculum debemus intelligere hominem plenum viciis, qui in vii peccatis mortalibus est involutus, qui die quolibet sive velit sive nolit habet reddere denarium sc. agere penitenciam, si desiderat introitum ad vitam eternam.

De 3[bus] viris, ethiope et aliis.[74] Legitur in vitis patrum, quod sanctus Assenius ostendente sibi angelo vidit tres viros. Primo vidit ethiopem in nemore secantem ligna et alligantem in fasciculum. Sed cum de omnibus lignis quasi unum onus fecisset et levare temptavit et non poterat ferre, quia onus erat nimis grave, tunc iterum dissolvit et plura ligna opposuit et addidit, ita quod ligna magis erant onerosa, quod nullomodo levare poterat. Et sic seipsum onere occidit. Ille ulterius processit et vidit alium hominem, qui in quoddam vas aquam fundebat de fonte, et infusa subito effluebat, quia vas plenum erat foraminibus. Ideo quantum plus infundebat, tanto plus effluebat, et tamen infundere non cessavit. Ulterius 3[a] vice processit, et ecce duo viri civitatis appropinquabant, et nullus alteri cedere volebat. Ideo ambo foris extra portam manebant.

**[190v:]** Mistice secundum quod angelus sancto Assenio legitur exposuisse, ethiops qui magnum pondus lignorum [levare non potuit], est quilibet homo, qui semper accumulat peccata, cum deberet minuere, eterna morte deprimitur et in desperacione moriens penitenciam non meretur. Unde Eccli. [17,22]: *Precare coram Domino et minue offendicula.* Iste vero qui infundit aquam, est iste qui eleemosynam et alia bona opera facit propter humanam laudem et eadem sic amittit, quoniam cor ejus perversum est perforatum diversis criminibus, ita quod nulla bona opera proficiunt sibi ad vitam eternam, sed perdit omnia quoad vitam eternam vel quoad meritum vite eterne. Unde Augustinus: Congregat mercedem et misit in saccum pecunie sc. misit in saccum perustum. Facit enim bona opera, sed ea pravis operibus coinquinat. Sed socii qui ferebant ligna transversa, sunt hii qui portant grave jugum superbie, qui dum alter alteri cedere noluerit, portam civitatis ingredi non poterant, quia se inclinare nolunt sc. se humiliare, sed elevare. Et ideo cum porta sit angusta, in domum celestem intrare non possunt. Unde Mat. vii[o] [7,14]: *O quam angusta est porta et arcta est via, que ducit ad vitam.*

Levicius regnavit potens valde qui cum semel equitaret per imperium, quidam pauper ei obviavit. Ait ei imperator: Karissime, unde es et quid est nomen tuum etc. Require illud allegorice in i[o] cisterno hujus libri, in quo continetur evangelium Nichodemi, et habetur ibi Domicianus pro Levicius[75].

[74] Also briefly f. 83r
[75]cf. f..49v[1]

De 3[bus] sapienciis. Domicianus regnavit in civitate romana, valde prudens ac per omnia justus, nulli parcebat quin per viam justicie incederet, propter quod nulli eum odio habuerunt. Accidit cum in mensa sederet, venit quidam ad portam et pulsavit. Janitor quesivit quis esset. At iste: Mercator sum et habeo aliqua ad vendendum pro utilitate imperatoris. Janitor hoc audiens ipsum introduxit

Dixit illi imperator: Karissime, quid habes ad vendendum pro utilitate mea? Cui iste: Domine, tres sapiencias. Ait imperator: Quomodo mihi quamlibet sapienciam dabis? Qui ait: Quamlibet sapienciam **[191r:]** dabo vobis pro ccc florenis. Imperator ait: Et si sapiencie tue non prosunt mihi, tunc perdo rem. Ait mercator: Domine, in regno vestro semper maneo, et si sapiencie mee vobis non valuerint, reddatis mihi sapiencias, et ego dabo vobis pecuniam. Ait imperator: Bene dicis. Ergo da mihi sapiencias. Ait iste: Domine, prima est ista: Quidquid agas, prudenter agas et respice finem. 2[a] est ista: Numquam dimittas viam publicam propter semitam aliquam, si tu diligis vitam tuam. 3[a] est ista: Numquam hospicium capias in domo, ubi est dominus valde senex et uxor juvencula. Hec tria custodi et bene tibi erit. Imperator dedit pro qualibet ccc florenos. Primam sapienciam tenuit sc. Quidquid agas etc. Fecit sibi in aula, in camera et in omnibus locis divulgari et scribi in pannis et manutergiis, in mensalibus et manicis et in omnibus vestibus.

Propter suam justiciam multi de imperio conspirabant ut eum occiderent. Occulte barbiciosores convenerunt pro pecunia ut quando ejus barbam raderent, sic guttur abscinderent. Barbiciosor accepta pecunia hoc promisit. Accidit quod imperator radi voluit. Venit barbiciosor et lavit barbam et incepit radere. Vidit in manu regis scriptum: Quidquid agas etc. Fuit enim literatus. Et cogitavit: Si ipsum occidam, finis meus erit turpissimus. Ergo bonum est quod finem respiciam et a malo proposito resistam. Et sic stetit perterritus, ita ut rallum cecidit de manu ejus. Imperator ait ei: Karissime, quid est tibi? Ait iste: O domine, miserere mei. Et sibi a principio narravit. Ait imperator: Ammodo sis fidelis. Hoc tibi dimittam. Et cogitavit imperator sic: Ecce jam prima sapiencia mea vitam meam salvavit. Et plures detractores in patibulo suspensi sunt.

Item alii emuli imperatoris sibi invidebant. Quomodo eum occidere possent cogitaverunt intra se et dixerunt ad invicem: Tali die equitabit ad istam civitatem. Simus obstantes in via, per quam transit, et eum ibi quasi in secreto occidamus. Imperator eo tempore preparavit se ut equitaret, et cum equitaret per publicam viam, dixerunt aliqui emuli equitantes cum eo: Domine, bonum est per semitam iter, quia propinquior est et mundior.

Imperator intra se cogitavit: 2[a] sapiencia est viam publicam propter semitam non [dimittere. Et dixit: Viam publicam non] dimittamus. **[191v:]** Sed per viam latam pergamus. Vos ergo qui vultis per semitam ire, curiam preparare potestis, et ego cito veniam. Illi vero qui per semitam perrexerunt, omnes sunt occisi, quia credebant quod imperator esset inter illos.

Imperator cum hoc audisset, cogitavit: Ecce 2[a] sapiencia salvavit vitam meam. Illi vero videntes se deceptos conspirabant, quomodo eum occidere possent. Unus ex eis dixit: Tali die pernoctabit in civitate illa in uno hospicio, in quo omnes magnates hospitantur. Conducemus hospitem cum uxore pro precio ut, cum imperator dormit, occidamus eum et milites, qui cum eo dormiunt. Cum vero imperator ad civitatem venit et in eodem hospicio receptus fuisset, emuli sui convenerunt hospitem cum uxore, et ipsa fuit juvencula habens in etate xix annos. Hospes vero erat senex valde. Cogitavit [imperator] de 3[a] sapiencia. Ideo post cenam vocavit camerarium suum et ait illi: Cito prepara lectum alibi occulte, quia hic nullomodo jacebo. Et sic imperator ad aliud hospicium ivit occulte et ibi dormuit, et vii milites in camera jacuerunt, et hospes et uxor ignorabant, sed ipsum putabant dormire cum militibus.

Circa mediam noctem cameram intraverunt et vii milites unum post alium occiderunt. Mane facto imperator pro militibus misit, ad hospicium venit querens ubi milites essent. Hospes ait: Domine, diu est quod surrexerunt et ad vos perrexerunt. Sed cum hospes imperatorem vidit, multum admirabatur, quia credebat ipsum occisum esse. Imperator pro militibus interrogavit et, cum eos occisos invenit, turbatus est valde et intra se cogitavit: Jam 3[a] sapiencia salvavit vitam meam. Bona hora erat in qua pecuniam pro ista sapiencia dedi. Et statim hospitem cum sua uxore et tota familia ad patibulum suspendit. Imperator autem quamdiu vixit, illas tres sapiencias secum habuit et in bona pace vitam finivit.

Mistice iste imperator est quilibet christianus, qui habet imperium cordis sue et animam regere. Janitor in porta est libera voluntas. Mercator **[192r:]** qui venit ad portam, est Dominus noster Jhesus Christus juxta illud [Apoc. 3,20]: *Ego sto ad ostium et pulso. Si quis mihi aperuerit etc.* Tres sapiencias venit vendere pro ccc florenis sc. pro anima. Prima est: Quidquid agas sc. quidquid boni facias, principaliter propter Deum debet fieri et in honore ipsius, et in omni facto considerare finem juxta illud [Eccli. 7,40]: *Memorare novissima tua et in eternum non peccabis.* 2[a] est: Noli viam publicam etc. Via publica est via x preceptorum, quam debes semper tenere usque ad mortem et numquam per semitam male vite

ambulare, sicut faciunt heretici. 3[a] est: Non debes manere in hospicio etc. Senex iste est mundus qui habet juvenculam uxorem sc. vanitatem. Emuli qui contra regem conspirant, sunt demones qui semper nituntur homines occidere. Studeamus ergo tenere erga nos istas tres sapiencias, ut in omnibus actibus respiciamus finem et perpendamus, 2[o] ut per viam x mandatorum ambulemus, 3[o] quod mundo et ejus vanitatibus non acquiescamus, quod si fecerimus, vitam nostram in bono finiemus.

De uxore militis adultera. Tiberius Rome regnavit dives valde, in cujus regno fuit quidam miles devotus et misericors, qui habebat pulchram uxorem, sed adulterabatur et desistere noluit. Miles hoc considerans contristatus est valde. Cogitavit intra se: Terram sanctam volo visitare, et uxor mea in melius convertetur, et ait ad illam: Karissima, terram [sanctam] intendo visitare. Teipsam in custodia habeas et discrecioni tue teipsam committo. Et sic profectus est.

Domina quendam satis literatum amavit et cum eo adulterabatur. Ait illa: Si unam rem facere posses, me in uxorem haberes cum omnibus meis rebus. At iste ait: Karissima, quid est hoc quod facere debeo? Que ait: Maritus meus ad terram sanctam profectus est, qui me non multum dilexit. Si eum per aliquam artem occidere posses in terra aliena, te ducam in maritum. At iste: Bene possum, et tunc uxor mea eris. Que ait: Hec tibi firmiter promitto. Ille imaginem prefati militis in longinquis partibus constituari fecit et in pariete ante oculos suos fixit, et per tres dies arte magica imaginem conjuravit ut tamquam corpus militis omnia mala sustineret. Idem miles per **[192v:]** quandam plateam transivit, et obviavit ei Virgilius, qui cum eum intime inspiceret, ait ad ipsum: Karissime, secretum habeo tibi dicere. At ille: Magister, dic mihi quod tibi placet. Ait ei Virgilius: Filius mortis es, si consilium a me non habueris. Uxor tua meretrix est et cum adultero suo mortem tuam ordinaverat.

Hoc miles de uxore sua audiens verum credidit esse. Cui iste: O bone, salva vitam meam, et mercedem condignam tibi reddam. Qui ait: Libenter te salvabo. Et magister balneum calidum in magno dolio ordinari fecit. Quo facto fecit eum vestibus exui et balneum intrare et ei speculum ad manus dedit et dixit ad eum: Respice diligenter. Miles cum speculum videret, jugiter ultra balneum per spacium legit. Et ait ad militem: Karissime, dic mihi, quid tu vides. Ait iste: Quendam virum video in domo mea, qui posuerat imaginem de cera ad imaginem meam in pariete. Ait magister: Quid modo facit? Jam accipit arcum et supraponit sagittam acutam et vertit versus imaginem sagittam. Ait Virgilius: Si diligis vitam

tuam, cum vides sagittam volare ad imaginem, corpus tuum in balneo sub aqua pone, donec tibi dixerim. Miles vero, cum vidisset eum arcum trahere, totum corpus suum sub aqua occultavit. Hoc facto ait magister: Revela caput tuum et respice in speculo. Qui cum vidisset, ait magister: Quid vides jam in speculo? Ille ait: Imaginem non sagittatam, sed sagitta in latere abiit, et propter hoc multum dolet. Ait magister: Jam respice in speculo, quid facit. Ait: Jam propius imaginem vadit et sagittam et arcum ponit ad percutiendum imaginem. Ait magister: Fac sicut prius, si diligis vitam tuam. Miles cum vidisset arcum trahi, totum corpus suum submersit. Hoc facto ait magister Virgilius: Respice. Quid modo vides?. Qui cum vidisset dixit ad magistrum: Miro modo dolet, quod imaginem non percussit, et uxori dixit: Si 3° imaginem non tetigero, filius mortis ero, et modo vadit valde prope juxta imaginem, ita ut mihi videtur quod non potest decipi quin imaginem tangit. Magister ait: Absconde te sicut prius, donec tibi dicam. Quo facto ait magister: Surge et respice in speculum. **[193r:]** Et vidit quod adulter iste imaginem non tetigit, sed reversa est sagitta et ipsum inter pulmonem et stomachum percussit, et mortuus est, et uxor mea foveam facit sub lecto meo et ibi eum vult sepelire. Ait magister: Surge velociter et indue te vestimentis tuis et ora Deum pro me. Aliam mercedem de te habere nolo. Et de cetero caveas te a muliere prava.

Ille gracias Deo reddidit et ad patriam est reversus. Cum vero domum venisset, uxor ejus applausus ei fecit. Ille vero totum eventum per aliquot dies scire dissimulavit. Et prius pro patre et matre et aliis amicis misit et coram omnibus dixit: Karissimi, hec est causa quare pro vobis misi. Ecce uxor mea adulterium sepe commiserat et, quod pejus est, in mortem meam machinata est. Illa autem cum juramento negavit, miles vero totum processum adulteri narravit et adjecit: Si mihi non creditis, venite et videte locum ubi positus est et sepultus. Illi cameram intraverunt et sub lecto mulieris sepulchrum invenerunt. Statim judex est vocatus, qui sentenciam dedit quod ipsa igne cremaretur, quod et factum est, et omnia ossa ejus in pulverem redacta sunt, et pulvis iste maledictus per aerem est dispersus. Miles vero honestam virginem duxit et in bona fama vitam finivit.

Mistice iste imperator est Dominus noster Jhesus Christus. Miles vero est quilibet homo. Uxor est caro tua propria, que totiens adulteratur quotiens peccatum mortale committit. Homo hoc videns debet ire ad terram sanctam sc. ad celum per bona opera. Et in via occulta magister Virgilius sibi obviat sc. discretus confessor, qui habet peccatores informare. Sed adulter accipit arcum. Arcus sc. mundus, sagitta acuta est avaricia [et] superbia, per quas sagittas multi occiduntur, sicut patet in

Lucifero. Tamen sagitta in peccatorem est reversa et ipsum peccatorem occidit. Imago anime bene potest dici de cera, quia sicut cera fluit a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei propter peccatum. Quid est ergo faciendum, ne diabolus nos sagittat? Certe intremus balneum. Istud balneum est confessio pura, per quam lavari debemus ab omni sorde peccatorum, et debemus habere speculum sc. sacram scripturam in manu tenere sc. libenter audire verbum Dei, que sunt verba edificatoria. Et sic evadamus sagittas diaboli. Et quando tunc arcus sc. mundus contra te trahitur cum sagitta luxurie, **[193v:]** avaricie et superbie, tunc involve corpus tuum in aqua sc. totum quod fecisti revela in balneo confessionis. Et sic evanescit et numquam tangit animam imaginis tue. Et cum balneatus fueris sc. mundatus, et adulter sc. diabolus est occisus, indue te vestibus tuis sc. bonis operibus et virtutibus, quas in baptismo recepisti, et perge ad domum cordis tui et extrahe corpus defuncti adulteri sc. malas cogitaciones et delectaciones. Deinde uxorem tuam sc. carnem tuam propriam combure in igne penitencie, et ossa sc. peccata inveterata in cinerem rediguntur sc. annihilantur. Et sic per ventum calidum sc. cordis amaritudinem expellantur. Deinde ducas virginem sc. carnem a viciis purgatam, de qua proles sc. novas virtutes acquiras et per consequens ad vitam eternam pervenias.

De filia imperatoris marscalco commissa et de cane. Alevius regnavit qui unicam filiam habuit, quam miro modo dilexit. Habuit eciam unum canem in aula ligatum in die, et in nocte solvebatur, quem eciam valde dilexit. Accidit quod imperator ad terram sanctam ire voluit. Marscalcum ad se vocavit et ait: Ad terram sanctam ire intendo. Tibi filiam meam committo ut in omnibus necessariis ei provideas, quod non habeat defectum et quod non faciet queremoniam de te in adventu meo. Item istum canem consimiliter et, secundum quod feceris, mercedem a me accipias. Hiis dictis rex valefecit et ad terram sanctam perrexit. Marscalcus ad tempus omnia ista modicum fideliter implevit. Post hoc cito necessaria quantum ad puellam subtraxit. Tamen per custodes sepe redargutus, sed nihil profecit. Canem autem delectabiliter nutrivit in tantum,, quod ligaturam fregit et multa mala perpetravit. Unde puella ista propter defectum mendicare non erubuit.

Accidit ut rumores venerunt quod imperator adveniret. Marscalcus hoc audiens perterritus est. Cogitavit: Non potest esse quin accusatus fuero apud dominum de filia. Jam melius est prevenire et meipsum accusare et veniam petere quam negligere. Spoliavit se omnibus vestimentis suis excepta camisia et femoralibus, et in manu dextra tres laqueos accepit et

obviam imperatori cucurrit. Imperator cum eum a longe videret, mirabatur quare in tali forma veniret. Cum autem appropinquasset, flexis genibus imperatorem suscepit. Ait imperator: Karissime, quare in tali forma mihi obviasti? Ait iste: **[194r:]** O domine, quia aliter non merui et non possum vobis dicere, nisi constat mihi prius de gracia vestra, et ante omnia misericordiam peto, quia propter misericordiam in ista forma veni. Ait imperator: Ad quid portas istos tres laqueos? Qui respondit: Primum ad ligandum me manibus et pedibus quousque sanguis exeat. $2^{m}$ laqueum ad trahendum me ad caudam equi quousque carnes ab ossibus separentur. $3^{m}$ ad suspendendum me in patibulo quousque aves celi de cerebro meo fuerint refocillate.

Ait imperator: Tam humiliter loqueris et tam vilem te ostendis. Tibi remitto quidquid dereliquisti contra me. Dic ergo secure que sunt dicenda. At iste: Domine, filiam tuam pessime custodivi. Propter defectum cibi mendicando panem quesivit. Sed canem optime nutrivi in tantum quod ligaturam sepius fregit et multa mala perpetravit. Cum autem imperator hos sermones audisset, commota sunt omnia viscera ejus, et ait: O pessime, si omnia prius scivissem, morte turpissima te condempnassem. Sed modo non morieris, sed cito perge ad filiam meam et duc eam ad me. Marscalcus perrexit ad filiam, optimis vestimentis eam induens et ad imperatorem eam duxit. Imperator autem postea marscalco filiam suam in uxorem dedit, et ambo in pace vitam suam finierunt.

Mistice iste imperator est Dominus noster Jhesus Christus. Sed filia tam pulchra est anima ad imaginem Dei creata. Sed canis est caro. Marscalcus est homo, cui Deus omnia commisit ad custodiendum, quando perrexit ad terram sanctam sc. ad celum. Sed homo permittit sepe puellam sc. animam mendicare sc. de peccato in peccatum cadere, ita quod omnibus virtutibus spoliatur. Sed canem sc. carnem, de qua Deus minus curat, optime nutrivit ut sepe ligaturam fregit, sc. divina precepta violat, quotiens peccatum committit. Sed quando imperator iste venit ad judicium, si volumus sapienter facere, faciamus sicut marscalcus, deponamus omnia vestimenta sc. veterem vitam exceptis lineis sc. fide, spe et caritate. Et tres laqueos ad suspendendum se portavit sc. oris confessionem, cordis contricionem et operis emendacionem. Et cum imperator sc. Deus videns eum sic facientem petit ut ducat filiam ejus ad se sc. animam optimis vestimentis sc. bonis operibus ornatam, et dat ei ipsam in uxorem sc. in vitam eternam. Quam nobis prestare etc.

## De sancto Johanne Baptista[76]

*Elizabeth uxor tua pariet tibi filium, et vocabitur nomen ejus Johannes et spiritu sancto implebitur ex utero matris sue, et multi in nativitate ejus gaudebunt.* Luc. i° [1,13-14]. Verba ista sunt angeli Gabrielis nomine ad Zachariam patrem beati Johannis Baptiste. In quibus verbis 4or notantur, primo quod angelus nunciavit ejus nativitatem, 2° quod nomen ejus insinuavit, 3° quod sanctitatem ejus declaravit, ut patebit postea. 4° quod fructum nativitatis ejus ostendit ibi: Multi in nativitate ejus gaudebunt etc. Circa primum nota quod angelus nunciavit ejus nativitatem, ostendit eam mirabilem propter 4or, que in ea tanguntur contra 4or mala sui defectus, quos habet quilibet homo in sua nativitate. Primum est quod peccator immundus nascitur. Unde nemo a crimine mundus vivit, nec infans unius diei vel noctis, nisi per baptismum renovati, quia pueri sine baptismo morientes carent visione Dei, quia in iniquitatibus concepti sunt sicut dicit Ps. [50,7]: *Et in peccatis concepit me mater mea*. 2° quia homo nascitur stultus et ignarus. Unde Prov. 2° [22,15]: *Stulticia alligata est in corde pueri*. Unde ita stulti sunt pueri in puericia, quia darent totam regionem pro uno pomo. Unde pueri vii virtutes habent contra vii vicia mortalia, ut patet per metristam. Sunt pueri puri etc. Require hos versus de nativitate Domini in sermone 2°.[77]

3° quia puer infirmus et debilis nascitur, unde seipsum juvare non potest. Hoc figuratum habemus 1° Reg. xvii° [17,33]: Dicebat Saul ad David: *Non vales resistere philisteo, quia puer es.* 4° quia puer flens nascitur, et ista est omnibus communis cantilena. Ab istis omnibus malis puer iste fuit immunis. Nam contra primum sapiens, fortis, gaudens fuit natus. Prius enim fuit sanctus quam natus. Unde dicit Dominus per Jheremiam prophetam [1,5]: *Priusquam te facerem in utero, novi te, et antequam exires de ventre, sanctificavi te.* 2° contra stulticiam et ignoranciam natus est cum perfecta sapiencia, quia adhuc in utero existens patrem et matrem ejus cognovit. Unde Augustinus: Celum, inquit, et terram nondum vidit et in utero creatorem celi et terre cognovit. 3° contra pueri debilitatem natus est puer fortis. Unde adhuc in teneris annis et in puericia, sicut de eo cantatur, ad desertum ivit. Unde vide istius pueri mirabilem fortitudinem. Nam pro domo et palacio habuit desertum, pro sociis et familia habuit bestias, pro deliciis locustas, pro

[76] From Peregrinus Polonus
[77] f. 126v

vino habuit aquam, dans nobis exemplum ut in hiis terrenis non queramus delicias sed in eternis. 4º contra cantilenam flentium, quam cantat quilibet quando nascitur, iste puer nondum natus gavisus est et exultavit. Unde Luc. 3º[12] quod cum beata virgo venisset salutare Elizabeth **[195r:]** matrem Johannis, et cum salutasset eam, statim puer in ventre ejus cepit plaudere et exultare. Unde dixit beata Elizabeth ad beatam virginem [Luc. 1,43-44]: *Unde veniat mihi quod mater Domini mei ad me. Ecce enim ex quo facta est vox salutationis tue in auribus, exultavit in gaudio infans in utero meo.*

2º nunciavit Dominus nomen ejus quia Johannes, quod interpretatur gracia Dei. Hoc autem nomen graciosum fuit Deo patri et filio et spiritui sancto et virgini Marie. Et primum Deo patri, quia eum in ventre baptizavit et hoc nomen sibi imposuit. Unde Deus pater quasi de fonte ipsum levavit et ideo suus specialis pater fuit. Unde ipse per Ps. dicit [Is. 49,1]: *Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris mee recordatus est nominis mei*. Item graciosus fuit filio, quia eum in suum baptistam elegit. Item spiritui sancto fuit graciosus, quia suus magister esse voluit. Nam ipse eum docuit predicare. Unde ipse dicit per Ps. [Is. 49,2]: *Posuit os meum Dominus quasi gladium acutum.* O quam acute incidit iste gladius, quando dicebat Herodi [Marc. 6,18]: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.*

Item graciosus fuit virgini Marie, quia ipsa ejus obstetrix fuit. Unde cum natus fuit, ipsa eum primo de terra levavit. 3º insinuavit ejus sanctitatem, cum dicitur: Spiritu sancto implebitur adhuc. Cujus sanctitas multiplex habet testimonium, primo a Deo patre qui vocavit eum angelum. Malac. 2º [3,1]: *Ecce mitto angelum meum ante faciem, qui preparabit viam ante etc.* Appellatur autem angelus propter angelicam vitam, quam duxit, quia virgo usque ad mortem permansit. 2º a filio testimonium habuit. Unde Mat. xi. [11,11]: *[Major] Inter natos mulierum non surrexit,* dempto tamen solo Christo, quia ipse fuit natus virginis et non mulieris. Unde Johannes est lucerna ardens et lucens, ardens per caritatem, lucens per angelicam conversacionem. Unde Damascenus: Perpendite quam sancta et angelica ejus conversacio fuit, quoniam omnis populus ipsum Christum estimabat.

3º testimonium habuit a spiritu sancto, cum per patrem suum dixit [Luc. 1,76]: *Tu puer propheta altissimi vocaris.* 4º ab angelo, Luc. [1,15]: *Erit magnus coram Domino, vinum et siceram non bibet.* Fuit enim beatus Johannes similis angelis per angelicam conversacionem, omnibus sanctis cum apostolis per fructuosam predicacionem, cum

prophetis per futurorum annunciacionem, cum martyribus per martyrii adepcionem, cum doctoribus per carnis mortificacionem, cum virginibus per mundicie conversacionem. 4$^{o}$ notatur fructus nativitatis ejus ibi: Multi in nativitate ejus gaudebunt. **[195v:]** Primo gaudebant peccatores, quia eis viam ad regnum celorum demonstrabat dicens [Mat.3,2]: *Penitenciam agite etc.* Gaudebat mater ejus, quia eum sine omni dolore concepit. Gaudebat Deus pater, quia suus fidelis legatus nascebatur. Gaudebant illi qui erant in limbo, quia eis nunciabat adventum Christi, per quem liberaturi erant de captivitate diaboli. Gaudebat ejus pater, quia sibi loquelam restituit.

Unde de eo legitur in ecclesiastica historia quod David rex volens ampliare cultum Dei xx4$^{or}$ summos sacerdotes instituit, de quibus unus erat Zacharias. Erat enim ipse et uxor ejus Elizabeth ambo senes et absque liberis. Cumque Zacharias templum, ut incensum poneret, ingressus fuisset, et multitudo populi foris exspectaret, apparuit ei Gabriel angelus. Cum vero Zacharias in ejus visione timeret, ait [Luc. 1,13]: *Ne timeas, Zacharia, quia exaudita est oracio tua, et ecce Elizabeth uxor tua pariet tibi filium et vocabis nomen ejus Johannes.* Zacharias autem considerans sui senectutem et uxoris sue sterilitatem dubitare cepit, et more judeorum signum ab eo querere cepit. Angelus autem pro eo, quod verbis suis non credidit, ipsum taciturnitatis plaga percussit. Cum autem Zacharias foras ad populum exisset, et eum factum mutum viderent, cognoverunt ipso innuente quod visionem vidisset in templo.

Completa autem septimana rediit in domum suam, et Elizabeth v mensibus se occultabat, quia erubescebat quod in senectute conciperet. Mense autem sexto beata virgo, que jam Dominum conceperat, venit ad Elizabeth congratulans ei quod filium esset paritura. Et cum eam salutasset, beatus Johannes spiritu sancto jam plenus sensit filium Dei venire ad se et pre gaudio in matris utero tripudiavit. Mansit autem beata virgo cum cognata sua tribus mensibus et ministrabat ei, natumque puerum manibus suis levavit de terra, et statim apertum est os Zacharie patris sui, et cepit clamare [Luc. 1,68]: *Benedictus Dominus Deus Israel etc.* Et sic congregati sunt omnes vicini ejus, congratulabantur ei et dicebant: Quis putas, puer iste erit? Et quia totum mundum letificavit sua nativitate, ideo ecclesia nativitatem ejus celebrat sicut et Christi et matris ejus. Tantum de illo sermone.

[Nota f.**194v:**] Ingressus flebilis, progressus debilis, egressus horribilis. Omnium terribilium etc. Carnis mortificacio. Apostolus [Rom. 8,13]: *Si secundum carnem etc.* Frequens deprecacio. Oracio est oranti subsidium etc. Mulierum [malorum:?] evitacio. Salomon: Consilium stultorum penitus evites.

[Nota f.**195r:**] Fluminis, flaminis, sanguinis baptismus, est vilis forma.

**De eodem sermo**

*Multi in ejus nativitate gaudebunt.* Luc. 1º[,14]. Hic circa nativitatem sancti Johannes Baptiste duo tanguntur. Primo nativitatis ejus utilitas ibi: Multi in nativitate ejus gaudebunt. Glosa: Nato Domino magnum gaudium nunciatur, quod erit omni populo. Nato autem precursore gaudebant omnes peccatores, quia eis viam ad regnum celorum demonstrabat dicens [Mat. 3,2]: *Penitenciam agite etc.* Hic sc. Johannes salutem multis predicat, ille vero omnibus dat. 2º notatur nascentis dignitas. [Luc. 1,15:] *Erit enim magnus.* Primo debemus eum hodie honorare, ut cum ipso possimus eternaliter gaudere. Nota quod beatus Johannes dicitur magnus propter v.

Primo propter sanctificacionis ejus in utero sinceritatem. Luc. i.[1,15]: *Erit magnus coram Deo et spiritu sancto implebitur adhuc ex utero,* et quia sine peccato originali natus est, ideo nativitas ejus celebratur sicut et nativitas Christi et Marie matris ejus. Jer. 1º [1,5]: *Priusquam te formarem in utero, novi te.* Et ideo merito in utero matris exultavit, quod numquam alicui sancto collatum esse legitur, quia vestem innocencie perditam in primis parentibus per graciam sanctificacionis recepit. Unde poterat dicere illud Isaie lxiº [61,10]: *Gaudens gaudebo in Domino, quia induit me vestimento salutis* sc. innocencie, sine qua nemo salvabitur. Ve illis, qui hanc vestem contempnunt per baptismum recipere, ut judei et pagani qui receptam per peccata polluant, et mali christiani, quia *vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem.* Is.ix. [9,5]. Audi, o christiane, si vestem innocencie post baptismum peccando polluisti, lava per veram contricionem, puram confessionem, continuam satisfaccionem, ne in die judicii sustineas confusionem. Apoc. 3º[,18]: *Vestimentis albis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tue.*

2^o^modo dicitur esse magnus propter conversacionis sanctitatem. Ideo bene prefiguratur per J ob: *Erit vir ille simplex et rectus*. Et sequitur: *Erat magnus inter omnes orientales*. Job i^o^ [1,1-3]. Sic beatus Johannes inter omnes bonos, qui illuminantur per solem gracie. Fuit enim simplex veritatem sc. Christum, qui ait [Joh. 14,6]: *Ego sum via, vita et veritas,* simpliciter confitendo. Cum enim tante sanctitatis esset ut crederetur esse Christus, negavit se esse Christum, et per hanc simplicitatem placuit Deo. Prov. 3^o^[,32]: *Abominacio est apud Deum omnis* phariseorum *illusio.* Ille illusor est, qui seipsum decipit putans se esse magnum in oculis Domini et inde se super alios extollit sicut phariseus, qui contempsit publicanum. Luc. xviii. Talem abominatur Dominus a sua **[196v:]** gracia excludendo. Ps. [5,7]: *Virum sanguineum et dolosum abominabitur Dominus,* sed cum simplicibus, qui se humiliando profitentur veritatem, tales Deo placent. Talis erat Johannes de quo Christus dicit Luc. vii [7,24]: *Quid existis in deserto videre?* Item fuit rectus Deum toto corde diligendo. Ille rectus est qui per dileccionem recte adheret Deo. Canitur ideo [Cant. 1,3]: *Recti diligunt te.* Quo contra de peccatoribus Ps. [77,36]: *Dilexerunt eum in ore suo, et lingua sua mentiti sunt.*

Et item fuit timens Deum bona faciendo. Eccli. ix. [15,1]: *Qui timet Deum, faciet bona.* Talis erat Johannes, qui carnem suam per durum habitum et magnam abstinenciam maceravit, baptizando et predicando homines ad penitenciam invitavit. Item fuit recedens a malo peccata vitando. Non dico mortalia, quia talem graciam a Deo recepit in sanctificacione sui in utero, quod de cetero peccare mortaliter non potuit. Sed dico committere de venialibus, a quibus eciam sibi maxime cavit. Unde cantatur de ipso: Antea deserti etc.

3^o^ propter prophecie raritatem. Luc. vii^o^ [7,28]: *Major inter natos mulierum non surrexit* dempto Christo filio Dei, qui est natus virginis. Xii autem prophete prophetaverunt Christum venturum verbis et viderunt oculo mentis. Sed hic oculis carnis et digito monstravit presentem dicens [Joh. 1,29]: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit etc.* Ubi excitat nos primo ad credendum ibi: Ecce, quasi diceret: Iste est, de quo prophete locuti sunt, quem voluerunt videre et non viderunt, vobis eum ostendo ut in eum credatis. 2^o^ invitat ad accedendum per spem, cum dicit: Agnus Dei sc. mansuetissimus propter misericordie pietatem, qui quondam fuit leo ferocissimus propter justicie severitatem. Ps. [33,6]: *Accedite ad eum etc.* 3^o^ monet ad diligendum, cum dicit: Qui tollit peccata mundi sc. per suam passionem, in qua ostendit maximum signum dileccionis. Ideo pater

Johannis repletus spiritu sancto dixit [Luc. 1,76]: *An puer propheta altissimi etc.*

$4^{o}$ dicitur magnus propter doctrine utilitatem, quia ipse homo ostendit exemplis, quod docuit verbis. Mat.$vi^{o}$ [5,19]: *Qui fecerit et docuerit, magnus erit.* Docuit enim monendo, ut patet Luc. 3, ubi monet turbas ad misericordiam, officiales ut sumerent justiciam, milites ne opprimerent pauperes per violenciam. Arguendo ut dixit Herodi [Marc. 6,18]: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Et hoc est officium predicatoris. Ad Thim. $3^{o}$ [2.Tim. 4,2]: *Predica verbum, insta opportune* minando sc. peccatores per penam propter peccatum, justis premia promittendo. Math. $3^{o}$[,2]: *Penitenciam agite.*

$5^{o}$ dicitur sanctus Johannes magnus **[197r:]** propter passionis dignitatem. Unde potest exponi de eo, quod legitur de Isaach, quod interpretatur gaudium, cum conceptio fuit prenunciata de sterili matre. Gen. $xxvi^{o}$ [26,13] *Ibat proficiens et succrescens* per virtutum operacionem, donec vehementer magnus effectus est per amaram passionem. Passio enim nullum facit magnum nisi cum virtutibus. Johannes enim virtutibus floruit et pro veritate mortem sustinuit et ideo merito magnus dicitur. Si enim innocentes dicuntur martyres magni, qui involuntarie pro Christo sustinuerunt, et martyres dicuntur magni qui exemplum patiendi a Christo acceperunt, multo magis Johannes, qui ante Christum passus est, tamquam precursor non solum nascendo, baptizando, predicando, sed eciam moriendo et ad limbum descendendo, ut ei tamquam Deo viam prepararet. Malach. 3[,1]: *Ecce mitto angelum meum, qui preparabit viam ante faciem tuam.* Fuit enim angelus non solum officio propter innocencie puritatem in mundo, sed eciam propter glorie[?] per hereditatem in celo, ubi coronatus est triplici corona aurea, quia martyr rosea, quia virgo alba, quia virgo rosea, quia fuit predicator verbi Dei.

Precursor Domini beatus Johannes specialiter et singulariter novem privilegiis claruit. Primo quia idem angelus, qui Dominum annunciavit, ipsum annunciat, $2^{o}$ in utero matris exultat, $3^{o}$ mater Domini ipsum primitus a terra levat, $4^{o}$ linguam patris reserat, $5^{o}$ baptismum ordinat, $6^{o}$ Christum indice demonstrat, $7^{mo}$ Christum manibus suis baptizat, $8^{vo}$ ipsum pre omnibus Christus laudat, $9^{o}$ in limbo positus Christum venturum prenunciat. Propter hec novem privilegia vocatur a Deo propheta et plus quam propheta.

Refert Paulus quod Rotarus rex langobardorum juxta ecclesiam sancti Johannis Baptiste cum ornatu regali sepultus fuit. Quidam vero

cupiditate ductus nocte sepulchrum aperiens abstulit universa a rege defuncto. Cui Johannes Baptista apparuit dicens: Cur ausus fuisti tangere et spoliare mihi commissa? Hoc habebis in penam quod ecclesiam meam de cetero ingredi non valebis. Quod eciam evenit. Quandocunque ecclesiam predictam intrare volebat, quasi a validissimo pugile guttur ejus ferebatur, et sic subito retro ruebat. Exemplum.

## Pro defunctis.

*Cupio dissolvi et esse cum Christo.* Apostolus Phil. primo [1,23]. Cum mors sit finis omnium terribilium, sicut dicit philosophus, mirabile videtur quod homo possit desiderare mortem. Et ideo querendum est quare persona devota cupit dissolvi, et quare cupit esse cum Christo. Circa primum notandum est quod per mortem persona devota acquirit tria, que sunt maxime desiderabilia homini sancto sc. beatitudinem, veritatem et honorem. Omnis enim homo naturaliter tria appetit ista. Nam omnis homo appetit beatitudinem, sed in hac vita nullus potest esse beatus, cum sit iste status variacioni subjectus. Homo enim sepius in ista vita variatur et in bonis fortune et in bonis nature, et in bonis anime et in bonis gracie juxta illud Job [14,2]: *Numquam in eodem statu permanet homo.*

2^o^ homo appetit veritatem, quia secundum philosophum omnes homines naturaliter scire desiderant, sed non potest homo cognoscere veritatem, nisi cognoscat primam veritatem, a qua est omnis veritas. Ista veritas est Deus qui dicit in Jhesu [Joh. 14,6]: *Ego sum via et veritas et vita.* In hac enim vita non potest perfecte cognosci veritas, sed in alia vita perfecte cognoscitur. Unde apostolus xiii [1.Cor. 13,12]: *Videmus nunc* ipsum *per speculum in enigmate* sc. obscure hic in mundo, *tunc enim faciem ad faciem cognoscimus* eum *perfecte* sc. in futura vita et celesti patria, et ad hanc vitam sc. patriam celestem perveniamus per mortem, et sic persona sancta et devota cupiens cognoscere veritatem desiderat mortem.

3^o^ homo appetit honorem, quia omnia que in hoc mundo appetuntur, tam divicie quam potencie, tam dignitates quam sciencie, appetuntur propter honorem. Sed inter omnia mors honoratur. Racio est quia in morte sunt processiones a celo, ab inferno et a mundo. A celo quidem

venient sancti angeli Dei ad ducendam sanctam animam ad celestem patriam. 2° ab inferno veniunt demones investigandum si in anima aliquid inveniunt, propter quod in infernum secum trahunt. Item a mundo clerici et populi. Et sic valde honorabilis est mors. Patet ergo per istam triplicem causam, quare anima sancta cupit dissolvi et esse cum Christo. Sed quare cupit esse cum Christo? Respondetur: Racione perfeccionis quia unumquodque est perfectum quando attingit suum principium, et ideo perfeccio universi in circulari figura designatur eo quod circularis figura copulat finem principio, et sic nihil est addibile. Figure enim recte nihil est addibile. Sed tunc fiet quasi circularis figura quando creatura, que fluxit a Deo tamquam a principio, redit in ipsum tamquam in finem. Et quia unaque res suam perfeccionem desiderat, ideo anima sancta cupit dissolvi et esse cum Christo.

**[f. 198r is blank]**

## Nota pro defunctis

*Memor esto judicii mei, sic enim erit et tuum, mihi heri et tibi hodie.* Eccli. xxxviii [38,23]. Hic accipitur judicium pro morte, ubi mortuus alloquitur vivum dicens: Memor esto etc., ubi duo notantur. Primo salubris mortis exhortacio ibi: Memor esto judicii mei, sic enim erit tuum. 2° ejusdem mortis hore incertitudo ibi: Mihi heri, tibi hodie. Unde Ps. [Deut. 32,29]: *Utinam saperent et intelligerent et providerent novissima.* Cum hoc includit primordia et media, recogita primordia, attende media, novissima memorare. Cogita unde venisti sc. de limo terre, memorare eciam semper quid es. Unde homo est sperma fetidum sc. vilis materia, vas stercorum, esca vermium. Quid ergo in extremo judicio utrum salvatus aut dampnatus, quia post mortem via est periculosa, dubia et formidulosa, dies extremi judicii tam severa. Mors quidem periculosa est, quia anima tunc quadruplex bellum patitur. Ideo est magnum periculum ne succumbat. Unum periculum habet anima cum mo rbo  separante, unde Aristoteles: Omnium terribilium etc., quia sicut dicit Bernardus: In morte naris frigescit, os contrahitur, facies pallescit, nihil horribilius cadaveri hominis mortui. Pre timore et dolore cor in duo dividitur, in aere non suspenditur ne aer corrumpatur, in aqua non projicitur ne aqua inficiatur, sed tamquam venenum pessimum in foveam ducitur ne amplius videatur. Unde Aristoteles ad discipulos: Ingressus meus flebilis, progressus meus debilis, egressus meus horribilis.

2m periculum habet anima cum diabolo eam infestante de articulis fidei. Joh. [Hebr. 11,6]: *Impossibile est placere Deo sine fide.* 3m periculum habet anima cum peccato se ingerente. Sepe enim fit diabolo procurante ut alius in extrema positus omnia peccata sua ad memoriam reducat, ut ex hoc in desperacionem cadat.

4m periculum habet anima cum Deo racionem exigente. Unde [Mat. 12,36]: *De omni verbo otioso reddenda est racio in die judicii.* Item Seneca: Ante tribunal Christi vocatur gens humanum, ut referat unusquisque secundum merita eorum, quia mors justis est suavis et delinquentibus est amara. Ps. [115,15]: *Preciosa in conspectu etc.* Non solum preciosa est mors sanctorum in conspectu Domini, verum eciam omnium christianorum in fide morientium et vere pro peccatis contritorum. **[199r:]** Idem Ps. [33,22]: *Mors peccatorum pessima.* Ideo possunt ipsi dicere: Posito per impossibile quod esset quidam lapis molaris adeo magnus, quod terre et celi circumferenciam contingeret totam, et avicula minime quantitatis post centum milia annorum veniens tantum de lapide predicto evelleret, quantum est decima pars milii, et iterum post tot annos tantum, donec totum lapidem evelleret, utrum tunc esset finis nostre dampnacionis horrende. Unde Job [Eccli. 41,7?]: *In inferno nulla est redempcio.*

[Nota f. **198v**:] Exemplum de muliere per sanctum Hilarem.

[Nota f. **199r:**] Heri Alexander fecit thesaurum de auro, hodie facit aurum thesaurum ab eo. Heri isti non sufficiebat totus mundus, hodie in sepultura quinque pedum est contentus. Heri iste premebat terram sub pedibus suis, hodie premitur sub terra. Heri iste alios a morte potuit liberare, hodie mortis jacula evadere non potuit.

Propter 4or Deus indulgeat homini peccata sua: Veram contricionem. [Ps. 50,19:] *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies etc.* Piam eleemosynarum elargicionem. [Mat. 6,4 ?]: *Absconde eleemosynam tuam etc.* Caritatem Dei et proximi. Joh. x3 [13,35:] *In hoc cognovissetis quod disciouli etc.* Devotam oracionem, oracio oranti est subsidium, diabolo flagellum, Deo autem officium.

## De sancto Leonardo[78]

*Vigilate ergo, quia nescitis qua hora etc.* Mat.v° [24,42]. Convenienter possunt ista verba dici de beato Leonardo cujus festum hodie agitur. Ipse vigilavit 4or modis. Primo quia habuit fortitudinem in capite et in pectore, sicut dicit Isidorus: In capite per infatigabilem eternorum contemplacionem, in pectore per malarum cogitacionum refrenacionem. [Mat. 5,8]: *Beati mundo corde.* Assiduam oracionem, unde in parasceve [Mat. 26,41]: *Vigilate et orate, ut non intretis in temptacionem.* Unde oracio sic describitur: Est oranti subsidium, diabolo flagellum, Deo autem officium. 3° habuit virtuositatem in voce quia mediante sua voce suscitavit mortuos, et multos bestialiter viventes sc. in peccatis dormientes sua voce sc. predicacione ad Dominum convertebat.

4°modo vigilavit quia habuit timorem in corde, sicut ait Isidorus: Duo timuit sc. strepitum rotarum et ignem accensum. Strepitum rotarum sc. strepitum mundane sollicitudinis et ideo in desertum fugit, et ignem terrene cupiditatis vitavit, et ideo omnes thesauros sibi oblatos contempsit. Sicut legitur de eo, quod cum esset in quadam silva juxta unam civitatem nomine Lemovica, accidit quod rex in eadem quadam die venaretur, et regina illuc causa delectacionis egressa partu periclitaretur. Cum ergo rex et familia propter regine periclitacionem lugerent, et Leonardus per nemus transiens et voces gementium audiret pietate motus appropinquans, cum ergo a rege interrogatus, quis esset, se sancti Remigii discipulum fuisse narravit. Rex spem bonam concipiens et a beato magistro ipsum bene instructum [estimans] ad reginam induxit. Oracione autem ejus ad Deum effusa quod petebat protinus impetravit.

Cum hoc vidisset rex, ei multum thesaurum optulit. Ille protinus recusavit illud ammonens, ut hec pauperibus daret dicens: Hiis non indigeo thesauris, sed tantum in aliqua silvarum soli Christo desidero famulari. Cum autem rex totum sibi illud nemus tradere vellet, ille ait: Non totum illud accipio, sed tantum quantum meo asello nocte circuire potero. Quod idem rex libentissime annuit. Constructo ibidem monasterio junctis sibi duobus monachis in abstinencia multa et jejuniis vivebat. Cum autem aqua ab eis uno miliario distaret, puteum ibidem siccum fodi jussit, quam aqua oracionibus suis implevit. Locum autem istum Nobiliatum appellavit eo quod a rege nobili sibi traditus fuisset. Ita

[78] From Jacobus de Voragine:Legenda aurea

tantis miraculis coruscavit, quod quicunque nomen ejus in carcere invocasset mox ruptis vinculis nullo contradicente liber abiret, et beato Leonardo suas catenas vel compedes presentaret. Igitur potuit beatus Leonardus dicere hec verba ad Deum: O Deus, homo qui non vult scienciam adipisci, rudior est brutis, inferior plantis, durior lapidibus insensatis, quia perfeccionem suam negligit et creaturas similes vilipendit. O bone Jhesu, amor tuus non est otiosus. Si qui te diligunt, non tepescunt, cogitare de te plena est refeccio, loqui de te perfecta est consolacio, adherere tibi vita est eterna, discedere a te mors est perpetua.

Et quia sanctus Leonardus mortem eternam evadere potuit, sedulo vigilavit. **[200r:]** Propter talem vigilacionem et assiduam devocionem vii nobiles viri venditis omnibus ad eum venerunt, et distributo eodem nemore ibi cum ipso manentes exemplo suo plurimos attraxerunt. Omnes incarcerati beatum Leonardum solent invocare. Sicut legitur quod quidam comes ad terrorem malorum hominum quandam gravissimam catenam fecerat, quam in cyppo suo transfigi mandaverat. Que catena cujuscunque collo cingebatur, ad mortem fere vexabatur. Accidit autem ut quidam servus sancti Leonardi illa catena sine culpa ligaretur. Qui cum jam ultimum spiritum efflaret, sanctum Leonardum invocavit ut servum suum liberaret. Statim sanctus Leonardus in veste candida apparuit dicens: Noli timere, non morieris. Surge et hanc catenam ad ecclesiam meam deferas. Qui consurgens et sanctum Leonardum sequens et catenam usque ad ecclesiam deferens, statimque ut ante foras fuit, sanctus Leonardus ipsum dimisit, et intrans ecclesiam, quam sanctus Leonardus sibi fecerat, omnibus enarravit et catenam illam tam maximam ante tumulum ejus suspendit.

Hoc audiens quidam sancto Leonardo multum devotus a quodam tyranno captus, qui quidem tyrannus intra se cogitans diceret: Leonardus omnes istos compedes solvat, et omnis vis ferri ante eum velut cera ante ignem liquescat. Si igitur hunc vinculis ligavero, statim Leonardus aderit et ipsa solvat. Scio igitur quid faciam. [In turri mea profundam foveam faciam[79]] et hominem hunc compedibus aggravatum ibidem submergam. Deinde super os fovee arcam ligneam faciam, in qua armatos milites accubare faciam. Licet enim Leonardus ferrum fringat, tamen non antrum sub terra intrat. Quid cum totum, ut cogitaverat, complevisset, et iste homo sanctum Leonardum sepius invocasset, Leonardus nocte adveniens arcam, in qua jacebant milites, revolvit et ita eos conclusit quasi mortuos in sepulchro. Deinde cum multa luce foveam ingressus

[79] The part between [ and ] added from Legenda Aurea

manum fidelis sui tenuit et dixit: Dormis aut vigilas? Ecce Leonardus quem invocas. At ille admirans ait: Domine, adjuva me. Confestim confractis catenis ipsum ad domum perduxit.

Miles quidam in Britannia incarceratus sanctum Leonardum invocabat, qui statim cunctis videntibus in media domo apparens et carcerem intrans et vincula frangens homini catenas in manibus posuit et per medium illorum ducens omnes stupore perterruit.

Postquam autem sanctus Leonardus tanta miracula fecisset, octavo Idus novembris ad Dominum migravit, ubi postquam multa fecisset miracula. Clericis illius ecclesie est revelatum, ut quia locus ille propter multitudinis frequentacionem artus erat, alibi ecclesiam **[200v:]** construxerunt illicque corpus sancti Leonardi honorifice portarent. At illi triduo cum populo jejuniis et oracionibus insistentes, respicientes viderunt totam provinciam nive coopertam. Locum autem illum, in quo sanctus Leonardus quiescere volebat, omnino vacuum respexerunt. Ibimet translatus, quanta miracula circa incarceratos precipue Dominus per eum faciat, immensa varietates vinculorum ante ejus tumbam pendentes testes existunt.

Peregrinus quidam cum a visitacione sancti Leonardi redisset et in Alverina captus in fovea inclusus esset, eos plurimum deprecabatur ut amore sancti Leonardi eum dimitterent. Qui responderunt quod nisi se copiose redimeret, non exiret. Et ille: Sit inter vos et sanctum Leonardum, cui me sciatis commendatum. Sequenti igitur nocte sanctus Leonardus domino illius castri apparuit et, ut peregrinum suum dimitteret, imperavit. Ille vero mane quasi sompnium parvipendens dimittere noluit. Altera nocte sibi eadem imperans apparuit, sed ille iterum obedire contempsit. 3[a] vero nocte sanctus Leonardus peregrinum accipiens extra oppidum deduxit. Statimque turris cum media parte castri corruens oppressis pluribus solum principem ad sui confusionem fractis cruribus reservavit.

[Nota f. **199v**:] Aristoteles: Homines sciantur racione.

### Exempla : In dedicacione ecclesie miraculum[80]

Quidam homo nimis scelerosus vidit in spiritu se in quodam campo esse sc. in mundo fugere a facie magne tempestatis sc. diabolice

[80] Almost the same story f.15v[2].

temptacionis ad domum unam, in qua sibi responsum erat quod justicia sc. celestis illic habitaret. Nec ipse injustus ibi intrare posset, quia divina justicia nihil aliud facit nisi justum judicium. Cucurrit ad aliam domum. Responsum est ei quod ibi habitaret veritas, sed quia fuit sicut omnis homo mendax, et veritatem diligit Deus, ideo nec ibi habuit introitum. Venit ad 3[am] domum, et dictum est ei quod pax ibi habitaret, et quia ipse erat homo discordie contra Deum et proximum et seipsum semper agendo malum, numquam aut raro bonum, ideo indignus erat ibi habere locum. Deinde ad 4[am] domum venit, et dictum est ei quod ibi misericordia habitavit, virgo Maria gloriosa, mater Dei, que in ecclesia canitur esse mater gracie et mater misericordie, et quia se humiliavit et emendare promisit, ideo ibi solacium, auxilium, graciam et misericordiam optinuit. Fugiamus igitur ad hanc domun dicens: Ave.

## Legenda de sancto Olavo rege et martyre

In Nedereos munitissimo castro totius Norvegie regno nobilissimo rege Harvard una cum nobili sua conjuge dicta Nesce nobiliter regnante ad partem aquilonie, que in extremis illius terre sita est. Sicut terra aquilonibus est propinquior, ita populus iste est natura glaciali, aliis nacionibus hominum crudelior et ad modum gelu remotior igne caritatis et durior lapide et ad omne malum pronior, cultu idolatrie strictior, et sicut familiarius stringebatur glacie, ita eciam possidebatur temeritate erroris et infidelitate. De hac quippe regione interrogatur Jer. 8[o] [1,13-14]: *Quid vides tu, Jeremia? Qui respondit: Ollam succensam video et faciem ejus a facie aquilonis. Et ait Dominus ad eum: Bene vidisti, quia ab aquilone pandet omne malum super omnes habitatores terre.* Glosa: Omne malum dicitur suggestio diaboli. Sed Dominus noster Jhesus Christus, qui cum Deo patre unus et spirito sancto, misericors et pius neminem *vult* perire, sed *omnes homines salvos fieri et ad agnicionem sui nominis venire* secundum Apostolum [1.Tim. 2,4], disposuit emollire duriciam efferarum gentium illarum, obstinatos eorum animos calore verbi fidei sue vocare ad regnum suum, legatos suos sc. predicatores vite celestis misit, ut predicarent fidem trinitatis, ut sic ejicerent ab illis incolis incredulis cultum idolatrie et minarent incredulis

acerbitatem examinacionis extreme in ultimo judicio a Dei filio fiendam. Et credulis promitterent vitam beatam eternaliter permanentem.

Hiis fascibus divini amoris nobilis rex regionis ejusdam nomine Harvard pre omnibus hiis inflammatus, causa indulgenciarum proposuit visitare limina sanctorum. Versus Hispaniam primo ad sanctum Jacobum navigans cum nobili comitatu dirigit iter suum, peregere profectus est. Cum igitur pervenisset in quandam civitatem nomine Bordeus in ultimis finibus sc. regni Anglie sitam, hospitatus est apud cujusdam preconsulis relictam, que circa eum quedam mira comperit. Unde eciam in quendam amorem singularem quoad eum in conjugem habere instincta fuit. Vidit nempe quosdam dealbatos figuram prefulgidam gerentes ut angeli Dei, qui obsequio familiari assistebant ei et cuncta bene et ordinate mundeque ministrabant ei. Unde conjecturaliter est hominem sanctum ex eo propagare, et in se spem beatam pictans, si tanti prolis possit **[201v:]** fieri mater, temptans insuper tanto peregrino concubi. Unde eciam eundem sc. Harvard regem adiens pollicens navem ejus onustare multis mercibus sc. in auro et argento et preciosis lapidibus et diviciis quampluribus, si contingat concubitus etc. At iste spondet se facturum, si tamen facta peregrinacione obtenta licencia ab uxore. Et sic illa tali spe allecta naves implet regis clenodiis, procurat insuper circa unum ex fidelissimis servis regis, quem regi semper et continue adesse suadet et jubet, ut diligenter observet ne rex rediens domum regine coeat. Sed Deo disponente ne tam sanctus thorus maculetur, aliud fiet, quia ecce quid fit.

Nocte nativitatis Christi venit Harvard domi et applicuit sui regni et castri proprii portum, et regine existenti in ecclesia venit nuncius regem advenisse salvum. Unde regina valde gavisa festinavit regi in occursum. Intransque in thalamum ad eum ruit in ejus osculum, et nescientibus domesticis opus est factum. Inde quasi brevi peracto tempore rex licencia uxoris obtenta revertitur versus civitatem Bordeus completurus promissa. Sed tunc ab eadem hospita investigabatur aliud, quod nec tam ut prius mirabile sed potius miserabile nec tam amabile et affectabile, sed prorsus horribile et detestabile. Vidit enim pro tunc quosdam nigros et horridos pro ministerio regis assistentes et omnia bona allata pejorantes. Tunc ipsa bonum opus completum esse scivit. Id quod prius concupierat fieri, recusavit et priorem et posteriorem visionem regi exponens multo cum honore eum ad propria remisit.

Inde rege ad regnum suum revertente dilectus Deo et hominibus inclitus sc. sanctus Olavus natus est, et in urbe Rothomagi baptizatus. Qui crescens cultui divino erat anhelans et Dei ministerium et cultum

Dei honorans et ministeria amplians, ingenio bono pollens atque omnium virtutum exercicio abundans. Post hoc concipitur Haris odiosus Deo et rebellis semper contrarius divine legi, et nascitur in Trondheym castro patris in gravamen omnibus incolis. Olavus vero cepit bone indolis et morum probitate a primena etate proficere et cultum divinum diligere et promovere, et econtrario frater ejus. Nam bonum impedire et omnia pro criminitatis[?] exercitio promovere, quia secundum evangelium Christi nullaque arbor mala fructus bonas facit et econtrario. Pater igitur horum Harvard rex bono senio obiit et, ut decuit, sepultus fuit. Olavus vero rex ab incolis regni proclamatus **[202r:]** fuit in regem adhuc patre ejus vivente et favente eo quod ipsum scivit ad regimen abiliorem et graciosiorem in populo et saniorem moribus fama pollente.

Anhelat proinde frater Olavi Haris, et magis desiderans regnum illud normannorum quam justum Dei judicium et regnum celorum instigat igitur omnes principes nobiles, episcopos et majores plebis in discordiam sui fratris. Facit convocacionem, congregat armatorum multitudinem ad regni divisionem et in sui fratris expulsionem. Statuit diem, sed non servat statutam fidem eo quod non curavit officium aut solempnia missarum, sed obsequium demoniorum convenit. Ad finem in Walstensi [nota: Falsther] sibi conduxerunt locum. Ac abinde valde mane diluculo dominica die abinde furtive versus Nedereos Norvegie castrum regale, ut illud preoccupat, navigat ut suum fratrem de regno expellat. Sanctus verus Olavus rex pius, cui placuit cultus divinus, non est formidine mortis aut terrore concussus, quamvis percepit impiorum consultus, sed secundum morem solitum servans diem dominicam et auditis missis et officiis divinis et visis sacramentis inde se et suis ut [et?] cunctis laute refectis benedicciones Domini, navem cum suis conscendit.

Et cum esset valde tarde quasi sero ultra fere hora vesperarum dominica die, et hora jam transisset, quidam ex servis indignacione moti dixerunt: Scisne an ignoras, domine, quod frater tuus valde mane et in diluculo precessit nos navigando versus Nedereos cogitans te de regno ejicere. Ut quid tamdiu tardasti etc. Qui respondit: Optime novi, karissimi. Non sit vobis cure pro ista parte. Dominus Deus judex justus, fortis et longanimis est. Ipse sua pariete judicet inter ipsum et me. Voluntas Dei fiat. Sibi committo causam meam et sue providencie. Non est decens die dominico ante finem officiorum Dei de domo Dei discedere, quia secundum evangelium [Mat. 6,33]: *Querite ergo primum regnum Dei et hec omnia adducentur vobis etc.* Et omnia Deo sunt

possibilia, et si ei placet, potest me in regnum meum in brevi inducere. Et elevans in celum oculos suos dixit [Ps. 24,4]: *Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas doce me.* [Ps. 22,4:] *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Et cum hec dixisset, accepit virgam et percussit navem in latere dicens: Semel in nomine Domini transeas. Et statim navis velociter erat gradiens ultra solitum morem, ita currens ut sanctus rex Olavus letus efficitur. Et ut hec experiencia suis faceret, **[202v:]** dixit uni ex servis suis, ut balistam acciperet et jaculum de manu emitteret. Et ecce sagitta, quam emisit, in aceriorem partem navis cecidit intus manens. 2[a] igitur vice sanctus Olavus letus in Domino factus virga percutiens latus navis ait: In nomine Domini Jhesu Christi transi, et statim duplo velocius currit. Et iterum sagittare jussit, et sagitta in medio navis circa malum aut velum navis cecidit.

Et tunc 3[a] vice tribus ictibus navem in latus percussit dicens: In nomine patris et filii et spiritus sancti, navis, transi. Et iterum 3[o] jussit sagittare, et emissa sagitta retro navem circa gubernaculum cecidit, quia ita velocissimo cursu impetuose erat currens, quod omnes mirarentur. Et inde cum modicum ultra tempus ultra navigassent, ex opposito contra se gubernator conspiceret quandam pregrandem terram. Se cernere proclamavit et periculum metuens ab ista parte divertere aut declinare dicit. Econtra Olavus sanctus rex gubernatori mandavit, ut navem contra eandem terram aut insulam dirigeret et nihil timens eam pertransiret. Gubernator ait: Si hoc egero, omnes peribimus, et omnium reus ero. Olavus autem ait: Securus esto confisus in Deo. Tantummodo fac, que dico. At iste secundum voluntatem regis navem ad terram direxit, et statim terra ista se diversit, et navis libere pertransivit et post se patentem rivulum, qui ab omnibus usque ad presens dicitur sanctus rivulus, in vulgari de hylleth Iwudh dicitur, post se dereliquit. Qui ut viderunt miraculum Domini tam subito transitu ipsum laudaverunt. Et sic sanctus Olavus cum suis multo citius quam frater suus in Norvegiam pervenit et castrum sc. Nedereos ante fere diebus tribus, et malum consilium fratris sui dissipavit.

Unde et invidiam sui fratris magis contra se incitavit, insuper ut prefertur, quod omnes festivos, dominicam diem et cetera festa sanctorum solempniter celebravit. Ac de celebracione sanctorum suis subditis reverenciam singularem de celebracione festi instituit et induxit. Unde in quadam die dominica accidit, quod sanctus Olavus ex fantasia, potius ex melancolia, quandam virgam manu tenens precideret cum cultello. Cum unus servorum, sibi de hoc pre aliis inculpando, hoc

advertens dixit: **[203r:]** Domine, dies dominica est et cras feria 2[a]. Quo audito mitis rex ac simplex in se reversus omnia fragmenta ligni fecit recolligi, et ipsemet collegit quecunque abscissa et igne adhibito in propria manu rogum ex eis fecit et combussit. Quibus combustis manum illesam comperit. Valde benignus et misericors erga inopiam proximi et cujuscunque egeni fuit, quia numquam aliquis mendicus egenus aut pauper tristis ab eo recessit sine eleemosyna aut consolacione. Sed quisquis exposcens beneficium ab eo semper misericordiam invenit. Quidquid possibile a quocunque Christi paupere rogatum fuerit, et si quis pro verecundia sibi non petebat necessaria, se sibi sanctus rex ultra optulit et exhibuit. Nullo insuper tempore se ad mensam posuit, nisi prius ipse in propria persona quamplurimis ad mensam ministrans et cibaria elargitus fuit. Cetera vero opera caritatis et beneficia erga egenos et subditos paucis verbis explicari non sufficit.

Unde et molestias quammultas et diversas persecuciones inde pertulit suis propriis viris. In pompa denique constitutus, spiritu semper pauper humilis, et negociis quamvis arduis implicatus regni, semper meditabatur celestia. Et nec contentus salute propria, sed divina dispensante gracia populos, quibus erat prestitutus, vigilanter nitebatur confirmare in fide et morum Christi observancia. Et quia licet multos converteret, plures habuit adversarios fortes et potentes. Hii erant contrarii preconi apostolici veri nobilissimi regis Olavis et verbo et opere obviaverunt sibi et conabantur evertere totis viribus vias Domini rectas. Justus autem Olavus ut leo confidit et absque terrore fuit exemplo Job [31,34]. Non expavescebat a multitudine malignorum, nec terrebat eum despeccio propinquorum vel adversantium minis vel insidiis. Fiduciam habens in Domino a constancia fidei et predicacione verbi Dei non poterat averti. Unde et legitur quod veritatis inimici, sui adversarii et complices sui fratris congregata magna multitudine armatorum sanctum regem Olavum in quadam insula saxosa proprio nomine Munstruhawen dicta, ubi eum cum paucis reperierunt, et illic, ut eum occiderent cum suis, undique cum scaphis et aliis navibus **[203v:]** rapinis, ne evaderet, obsidunt. Et inde furibundi ut canes rabidi ad mansuetas oves, nimia festinancia ad locum insule de navibus ad perimendum scandunt cum armis suis, videlicet lanceis, securibus et balistis et cum diversis armis.

Et virtus divina ita sanctos suos defensavit, sed [ut?] nec unus illorum a milibus posset perstare aut nocere Olavo cum suis, quia divina virtus, que emittit verba et liquefacit ea, insule istius lapidee duriciam liquefecit ut ceram fluentem, ita ut quocunque se diverterent, quasi limo

aut molli pice adhererent, ad modum erugine reptarent, et alii usque ad genua, alii usque ad femur, alii usque ad cubitum, alii manibus, alii pedibus quasi glutino lapidis imprimerent. Quorum vestigia usque in presens adhuc ibidem apparent.

Quo labore et lassitudine impediti et potius nutu divino repressi et a nece sanctorum occupati, inde addidit Dominus mirum prodigium mirabilius omnium priorum, quia milites sub vexillo sancti Olavi regis existentes, timore pariter et lassitudine et solis fervore fere duos dies et noctes cruciatibus [cruciati?] siti, aquarum penuria ibidem existenti, et ardore et potius timore fassi ad modum filiorum Israel contra Moisen, sic isti nunc contra regem Olavum sub balnerio[?] stantes murmurabant et de lassitudine et siti sunt conquesti. At sanctus Olavus arripiens bannelum[?] et silicem hasta trudens vexilli dicens: Ecce, et nunc cernite, infideles beneficiorum non credentes et omnes boni emulatores et fervi. Cum de duro hoc lapide poterit Dominus Deus vobis copiam aque vive ut olim Moisi in deserto ad nutum producere. Et ecce statim ut hasta petram tetigit, aquarum flux effluxit, quem mox cruciformiter cum hasta divisit, que usque in presens ibidem effluit.

Unde et tunc exercitus ejus saturatus et recreatus fuit et mirabilem Deum in omnibus operibus laudabilem glorificavit. Hoc eciam miraculo maxima pars persecutorum cepit a sua protervitate desistere et quamplures nondum baptizati sacramentum baptisma expetere et sancto Olavo adherere. Unde abinde sanctus rex et apostolus normannorum profecit, ac de die in diem numerus credentium augebatur, et confundebantur qui adorabant sculptilia, et decrescebat numerus perfidorum et in multis partibus regionis illius depressa multitudine infidelium, et succendebantur **[204r:]** templa idolorum, erubuerunt cultores eorum. Ac multi cum devocione magna et alacritate contempnentes temporalia offerebant Deo dona et donaria et pro peccatis sacrificia.

Beatus vero Olavus provinciis, quibus preerat, providens ne nobiliores per potenciam inferiores opprimerent, divina spiritus sancti sapiencia et disposicione previa leges statuit et in publico promulgavit edicta, in quibus suum jus unicuique assignavit. Et hiis maxime quantum liceret prelatis exercitum juris in subditis et quantam reverenciam subditi in prelatis, distribuit singulis terris sui regni, juris divini[?] considerans sapienter. In quibus claret quam sollicitus erga regionem et religionem, quam devotus erga Deum et quam benignus erga proximum existeret, non potest explicari paucis verbis. Unde eciam econtrario, quam multas

et malas perpessus est a malignis et sui fratris complicibus tribulaciones, insidias et persecuciones, donec multitudini eorum non valens resistere, censuit fore cedendum malicie, decessit in Ruciam, non passionis timore perterritus, sed arbitrans et dijudicans cedere ad tempus, donec congruum Domino volente et opportunum offeret tempus ad utilitatem populorum plurimorum, quos ad fidem convertere et confirmare Domino adjuvante et spiritu sancto tuente ab errore reduceret et ceteros.

In Ruciam vero ingressus recepit eum humanissime rex et princeps Jarsalavus magno honore, quamdiu ibidem manere voluit, et ab incolis habitus fuit. At ubi non parvo tempore demoratus est, non modicum vita ejus laudabilis et virtuosa religiositatis et caritatis, patiencie et benignitatis hiis, cum quibus conversatus est, prebuit et dereliguit. Nutu igitur divino inspiratus ad proprium rediret regnum, talis sibi visio sc. nocte antequam regrederetur, ostensa est celicus [celestis?]. Vidit enim quandam scalam stantem et celum attingentem se ascendere, quoddam pomerium amenissimum intrare et nobilissimos fructos diversi generis et mire pulchritudinis et eximii odoris et saporis capere et gustare, quorum gustu et odore tam corporis quam mentis inestimabili leticia fuit perfusus, et delectacionem percipiens, **[204v:]** inde se gustaturum fructus salutis eterne, proposuit redire, et de Rucia per Sveciam remeavit ad Norvegiam, propriam sedem, ubi a multis cum magna gloria et honore et gaudio susceptus est, superabundanciori gracia a Domino Jhesu sibi collata.

Indutus ergo lorica fidei et accinctus gladio spiritus, quod est verbum Dei, per infamiam et bonam famam, per gloriam et ignobilitatem, per arma justicie a dextris et a sinistris egregius perorator constanter ubique disseminabat verbum Dei. Sponte se periculo objiciens paratus pati pro Christo, si placuisset Deo. Libenter martyrium sitiens, non formidans, nec recusans, quoniam dignus est operarius mercede sua. Placuit tandem Deo agonistam suum educere de ergastulo quamvis ad regnum suum, ut plenam laborum suorum reciperet superabundanter mercedem, ut videret regem regum in decore suo.

Erat in terra illa, ubi nunc sanctum corpus ejus requiescit, quidam indurati et pertinaces in sua malicia, veritatis hostes, immo ipsi regi rebelles et execrabiles. In hanc venit provinciam predicaturus et docturus verbum Dei. Qui ibi convenerunt in unum adversus Dominum et adversus christum ejus. Et congregaverunt consilium iniquitatis, ut caperent eum aut nocerent ejus doctrinam, que erat eis contraria. Unde quidam ejus adversarii instincti in propria malicia, quidam corrupti

pecunia, adversus eum conveniunt, quia videbatur legibus eorum paternis esse contrarius. Statuentes diem belli in loco Schiliath Sculestadh, quasi ignorante rege et populo ejus multum ab eo distante, et sic eum excipiunt bello surreptico. Sed invictissimus Christi atletha et martyr gloriosus nihil tyrannidi formidans aut falsitatis terrene, utpute totus in Deo suspensus et celestia desiderans, festinavit pro Dei justicia pugnaturus, non formidans a facie multitudinis. Porro Dominus, pro quo tot agones passus est, volens suo martyri reddere mercedem et gloriam, quamdiu desiderabat. Nocte igitur diem sue passionis precedente apparuit ei Dominus demulcens eum verbis consolatoriis dicens: Accede huc ad me, dilecte mi. Tempus est ut laborum tuorum dulcissimos fructos recipies et nostro frueris consorcio et coronam eterni honoris assumes.

Hinc rex inclitus et martyr Christi ineffabili confortatus leticia **[205r:]** et quasi supra modo delectatus consolacione, quam acceperat, letus se optulit passioni et martyrio. Non pressus formidine, sed ita in Christo vigebat, quia licet undique multitudine circumdatus, non tamen ledi potuit, quamvis tota die prelii jaculis hostium quorumcunque aut inimicorum adversus eum convenientium aut thelis nec hastis aut securibus evelli. Sed quod ipsum attingebat vi divina crudeliter et graviter usque ad exitum spiritus ita lassati, ut exanimes efficerentur. Sic itaque stabilitus et confirmatus in Domino magna fiducia exultavit. Et exinde cognoscens preostensam sibi visionem velut patriarche Jacob scalam, quam nuper in sompniis viderat erectam etc., et ut Stephanus celum vidit apertum et Jhesum filium Dei, regem glorie, annexum scale et ad se accendentem et se ad coronam glorie invitantem et ad fructum vite, quam preparavit suis electis ab inicio mundi, et ad constanciam incitantem. Sitiens ipse mortem velut compos sui genii ad mortem se festinavit. Insurgentibus denuo hostibus proprii fratris manu percussus, securi et jaculis iniquorum transfixus, immaculatum spiritum Deo reddidit, et coronam martyrii optulit, circa annos Domini m$^{o}$c$^{o}$ et octo 4$^{o}$ Kalendas Augusti pro defensione fidei catholice fideliter migrans a castris ad pacem, que exsuperat omnem sensum, pervenit ad laudem Domini Jhesu Christi. Cui est omnis honor et gloria in secula seculorum.

Inde cum ministri regales evoluto passionis ejus tempore lavarent corpus ejus sacrum et hanc aquam sanguine mixtam ante ostium domus, ubi lotum fuit, projicerent. Qua lotus erat quidam cecus pertransiens ante domum prolapsus, et ad lotum sacro sanguine madefactum. Cumque sacro crure madefactos digitos faciei aut oculis adjunxisset, pristinum

visum clarum recepit, detersa caligine vehementer inde obstupuit et certius explorans cujus hec aqua fuit ibidem effusa. Et statim idem cecus cognovit se illuminatum per merita sancti Olavi regis et martyris. Quedam insuper mulier contracta adeo difformiter, quod pedes ejus cruribus adhererent, ad sepulchrum sancti Olavi pervenit et cum lacrimarum obsecracione perseverasset votis, **[205v:]** singulis membris redditis suo officio et pristina forma sanitati divinitus restituta est, rectis tibiis et pedibus reformatis, hilaris ad propria remeavit gaudens. Cuidam simplici rustico innocenti aliquibusdam potentibus illius provincie, in qua manebat, non justicie sed odii causa impetitur crimine lascivii, et postposita discussione legali aut negacione trahitur pre judicio, adjudicatur suspendio. Cumque anxius miserabilis, vi surgente perversa, diu oraret, locum justicie nec inveniret. De humano prorsus desperatus auxilio vertebat se ad misericordiam Dei et toto pectore anxius deprecans sanctum Olavum ut pro justicia suis piis meritis sibi innocenti subveniret apud Dominum, qui multoties innocentes liberaret misericorditer. Quid plura prodiit ex adipe iniquitas eorum, et absque mora et cordis timore transit in affectum, suspendunt insonem suspendio digni episcopi[?], ut puta. Verus statutor legis sanctus Olavus miseretur misero Adem suo devoto, licet suspenso sed innoxio ad se clamanti et pro innocencia veram justiciam postulanti. Continuo autem, ut levatus est a terra aut arbori vel patibulo attractus sursum, ut fune suffocaretur aut catena, visus est sanctus Olavus asserem supponi pedibus pendentis, cui annexus per ix horas permansit illesus, donec uxor sua petita licencia ad eum pervenit cum multis. Et cum ad eum pervenerunt, eum vivum invenerunt, quem jam mortuum putaverunt.

## De litera domini episcopi.

Petrus Dei et apostolice sedis gracia episcopus ripensis universis singulis christifidelibus, ad quos presentes litere pervenerint, salutem in Domino. Notum facimus per presentes literas quod nos, considerata necessitate ecclesie parochialis beate Marie virginis in Holstetbro nostre diocesis, graciose annuimus per presentes quod lator presentis N. vel

alius certus ipsius ecclesie questor et nuncius pro colligendis christifidelium eleemosynis ad sustentacionem dicte ecclesie per predictam nostram diocesim valeat circuire. Ut autem christifideles ad succurrendum dicte ecclesie liberaliores in Domino reddere valeamus, omnibus igitur vere penitentibus, contritis et confessis pro utilitate sepedicte ecclesie manus porrigentibus quolibet adjutrices de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi xl[a] dierum indulgencias de injunctis sibi penitenciis misericorditer in Deo relaxamus. Presentibus ultra triennium minime valituris. Datum anno Domini mcdlxv[o] feria vi[a] proxima feria post festum beati Pancracii martyris, nostro sub sigillo presentibus impresso.

De indulgenciis xl[a] dierum per dominum episcopum ripensem concessis.

## Miraculum in purificacione beate virginis[81]

Quedam enim matrona nobilis magnam devocionem in beatam virginem habebat. Hec quandam capellam in domo sua construxerat, et proprium capellanum habens quotidie missam de beata virgine audire solebat. Appropinquante autem festo purificacionis sacerdos ob quoddam negocium longius cecessit, et domina illo die missam habere non potuit, de quo cum plurimum doleret, capellam intravit et ante altare se prostravit. Et mox facta est in excessu mentis. Videbatur sibi enim in quandam ecclesiam introire et respiciens videbat turbam virginum, quas preibat quedam pulchra domina coronata. Cumque sedissent, ecce alia turba juvenum intravit, qui et ipsi consederunt, et ecce quidam maximam facem cereorum deferebat. Primo virgini, que ceteros preibat, dedit et postea aliis virginibus. Deinde ad matronam illam venit et cereum ei optulit, quem ipsa libenter accepit. Tunc per chorum respiciens vidit duos thuriferarios, subdiaconum et diaconum et sacerdotem sacris vestibus indutum et ad altare procedentes tamquam missam celebrare volentes.

Videbatur autem sibi quod accoliti duo angeli essent et Laurencius diaconus et Vincencius subdiaconus, sacerdos autem Christus. Facta

[81] These stories are  probably fromJacobus de Voragine:Legenda aurea

autem confessione duo pulchri juvenes officium alta voce inceperunt. Cum autem ad oblacionem perventum fuisset, regina et cetere virgines cereos suos, ut mos est, sacerdoti flexis genibus optulerunt. Cum autem matrona cum cereo suo ire noluit, misit ad eam regina quod rusticitatem suam postponeret, et quod sacerdotem tantum expectare non permitteret. Illa respondit quod in missa procederet, quia cereum sibi non offerret. Tunc regina nuncio dixit: Vade et cereum ei cum violencia aufer. Illa autem fortius tenebat. Cum autem longa fieret altercacio, subito cereus est fractus. Medietas in manu nuncii et alia pars in manu domine mansit, et ad hanc fraccionem ad se rediit et se juxta altare, ubi se posuerat, inveniens fractum cereum in manu reperit. Gracias beate virgini reddidit, que eam in illa die sine missa manere non permisit, cereum pro reliquiis reservavit. Tantum de illo.

**De assumpcione gloriose virginis Marie exemplum**.

Legitur quod apostolis exeuntibus in mundum universum gracia predicacionis, tunc beata Maria juxta montem Sion in domo sua permansit. Omnia loca filii sui sc. baptismi, jejunii, passionis, sepulture, resurreccionis et ascensionis, quamdiu vixit, devocione sedula visitavit. Et dicit Epiphanius quidam doctor quod beata virgo post ascensionem filii sui supervixit x et sex annis et sic erat, quando obiit, sexaginta annorum trium. Quadam autem die dum cor beate virginis in desiderium filii sui accenditur, animus comburens in abundanciam lacrimarum excitatur. Ad quam cito angelus cum magno lumine venit eamque salutavit dicens [Luc. 1,28]: *Ave Maria, gracia etc.* Suscipiens autem benediccionem illius beata virgo, angelus dixit ei: Ecce ramum de paradiso tibi retuli, quem ante feretrum discipuli portabant. Nam tuus filius expectat te. Tunc rogavit primo beata Maria ut xii apostoli ad exequias congregarentur. $2^{o}$ rogavit ut demones in morte non videam. $3^{o}$ ut filius meus solus pro anima mea veniat. Cui angelus: Que postulasti, impetrasti. Cum autem beata Maria omnes discipulos congregatos vidisset, Dominum benedixit, in medio illorum stetit. Circa horam noctis $3^{am}$ veniebat Deus cum ordinibus angelorum, cum cetibus patriarcharum et omnium sanctorum et dixit [Cant. 7,11 ?]: *Veni, electa mea*. Respondit Maria [Ps. 107,2]: *Paratum cor meum, Deus.* Omnes autem sancti dixerunt [Sap. 3,13]: *Hec est, que nescivit thorum in delicto.* Respondit

Maria [Luc. 1,48-49]: *Beatam me dicent etc., quia fecit etc.* Tunc dixit Deus [Cant. 4,8]: *Veni de Libano, veni coronaberis.* Sic anima Marie egreditur de corpore et in ulnis Christi in celum deportatur.

Dixitque Dominus apostolis: Corpus in valle Josaphat ferte et in monumento novo ibi recondite et me ibidem triduo, donec ad vos veniam, exspectate. Quando discipuli deportaverunt corpus beate virginis ad locum sepulchri, tantus angelicus cantus sonuit in aere, quod omnes judei in Jherusalem mirabantur quid hoc esset. Et exeuntes civitatem quesierunt quid hoc esset, quibus tunc dictum est quod discipuli corpus beate virginis deferrent ad sepulchrum. Tunc judei mutuo dixerunt: Venite, occidamus discipulos et corpus igne comburamus. Qui cum venissent ad feretrum corpus accipere proponentes, tanta lux celica eis circumfulsit ita quod non potuerunt audire vel videre nec seipsos cognoscere. Sed facti sunt **[207v:]** velut mortui et impotentes sui ipsius.

Tunc Malchus recordatus signi, quod fecit Jhesus in amputacione auricule ejus, clamavit ad beatum Petrum ut ipsum sanaret in nomine Domini Jhesu Christi. Cui Petrus dixit: Accipe fimbriam vestimenti mei et tange. Omnes autem volentes credere in filium Marie virginis Jhesum Christum salvi fiant. Et sic ibi magna multitudo judeorum in Jherusalem fuit conversa ad fidem. Discipuli vero corpus ad monumentum portaverunt. 3[a] autem die veniens Dominus cum multitudine angelorum salutavit eos dicens: Pax vobis. Responderunt: Gloria tibi, Domine. Dixitque eis: Quid honoris videtur vobis ut faciam dilecte matri mee? At illi: Dignum est ut sicut tu devicta morte regnas in celis, sic tue matris resuscites corpus et ad dextris tuis colloces in eternum.

Tunc dixit Jhesus: Surge, dilecta mater mea, ut mecum regnes in celis in eternum, et sicut immunis fuisti ab hoc verbo [Gen. 3,16]: *In dolore paries,* sic immunis eris ab hoc verbo [Gen. 3,19]: *Cinis es et in cinerem reverteris.* Et sic surrexit et innixa super eum tamquam super dilectum ad celum cum gloria evolavit. 3[a] vero die anima redit ad corpus, et sic assumitur in celum cum comitacione angelorum. Unde in Canticis [?]: *Veni, electa mea.* De ejus assumpcione gloriatur filius Dei. Versus in Canticis [1,14]: *Ecce tu pulchra es, amica etc.* De ejus assumpcione miratur spiritus sanctus. Unde in Canticis [3,6]: *Que est ista, que ascendit per desertum.* Nota quod beata virgo Maria assumpta est in celum penes 4[or] condiciones sc. integraliter quia cum corpore et anima, quod confirmat quidam metrista: Scandit ad etherum. 2[o] assumpta est letanter, unde in homelia: Hodie celi beatam virginem letanter susceperunt, angeli gaudio, archangeli jubilando, dominaciones

cytharizando, cherubin et seraphin hympnizando. 3o honorabiliter, quia Dominus implevit legem, quam dederat [Levit. 20,12] sc. *Honora patrem et matrem.* 4o assumpta est virgo Maria excellenter. Unde Jheronimus: Hec est dies, in qua [ad] celsitudinem throni intemerata virgo et mater processit, et in regni solio sublimata est, et ergo omnes sancti hanc laudant et de ea spiritualiter gaudent. Rogamus igitur beatam virginem Mariam. Tantum de illo sermone.

## Sermo 3us de omnibus sanctis. Anno Domini mcdlx2o [82]

*Mementote operum patrum vestrorum, que fecerunt in generacionibus suis, et accipietis gloriam magnam.* [1.] Machabeorum 2o[,51]. Ista verba dixit Mathatias ad filios suos, ut memores essent operum patrum suorum. Per istum Mathatiam significatur Christus, qui dicit ad nos christianos tamquam ad filios suos ut memores simus, que opera fecerunt patres nostri sc. omnes sancti, quorum hodie festum agimus. Per que ipsi regnum celorum acquiesierunt, ut nos habentes opera et vitam eorum ante oculos nostros tamquam speculum eadem facientes acquiramus vitam eternam in regno celorum. Primo igitur debemus memorare quare hodie agimus festum omnium sanctorum, et per quid salvati sunt. Circa primum notare possumus quod festum omnium sanctorum institutum est celebrare propter 4or causas. Prima causa propter templi dedicacionem, 2a propter obmissorum supplecionem, 3a propter negligenciarum expiacionem, 4a propter utilitatem nostram.

Primo igitur institutum est propter cujusdam templi dedicacionem. Romani igitur, cum toto orbi dominarentur, quoddam templum magnum construxerunt, in cujus medio idolum suum statuerunt et et omnium terrarum idola.[83] Si aliqua terra rebellare voluit, statim arte diabolica illius terre idolum romanorum idolo posteriora vertebat ostendens quod ab eorum dominio recessisset. Statim igitur romani ad illam terram magnum exercitum transmiserunt et ipsam suo imperio rursum subjugabant.

Tempore igitur Foce imperatoris cum jam romani fidem dudum recepissent, Bonifacius papa predictum templum a cesare impetravit et

[82] From Peregrinus Polonus
[83] The history of the images of Rome also on f.159r and 184r.

omnium idolorum ejecta immundicia ipsum in honore beate Marie et omnium sanctorum consecravit. Et postmodum Gregorius papa instituit celebrare, et sic templum, quod factum fuerit omnibus idolis, tunc dedicatum est omnibus sanctis.

2º institutum est propter obmissorum supplecionem. Nos enim multos sanctos obmisimus, de quibus eciam nullam festivitatem sive memoriam facimus. Non enim possumus omnium sanctorum festa specialiter agere propter eorum multitudinem, qui multi sunt. Unde Johannes dicit in Apoc. [7,9]: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, stantes ante thronum Dei*. Item eciam propter brevitatem temporis, quia eciam dies anni non sufficerent. Ideo ecclesia racionaliter ordinavit ut quia festa omnium sanctorum singulariter peragere non possumus, saltem omnes insimul honoremus.

**[208v:]** 3º institutum est propter negligenciarum expiacionem. Licet enim festa paucorum sanctorum agamus, tamen adhuc ista pauca ita negligenter agimus, quod quandoque laboramus, quandoque peccamus, quia in die celebri omnes homines maxime inebriantur et luxuriantur. Et ideo dicit Dominus [Is. 1,14]: *Solempnitates vestras odivit anima mea.* Quidquid igitur negligenter obmisimus, hoc hodie supplere possumus. Unde qui offendit [aliquem] de familia alicujus potentis, minatur ei et reputatur ei pro malo. Cum autem ille placatur, omnes simul placantur. Sic qui offendit aliquem sanctum, omnes simul offendit, et ideo debemus ipsos placare hodie et eos laudando honorare.

4º institutum est propter nostram utilitatem. Certe magna utilitas in hoc mundo [illi], qui habet multos amicos in curia regis et familiares, quia si habet multos amicos in curia regis, si aliquid agere coram rege [habet], melius ea ordinat. Sic est de omnibus sanctis. Quando autem festum omnium sanctorum devote peragimus, sicut hodie facimus, adjutorium percipimus in curia celesti coram creatore nostro, quia pro nobis orant, et impossibile est quod non exaudiantur. Quanto enim plures pro aliquo petent, tanto citius exaudiantur. Quod autem pro nobis hodie orant Deum, ostenditur in quadam visione.

Cum enim hac die custos ecclesie sancti Petri ex devocione omnia altaria circuisset et omnium sanctorum suffragia implorasset, acquievit paululum ante altare sancti Petri. Extra se rapitur. Ibi vidit regem in sublimi solio sedentem et omnes angelos in circuitu ejus. Tunc virgo Maria cum corona fulgenti venit, quam multitudo virginum sequebatur cum cantu. Huic mox rex assurrexit et posito solio juxta se sedere fecit. Post hoc venit quidam vestitus pilis camelorum et reverendi senes cum

eo. Deinde quidam in pontificali habitu et multi similes. Deinde multitudo milicie, post quos venit diversa turba. Omnes igitur ad regis solium venerunt et ipsum flexis genibus adoraverunt. Is autem, qui pontificalibus erat indutus, missam ceteris prosequentibus inchoavit. Angelus autem, qui ipsum custodem ecclesie sancti Petri ducebat, ei visionem exposuit asserens virginem Mariam in prima acie matrem Domini esse, vestitum autem pilis camelorum Johannem Baptistam cum patriarchis et prophetis, pontificali habitu vestitum Petrum cum ceteris apostolis, milites martyres, turba reliqua confessores. Dixit quod omnes ideo ante regem venerunt, ut pro honore hac die ab hominibus eis exhibito gracias agerent et pro universo orbe exorarent.

Deinde ad alium locum ipsum **[209r:]** duxit et utriusque sexus homines, aliquos in stratis aureis, aliquos gaudentes in mensis diversis deliciis, multos eciam inopes auxilium mendicantes ostendit. Dixitque hunc locum purgatorium esse et abundantes animas omnes, quibus ab amicis subveniebatur. Egentes vero esse, quarum cura nulla habebatur. Jussit hec omnia summo pontifici nunciare, ut post diem omnium sanctorum diem statueret animarum, ut saltem generalia suffragia illis fierent, qui specialia habere non poterant. Et sic patet primum quare festum omnium sanctorum institutum sit, et cur in memoria tenere debemus. Et ideo dicit: Mementote operum patrum vestrorum.

2[o] debemus memores esse patrum nostrorum sc. omnium sanctorum, quid fecerunt tempore vite sue et per que opera obtinuerunt magnam gloriam. Quia quando aliquis pictor vult depingere aliquam imaginem, oportet quod habeat exemplar super quo respiciat. Sic eciam si salvari volumus, oportet quod vitam nostram corrigamus secundum exemplum, quod reliquerunt nobis sancti in operibus, et quia difficile immo impossibile est eorum opera enarrare, ideo ecclesia in vigilia et in die legit evangelium de aliquibus operibus eorum, per que salvati sunt. Et primo dicit [Mat. 5,3]: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum.* In quo dicitur quod fuerunt viri paupertatis amatores. Bene autem dicit: Pauperes spiritu, quia duplex est paupertas sc. paupertas rerum temporalium et paupertas spiritus. Paupertas rerum est quam habent mendici, ergo inter mendicantes necessaria etc. Sustinenda est cum patiencia, quia non caret merito in idipsum. Unde si patienter toleratur, est pro purgatorio. 2[a] paupertas est spiritus que ducit ad beatitudinem. Ista est amplectenda. Hanc sequntur religiosi, qui relictis omnibus Christo in paupertate serviunt.

Unde Ps. [61,11]: *Divicie, si affluunt etc.* O quam preciosus thesaurus est paupertas apud Deum, quia cum ipse dives esset, quia creator omnium diviciarum, tamen in hoc mundo factus est pauper, et [ut?] pauperes transferret ad divicias. Unde Jheronimus: Quantumcunque in presenti sunt divites, plus gloriamur in paupertate quam in diviciis. Quis enim auderet ei dicere: Miserere mei, Domine, quoniam dives sum? Potius talibus verbis posset provocare Deum quam misericordiam consequi. Ideo dicit Salomo: [Eccli.?] Qui est amator paupertatis, licet sit rex dives, tamen pauperem se dicit. Idem [Ps. 85,1]: *Inclina, Domine, aurem tuam ad me, quoniam inops et pauper sum ego.* Propter hoc quidquid habebat Loth, hospitibus **[209v:]** et pauperibus paratum erat. Job pauperes dilexit et ideo dicit [Job 31,32]: *Ostium meum viatori semper patuit.* Et per hanc viam Christus et mater sua et sancti ambulaverunt et regnum celorum intraverunt, et nos exemplo eorum paupertatem sustineamus.

Item fuerunt mites. Ideo dicit evangelium de eis [Mat. 5,4]: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* sc. viventium. Mites autem sunt in corde, qui non habent amaritudinem ire nec murmuracionem, et omnem injuriam sustinent. Talis fuit Moises, qui cum a populo lapidaretur, pro populo deprecabatur. Talis eciam fuit beatus Stephanus et alii sancti.

Item fuerunt lugentes pro peccatis suis et aliorum necessitatibus. Ideo dicit evangelium [Mat. 5,5]: *Beati qui lugent, quoniam ipsi etc.* Talis fuit beatus Petrus qui peccatum negacionis deflevit, et Maria Magdalena et alii sancti qui eciam deflebant ex compassione aliorum. Augustinus: Defecerunt pre lacrimis oculi mei propter scelera populi mei. Item justiciam amantes, et ideo dicit evangelium [Mat. 5,6]: *Beati qui esuriunt et sitiunt justiciam.* Unde justicia est virtus reddere unicuique quod suum est, Deo animam, terre corpus, superioribus honorem, proximo quod tibi fieri voluisti. Item fuerunt mundiciam amantes. Unde dicit evangelium [Mat. 5,8]: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Tales fuerunt beate sancte virgines, que propter mundiciam mortem sustinuerunt. Item fuerunt pacifici. Unde [Mat. 5,9]: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Tales fuerunt sancti apostoli et alii sancti, qui tante patiencie exstiterunt, quod ibant gaudentes ad supplicia. Ista igitur opera omnium sanctorum fuerunt, de quibus nos debemus esse memores, ut eadem facientes gloriam magnam a Deo recipiamus. Dicitur autem magna gloria racione dantis, quia Deus pater dabit eam. Unde in evangelio filius Dei transiens ministrabat illis, dans

spirituales et dulces cibos. Ad quod gaudium perducat nos, qui vivit et regnat Deus per spiritum sanctum.

## Nota ex horologio eterne sapiencie 3. libro 4º.[84]

Sapiens, si vis penam purgatorii longam et arcerbam in temporalem, que brevis est et lenis, commutare hec facere stude  as. Primo omni die corde compuncto et spiritu contribulato cum gemitu cordis debes enormitatem peccatorum tuorum gravissime ponderare confitendo adversum injusticiam tuam Deo amarissime, cogitando quid feceris, quem offenderis, quid merueris, et dic: Domine, peccavi super numerum arene maris. Deinde debes teipsum coram oculis eterni judicis humiliter despicere et vilem estimare, ita ut cum publicano oculos immundos non audeas ad celum levare nec labiis pollutis nomen illud gloriosum nominare, sed neque teipsum hominem, sed vermem immundum estimare. Postea debes meritum passionis Christi summo cum affectu excolere et magnificare cogitando, quomodo apud eum copiosa est redempcio, et quod minima gutta sanguinis sui preciosissimi pro redempcione et satisfaccione totius mundi suffecisset. Sed copiose ipsum effundere voluit in augmentum magni amoris et superfluentis misericordie[?] pietatis, quia benigna est misericordia ejus. Tantum de illo.

## In commemoracione animarum[85]

*Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Apostolus ad Romanos xiii [12,15]. Duo festa pariter agit sancta ecclesia sc. festum omnium sanctorum et festum mortuorum. Primum est festum gaudii, 2^m^ fletus. Ideo bene competunt eis verba proposita. Heri ergo gavisi fuimus cum gaudentibus sc. cum omnibus sanctis, qui modo gaudent cum Deo in celo. Hodie eciam flere debemus cum flentibus, cum illis qui modo flent in purgatorio. Tria ergo notare possumus in hiis verbis. Primo qui sunt illi flentes, cum quibus flere debemus, et quibus potest prodesse fletus noster. 2º que est causa fletus eorum. 3º quid debetur eis exhibere modo. Circa primum nota quod flentes isti sunt mortui. Sed tamen non omnes quicunque moriuntur, sed tamen illi qui contra Deum moriuntur.

---

84 From Henricus Suso: Horologium lib. 3 cap. 14

85 From Peregrinus Polonus

Illis non prodest fletus noster. Nota ergo quod quidam moriuntur contra Dominum, quidam preter Dominum, quidam cum Domino, quidam in Domino. Quidam contra Dominum moriuntur ut peccatores, qui in peccatis mortalibus decedunt ut pagani, judei, heretici et alii mali christiani, et talibus deputatus est locus inferni.

Unde legitur in vitis patrum quod quidam sanctus pater ambulans per desertum invenit quoddam caput sacerdotis gentilis, et ille adjuravit caput querens, ubi esset ejus anima. Respondit se esse in profundo inferni. Et adjecit christianos, qui in peccatis mortalibus decesserunt, esse sub paganis et in majori pena. Nec mirum. Que enim uncta sunt, magis ardent quam non uncta. Sed christiani sunt uncti oleo et chrismate et ideo magis sentiunt de igne, et pro istis qui in inferno sunt, nobis flendum non est, quia fletus noster eis non prodest in adjutorium, quia [Eccli. 41,7?:] *in inferno nulla est redempcio.* Unde Augustinus: Si scirem patrem meum esse in inferno, non magis pro eo orarem quam pro diabolo.

Preter Dominum moriuntur omnes pueri nondum baptizati, qui nihil fecerunt contra Dominum. Actualiter illis deputatus est locus, ubi sancti patres fuerunt ante passionem Domini in limbo, ubi nullam penam habent sensus, sed tamen carenciam divine visionis. Pro istis eciam non est flendum. Cum Domino moriuntur boni et sancti homines, qui vivunt sine peccatis et decedunt sine peccatis mortalibus, et talibus deputatus est locus regni celestis, et pro istis similiter non est flendum, quia non indigent fletu nostro, nec eciam aliquo adjutorio. In Domino **[210v:]** moriuntur sc. in spe Domini tria genera hominum. Primi sunt qui penitencia sibi injuncta nondum completa decedunt. 2$^{i}$ sunt qui injunctam sibi penitenciam compleverunt, sed tamen illam penitenciam ignoratam vel neglectam ex integro non compleverunt. Istos oportet quod satisfaciant. 3$^{ii}$ sunt qui secum venialia peccata deportant, et illis assignatus est locus in purgatorio, et pro istis hortatur nos apostolus ut ploremus, quia ipsi flent propter 4$^{or}$.

Primo propter penitencie obmissionem, quia ipsi obmiserunt penitenciam agere in vita, ubi potuerunt habere forum bonum, quia modo annum pro die oportet eos complere. Propter hoc rogabat Job dicens [Job 10,20-21]: *Dimitte me, Domine, sine plangam paululum dolorem meum, antequam vadam ad terram tenebrosam.* Bene dicit paululum igitur, quia quod homo hic modica re evadere potest, pro hoc illuc multum punietur. 2$^{o}$ flent propter nimiam penam quam patiuntur, que excedit omnem penam temporalem, quia sicut ignis depictus in pariete est contra verum

ignem sic ignis noster contra ignem, quem patiuntur. Quid ergo erit de igne inferni. 3º flent propter carorum suorum oblivionem, quia obliviscuntur eorum amici qui bene possent eos juvare, et ideo dicit propheta [Ps. 30,13]: *Oblivioni datus sum tamquam mortuus a corde.* Tamdiu enim curantur, quamdiu non sepeliuntur. [Ps. 9,7:] *Postea periit memoria eorum cum sonitu.*

4º flent propter expectacionem venie, quia nesciunt quando pena eorum finem recipiet. Hujus exemplum habemus in quodam heremita, qui vidit duas animas stantes in purgatorio, unam usque ad talos multum flentem, aliam usque ad collum et illam ridentem. Qui dum de hoc miraretur, dictum est ei quia ista ideo flet, quamvis modicum sit in penis, tamen nescit quando pena ejus finem recipiet. Illa vero que ridet, quia in hac nocte de cognacione ejus natus est puer, qui erit sacerdos, qui dum celebrabit primam missam, salvabitur[86]. Propter ista 4or debemus cum eis flere, quia fletus noster multum eis in adjutorium prodest.

4or autem sunt que eis prosunt. Primum amicorum oracio, 2m eleemosynarum largicio, 3m sancte hostie immolacio, 4m jejuniorum observacio. Quod autem amicorum oracio eis prodest, patet in quodam miraculo de uno rustico ad cimiterium fugiente propter adversarios, quia idem rusticus omni die pro defunctis cimiterium circuivit devote pro defunctis deprecans etc. **[211r:]** Cum autem eleemosyne eis prosunt, patet per exemplum quod beatus Gregorius nobis narrat in dialogo. Quidam miles de corpore ductus exanimis jacuit. Sed citius rediit et narravit dicens quod pons quidam erat, sub quo niger et fetidus et caliginosus fluvius decurrebat. Transito autem ponte amena erant prata odoriferis herbis et floribus ornata, in quibus hominum albatorum conventicula videbatur, quos mira florum suavitas satiabat. Hic vero in predicto ponte erat probacio, ut quicunque injustorum, furum, predonum, adulterorum deberet transire, in tenebroso fetidoque fluvio labitur. Justi vero securo gressu ad loca amena pertransibant. Cumque quidam nomine Stephanus pertransire deberet, pes ejus lapsus est, et cum medio corpore jam extra pontem ejectus fuisset. Tunc a quibusdam viris nigerrimis per coxas in fluvium trahebatur, sed a aliquibusdam albis et speciosis rursum cepit per brachia trahi. Fluvius iste fuit locus purgatorii. Spiritus autem, qui eum trahebant, demones erant, quia forte nondum satisfecerat, et propter hoc laceratus fuit ab illis viris nigerrimis. Sed quia amici sui in hoc seculo pro eo eleemosynas fecerunt, ideo per brachia ab albis et speciosis viris ductus fuit ad loca amenissima.

---

[86] The same stories f. 65Bv

Quod vero misse eis prosunt patet in multis miraculis. Primo de clerico liberato a penis mille annorum dimidium milium annorum per celebracionem missarum in tota diocesi duorum annorum per episcopum cognatum suum. $2^{m}$ miraculum patet de quadam anima in glacie inventa etc., per quendam episcopum devotum liberata per missas[87].

$4^{o}$modo prodest eis jejunium, sc. si aliquis esset obligatus aliquo jejunio et morte esset preoccupatus, non posset perficere. Talis si rogaret aliquem amicum suum, ut pro eo jejunio insisteret, posset penam purgatorii evadere. Sed hoc deberet esse ex consensu sacerdotis, et quod hoc verum sit [patet] per quoddam exemplum, quod retulit quidam solempnis doctor. Quod cum quedam mulier mortuo viro depauperata fuisset, apparuit ei diabolus dicens quod eam ditaret, si ejus voluntatem faceret. Cui promittens primo injunxit ut viros ecclesiasticos in suo hospicio faceret fornicari, $2^{o}$ quod pauperes **[211v:]** in die reciperet et in nocte expelleret, $3^{o}$ quod orantes in ecclesia garrulando impediret, $4^{o}$ quod nulli hec confiteri deberet. Tandem cum morti appropinquaret, et filius ejus ipsam ad confessionem moneret, illa ei factum aperiens dixit se confiteri non posse, nec ei confessio aliquid valeret. Cum autem filius lacrimis instaret et penitenciam se agere pro ea promitteret, illa vero compuncta pro sacerdote misit. Sed antequam sacerdos veniret, demones ad eam irruerunt, quorum horrore perterrita mortua est. Filius autem pro ea peccata sua confitens et penitenciam pro ea in jejuniis et eleemosynis et aliis bonis promittit explendam, quod et faciens penitencia jam peracta eam a purgatorio jam egredientem vidit et celos ascendentem et sibi gracias agentem. Tantum de illo sermone.

Require multa alia miracula in brevilogo meo de animabus, hic non modo posita seu requisita.

[87] the soul in ice also f. 65Cr

## De omnibus sanctis[88]

*Videte quomodo caute ambuletis*. Ad Ephesios [5,15]. Hortatur enim nos apostolus, quia sepe homo habet se ad illas res secundum condiciones quas videt. Ideo videnda et consideranda sunt a nobis diligenter tria. Primum: Videte mundum istum et invenietis plenum miseriis. 2m statum vestrum et invenietis plenum periculis. 3m judicium futurum et invenietis plenum angustiis. De primo loquitur apostolus Actis [Eccles. 1,14]: *Vidi cuncta, que sub celo sunt, et ecce omnia vanitas.* Quia vanitas est magna instabilitas, quia hodie satis homo habet et cras nihil, hodie honoratus et cras depressus, quia pompa hujus mundi acquiritur cum labore, custoditur cum timore, amittitur cum dolore. Unde Job [Jer. 20,18]: *Quare de vulva egressus sum, ut viderem dolorem,* quasi diceret: Videte instabilitatem hujus mundi et dolositatem hominum considerate. Ergo, amici, ambulate caute. Sic Christus ambulavit et discipuli ejus. Ideo reprehenderunt eum judei et discipulos ejus culpaverunt. Quid valet nobis multa in hoc mundo congregare, quia mundus ita labilis est ut glacies? Ideo necesse est nobis non ita congregare pompam hujus mundi et gloriam, ut amittamus eterna gaudia.

De 2o loquitur Ambrosius dicens statum nostrum esse plenum periculis, quia vita nostra est quasi umbra solis clare splendentis, quia umbra solis est quasi revolucio manus[?], quia jam tempore clare splendet et post modicum tempus recedit. Ita vita nostra, quia hodie sumus sani et cras mortui. Videte ergo statum vestrum, quia non habetis majorem certitudinem quam animal irracionale. Ergo si dives es, pauperibus eleemosynam [des] et non habeas totum **[212r]** apud teipsum usque in ultima hora, quia nihil certius est quam mors, et nihil incertius hora mortis. Unde Bernardus: O peccator, quam bene et feliciter paratus eris ut diceres: Volo in ista hora gaudenter mori. Item Bernardus: Iste christianus non est, qui audet in isto statu vivere in quo non audet mori. Unde idem: Lege et relege omnia scripta, et nihil horribilius et detestabilius invenies quam hominem in tali statu vivere, in quo non audet mori. Quia animal compescitur, quando videt aliud percussum. Nos videmus proximos interfectos et subito mortuos et nolumus compesci ea de causa. Unde sequitur [Ps. 81,7]: *Vos moriemini sicut oves.*

De 3o dicit Anselmus sc. de futuro judicio, quando venis coram extremo judicio, et justus judex apparuerit in sede majestatis sue faciens

[88] Possibly by Mathias Ripensis .

discrecionem inter justos et malos. Tunc dicit ad justos [Mat. 25,34]: *Venite, benedicti patris mei, percipite regnum vobis a constitucione mundi paratum.* Tunc dicit eciam ad malos [Mat. 25,41]: *Ite, maledicti, in ignem eternum, qui preparatus est diabolo et angelis ejus,* quia non fuistis continui in oracionibus, adherentes jejuniis, vigiliis, sacra amantes, eleemosynas facientes, pauperes recreantes, nudos vestientes, infirmos visitantes et in tribulacione gaudentes. Ideo, fratres karissimi, isti sancti quorum hodie solempnitatem coluimus, in corpore positi lapidati sunt et propter nomen Jhesu mortui sunt in hoc mundo, ut vitam eternam habeant sine fine in futuro, et ergo canit hodie ecclesia: Justorum anime in manu Dei sunt etc. Et in evangelio [Sap. 3, 6]: *Tamquam aurum in fornace probavit eos.* Ecce electi Dei carnem dominant, spiritum roborant, demonibus imperant, virtutibus coruscant, presentia despiciunt et eternam vitam desiderant.

## Littera Karoli 4$^{ti}$

Karolus quartus divina favente clemencia romanorum imperator semper augustus et Bohemie rex ad perpetuam rei memoriam pronunciamus et declaramus imperiali auctoritate, quod quicunque laicus cujuscunque status vel condicionis extiterit, ausu temerario et proprie temeritatis audacia sacerdotem vel clericum secularem vel religiosum diffidaverit, proscripserit, captivaverit, mutilaverit, spoliaverit, occiderit aut in carcere detinuerit, aut hujusmodi maliciam perpetrantes scienter receptaverit vel favorem in hiis eis prestiterit, preter penas a sacris imperialibus et canonicis sanctibus eis inflictas, sint ipso facto infames ab omni honore privati, nec ad placitum vel consilia nobilium aliquantis admittentes. Datum anno Domini 1350 indiction. in 2$^{a}$, 3$^{o}$ idus octobris, regnorum nostrorum duo 14$^{mus}$ imperii vero quinti.

## Miraculum de Domina

Fuit quidam presbiter magne sanctitatis, qui quendam proximum suum ecclesiastico judicio excommunicaverat. Ille vero parvipendens dedignatus est a presbitero absolucionem impetrare non intendens, quantam potestatem Dominus dederat presbitero. Unde [Mat. 16,19]:

*Quecunque ligaveris super terram etc.* Et defuncto eo presbitero alius in officiis ejus successit. Recordatus est ille injurie quam defuncto fecerat sacerdoti, et veniens ad ipsius successorem, qualiter excommunicatus erat a predecessore suo enarravit. Qui dicit ei quod non posset super hoc sibi dare consilium. Precepit ut consuleret episcopum, ad quem cum venisset et ei culpam revelasset, nullum ab eo consilium consecutus est. Sed precepit ut in romana curia consilium super hoc impetraret. Ille acquiescens consilio summum adiit suum episcopum, sibi manifestavit negocium. A quo ille miser decessit inconsultus.

Septem annis expletis circumiendi loca sanctorum, tandem venit ad quendam sanctum, cui cum infelicitatis sue referret negocium, post triduum recordatus est vir iste cujusdam viri sancti, qui erat in Alexandria, qui tanti meriti erat apud beatam virginem quod illi captivo posset subvenire. Ille vir sanctus ab Alexandrie habitatoribus pro stulto fuit reputatus. Assumptis autem signis et literis a sene Alexandriam pervenit, ad quam cum venisset et cum multas civitates et vicos circuisset, ecce vir Dei in habitu insensati et miseri hominis cesus a pluribus in quendam vicum sibi apparuit, quibus signis a sene sibi traditis esse istum, ad quem missus fuerat, agnovit.

Cum vero sero esset factum, secutus est eum procedentem ad ecclesiam gloriose virginis Marie et humilians se ad pedes ejus, quis esset et quid quereret, ei nunciavit. Cognito autem ejus negocio vir Dei dixit ei: Crede, fili, quod potens est Dominus per beate Marie matris ejus merita restituere te in hereditatem tuam. Et sta, ora in angulo ecclesie, usquedum dicam tibi. Cui ille obtemperans in lacrimis et oracione se habuit. Hanc autem ecclesiam beata virgo frequentabat cum multis beatorum spiritibus. Cum vero esset in medio noctis spacio, venit beata virgo Maria cum multis aliis, in cujus comitatu erat anima illius presbiteri, a quo ille miser fuerat excommunicatus. Cum vero ante beatam virginem cetus ille supernis canticis exultaret, interim venit ille beatus procidens ante pedes beate Marie virginis exorans pro salute peccatoris. Cui beata virgo dixit ut eum accedere faceret. Qui cum accessisset, ait beata virgo si illum agnosceret, qui in eo sentenciam promulgaverat. Qui dicens se agnoscere, beata virgo dixit ut inter cetus suos quereret, si reperiret. Quo reperto digito demonstravit. Quo accesso beata virgo dixit ei, ut excommunicatum absolveret. Quo facto beata virgo in momento accessit in celum. Et sic miser iste per merita beate virginis est absolutus.

**Item de Domina**

Fuit quidam nobilis vir habens conjugem sanctam, et erat vir iste timens Deum. Habuerunt nisi duos pueros et diu postea celibem vitam duxerunt. Hostis antiquus invidens in eorum castimoniam intulit viro temptacionem carnalem. In nocte vero dominice resurreccionis operati sunt, quod non deberent. Vir enim succensus libidine ad mulierem accessit. Obstupefacta mulier multis virum increpavit sermonibus, ille vero nullomodo cessavit a proposito. Ista vero irata dixit: Quidquid in hac nocte a nobis fuerit operatum, sit maledictum et diabolo mancipatum. Concepit ista et miserabiliter peperit. Nato igitur infante cum ad annos xii pervenisset, apparuit diabolus matri dicens: Mihi esto parata reddere promissum anno 3$^{o}$. Mulier hoc sciens et non potens hoc de cetero celare, omnia filio revelavit. Auditis ergo matris sermonibus discedens petiit a sapientibus, quid super hoc esset agendum. Peractis igitur multis penitentiariis non inveniens quod quereret, Romam venit. Qui ibi nihil reperiens consilii Jherusalem petiit cum literis domini pape, cui esse ut fuerit patefecit. Tunc vero episcopus [cum] cognatis majoribus suis cepit se deliberare super hoc.

Illo siquidem tempore vir quidam erat in heremo juxta Jherusalem, qui angelicis fruebatur alloquiis. Episcopus puerum istum ad consilium ipsius totaliter destinavit. Misit autem pontifex viro sanctissimo signa de peccatis, ut puerum sub tam dubio facto consuleret. Angelus autem Domini viro sancto duos panes attulerat. Intellexit vir Deo plenus quod aliquis Deo volente veniret ad prandium. Tandem puer intravit cellulam viri sancti, qui cum receptus fuit ab heremita, literas sibi missas ab jherusalimito episcopo tradidit. Cui senex: Attende, fili, consilium dominice pietatis et gloriose virginis. Ipsa namque potestatem habet super malignos spiritus. Obnixis ergo et multiplicibus precibus ipsam deprecemur ut tibi subveniat. Hostis jam terminum in crastinum expectat. Vir iste in crastinum, quia dies dominice passionis erat, heremita ad missam pro puero celebrandam fuit paratus, qui cum lacrimis hostiam optulit Domino, timente vero puero hostem antiquum inter se et altare instituit[?],quem diabolus de illo loco rapuit ante pacem et fugit ad infernum. Sentiens ergo sacerdos juvenem ab hoste sibi sublatum ingemuit, sed ut ei beata virgo succurreret in mente habuit.

Beata virgo puero succurrere **[214r:]** non displicuit, quoniam meritis senis heremite ab immo baratri jussu omnipotentis attulit et illum in loco, ubi assumptus fuerat, restituit. Cum diceret sacerdos: Pax Domini, puer respondit: Et cum spiritu tuo. Post celebracionem misse narravit puer seni, quidquid ei acciderat, et gaudens reversus est ad matrem laudans beatam virginem Mariam super ea, que sibi acciderat in tali necessitate. Tantum de illo.

Item. Legitur de quodam castrensi, qui cimiterium Dei invastabat et injuste vivens beate Marie tamen devotus quotidie salutavit. Contigit ei in sompnio quod vidit puerum Jhesum in sinu matris sue vulneratum et audivit, hoc a se fuisse factum propter peccata sua, pro quo beata virgo intercessit dicens: Memento, fili, quod precepisti [Deut. 5,16]: *Honora patrem et matrem.* Honora ergo me dimittendo isti peccata sua, quia propter peccatores in mundum venisti. Cui filius respondit: Non exaudiam te hac vice, quia nimia sunt vulnera mea. Nec pater meus exaudivit me in oracione in sudore sanguinis. Cui mater: Fili karissime, memento dierum humilitatis tue, quibus te hiis uberibus, hiis manibus in paupertate, in erumpnia et laboribus nutrivi. Non faciam, respondit filius. Audisti qualiter in cruce clamavi: [Joh. 19,28] *Sitio*. Et[Mat. 27,46] *Deus meus, quare me dereliquisti*. Nec exauditus sum. Tunc surgens mater super sedem ponens puerum suum flexis genibus dicit: O fili dulcissime, memento qualiter gladius doloris pertransivit animam meam in morte tua, et exaudi me. Tunc filius dixit: Mater, quare me sic cogis? Non possum negare tibi peticionem tuam amplius. Fiet tibi quod vis. Doleat de preteritis per satisfaccionem et caveat de cetero de futuris. Et sic pro tuis meritis regnum eternum possidebit.

Beata virgo Maria v spirituales tristicias habuit. Prima quando Christus natus fuit. Tunc ita paupercula fuit, quod non habuit quod filium suum involveret. 2[a] quando Herodes quesivit eum occidere. 3[a] quando fugiens peregrina fuit in terra Egypti. 4[a] quando vidit eum suspensum in cruce. Eciam si possibile esset, quam libenter mortem pro filio suo sustinuisset. 5[a] quando vidit eum mortuum et in sepulchro positum et propter tristiciam istam martyr dicitur.

**[214v:]** Exemplum de beata virgine.Fuit quedam mulier, que habuit cum suo viro unam filiam, quam cuidam juveni tradidit in uxorem. Sed ob amorem filie sue generum suum in domo sua secum tenebat. Mater vero generum multum diligebat. Ob hoc maliciosi dicere ceperunt, quod propter malum eum diligeret. Ipsa vero timens infamari duos viros appreciavit in cellario recludens maritum et filiam alias misit. Et ipsa jussit generum suum intrare cellarium, ut vinum auferret. Ipse ut ingressus est mox a latronibus occiditur jugulando. Mox illa eum in lecto filie sue detulit et quasi dormientem eum vestibus contexit. Reverso igitur marito et filia et ad mensam positis, jubet mater filie quod debeat maritum suum excitare ad mensam, quem cum mortuum invenisset, mater cum ceteris flere incepit. Tandem postea ad contricionem venit et hoc scelus cuidam sacerdoti confitetur. Post aliquod temporis lis inter ea et sacerdotem oritur, et sic per sacerdotem ei homicidium objicitur, quod cum ad audienciam principum pervenisset, mater ducitur ad judicem et ab eo igne cremenda condempnatur. Illa finem suum imminere sibi considerans ad beatam virginem se convertens, oracionem fudit veniam postulans. Post oracionem vero igni tradita est. Quam illesam omnes qui aderant intuentes, videntes autem quod per ignem non leditur, lanceis eam impugnare ceperunt. Tunc judex multum obstupuit et eos ab ipsius impugnacione revocavit, et sic illesa ab igne contracta cepit dicere, quod per beatam virginem liberata fuit. Et sic in servicio beate virginis vitam postea finivit. Tantum de illo miraculo.

Exemplum de juramentis. Nota quod qui jurant sine compulsione sc. sine penuria vel necessitate, isti habebunt malum finem, et a domo eorum numquam recedit plaga. Unde erat quidam adolescens qui solebat semper horribiliter per mortem, corpus et sanguinem et viscera Domini nostri jurare. Tandem devenit ad horam mortis et in extasi sc. dubium esset de eo, utrum mortuus vel vivus esset, videbat dominam speciosissimam cameram ejus ad eum intrantem, que habebat filium in ulnis suis crudelissime vulneratum et sanguinolentum. Cui ille inquit: Karissima domina, quis filium tuum dulcissimum ita letaliter vulneravit? Ait ista: Tu fecisti hoc per horribilia juramenta tua, quia quotiens false jurasti, totiens ipsum vulnerasti. Et ipse quidem pro hiis erit judex tuus. Et hiis dictis disparuit. At ille evigilans **[215r:]** altissima voce

exclamavit narrans omnibus visionem suam. Et addit: Ego ad demones vado et cum eis sine fine sum permansurus. Et statim expiravit sine eucaristia et sacra unccione. Quare consulo omnibus, quod nullus false juret per nomen Dei, quia contra preceptum Domini est. Nota licitum est jurare quinque modis. Versus: Lex facit et fides, reverencia, caucio dampni, defectusque rei, ibi debeat jurare licenter.

Exemplum de virtute confessionis. Aude, narratur de quodam milite devoto, qui cum uxore sua devota longo tempore in pace et amore bono renixit. Tandem suggestione diabolica sub quadam arbore in horto suo cum una vidua adulterium perpetravit, et tunc de propria uxore nihil curavit. Istud vero accidit cito postea, et ille cum uxore sua in lecto dormiens, uxor ejus cepit in sompnis horribiliter clamare. Quod audiens dictus miles quesivit quid hoc esset. Que respondit: Perterrita fui. Item iterum obdormuit, tandem 2[a] vice fortius clamavit, et dominus eam suscitavit volens omnino scire quid noceret ei. At illa: Vidi, inquit, in sompniis unum letalem inimicum vestrum, qui cum gladio vos in corde vulneravit, de quo perterrita fui et cepi clamare. Hiis auditis miles illud pretendens esse vulnus anime sue et ait: Secure jam dormias usque mane, quia jam in bono statu sum. Mane autem facto dixit uxori sue: Non habuisti bonam requiem ista nocte. Transeas ergo ad ecclesiam missam Marie audiendo et postea in lecto tuo per tempus requiescas. Quod et factum est. Tunc miles statim misit nuncium pro confessore et omnia peccata sua sub predicta arbore cum maxima contricione est confessus. Et confessor videns ejus contricionem, quam habuit pro peccatis suis, injunxit ei 5[e] Ave Maria et non plus. Que miles intimis lacrimis complevisset confessore autem sedente cum milite, domina a sompno excitatur, que cum magno gaudio aulam est ingressa. Ejus causam tam magne leticie miles ab ea quereret. Respondit ista: Cum modo dormiens vidi sub arbore in horto meo quendam medicum venientem, qui 5[e] flores vobis in latere vestro posuit, et sanatus estis. Et hec est causa leticie mee. Et postea ambo in bona pace et magna caritate vixerunt.

**De beata virgine.**

Legitur de quadam muliere multum devota, que veniens ad confessionem pro confessore suo omnia peccata sua preter unum sanius est confessa. Sequenti ergo nocte apparuit ei Jhesus Christus in sompniis in signo crucis et ostendit ei cor suum totaliter denudatum, sanguinolentum et perforatum. Cui ille inquit: Cur verecundaris ostendere mihi cor tuum, ex quo non verecundor ostendere tibi cor meum. Et manus illius mulieris accepit et in latus suum posuit dicens: Accipe et tange corpus meum, et illa statim evigilans compuncta est et ostendit omnibus circumstantibus manus suas sanguinolentas. Et peccatum, quod pretermisit confiteri, cum magna contricione protinus est confessa. In signum vero, quod peccatum istud esset ei dimissum, manus sue omnibus videntibus sine locione in statum pristinum sunt reverse.

Legitur de quadam peccatrice, que fuit publica peccatrix, ita quod aliquid boni numquam fecit, nisi omni die ter salutavit beatam virginem Mariam cum uno Ave Maria et uno sabbato unam missam ad laudem Dei genitricis Marie fecit celebrari. Hec cum esset prope ad mortem dixit: O domina sancta Maria, licet numquam aliquid boni tibi fecerim, tamen tibi commendo spiritum meum. Et sic mortua est illa. Venientes ergo demones innumerabiles accipere animam ejus, tunc veniebat mater misericordie et animam ejus postulavit instanter. Qui dixerunt: Nequaquam, quia nostra fuit semper in mundo et nobis servicium omni die demonstravit. Ergo nostra est et nobiscum manebit in eternum. Virgo Maria respondit: Nescitis quomodo me pro honore habuit, unam missam in honore mei comparuit et celebrare fecit. Et cum ter Ave Maria omni die omnibus diebus vite sue me devote salutavit. Item demones dixerunt: Plurima crimina commisit. At ista: Non sic erat, quia filius meus promisit mihi, quod quicunque me per Ave Maria salutaverit et se mihi commiserit, numquam eum perire permittam. Et sic salvata est per Marie beate virginis [intercessionem].

De conversione a peccatis. Miles quidam dixit se potius in infernum velle ire quam de sua amasia recedere. Tandem sibi quidam episcopus multas penas inferni exposuit. Ultimo, videns tamen ipsum ad conversionem emendacionis ducere non potuit, dixit: Ex quo penas inferni non curas? Si tamen parum sustinere volueris, pone digitum tuum

minimum per unum momentum [in ignem], **[216r:]** si sustinere potueris. Quod factum est. Cum autem digitum ad ignem extendisset et sensit modicum calorem, in momento retraxit et amasie sue dixit: O mulier, perdicionis causa es mei et tui. Si istud modicum sustinere non potui, quid ergo erit mihi, cum propter te eternum ignem inferni sustinere debeo. Qui statim mulierem reliquit et se a peccatis convertebat etc.

De usura et rebus male acquisitis. Fuit quidam homo multum dives, qui ivit ad diversa limina sanctorum, et quidquid in via expenderat et optulerat, totum per usuram ante acquisiverat. Tandem post diversos labores infirmatus fuit ad mortem, et populus eum planxit quia eum sanctum esse estimabant. Et sic jacuit tribus diebus sine loquela. 4$^{o}$ vero die omnibus circumstantibus clamavit et dixit: Nullus pro me orare debet, quia in eternum sum dampnatus, et nihil mihi prodest mea peregrinacio, quam feci de usura, quia de rebus male acquisitis Deum nemo honorare potest.

De Domina. Quedam mulier semper hanc oracionem Ave Maria cum devocione cordis dicebat. Una vice ista debebat marito suo cibarium ad campum deferre, et non habuit aliquem cui puerum suum committeret. Dicere cepit devote hanc oracionem sc. Ave Maria et puerum suum beate Marie virgini committeret dicens: Non habeo aliquem cui puerum committam nisi tibi, sancta Maria. Et sic puerum reliquit et ad campum ivit ad maritum. Cum autem domum rediret, invenit domum totaliter exustam. Puerum quesivit et ipsum illesum circa ignem invenit.

Quidam vovit beate Marie virgini quod quater in anno ad honorem ipsius vigilias ejus in pane et aqua tantum jejunare hac intencione, ut ipsum a morte subitanea liberaret et spacium confitendi sibi daret. Cum scilicet cum sociis suis intraret mare, suborta tempestate periclitabatur navis ita quod submersi sunt omnes. Ipse vero per 3$^{s}$ dies periclitabatur in mari. Unde contigit, quod navis quedam circa eum faciens transitum, et ad clamores ejus naute receperunt eum, qui cum intromissus fuisset, confessorem petiit et sic confessus est perfecte peccata sua, et sic coram omnibus narravit qualiter beata virgo ipsum liberavisset propter jejunia. Et sic statim egressa est anima de corpore, et corpus quasi cadaver ita putridum remansit sicut fuisset jam per 4$^{or}$ dies mortuum. Et sic omnes

videntes hoc miraculum in honore beate virginis omnibus quibus poterunt narraverunt.

## Item de nativitate Marie sermo 3us [89]

*Egredietur virga de radice Jesse et flos de radice ejus ascendet.* Ysa [11,1]. Consuetudo fuit antiquitus quod antiqui reges et principes suum natalem celebrarent et magnum festum faciebant. Sic filius Dei hodie matris sue nativitatem per totum mundum celebrari instituit. Quod taliter legitur contigisse in quodam miraculo, ut supra in priori sermone de domina, videlicet [Cant. 4,7]: *Tota pulchra es, amica mea.*[90] Item et secundum hoc tria notantur in istis verbis. Primo ejus nativitatem ibi: Egredietur. 2o ejus proprietatem ibi: Virga. 3o ejus nobilitatem ibi: De radice Jesse. Circa primum nota quod virga ista sc. beata Maria egressa est sc. nata est dignissime, sanctissime et gaudiosissime. Unde scribit beatus Jheronimus quod Joachim erat de Galilea de civitate Nazareth, ex Bethlehem sanctam Annam duxit uxorem.

Ambo enim erant justi coram Deo et omnibus mandatis Dei intendebant et suam substanciam tripliciter dividebant, unam partem templo, ut supra in priori sermone. Anna vero concepit et peperit filiam et vocavit nomen ejus Mariam. Completo itaque ablactacionis tempore ad templum Domini virginem cum oblacionibus duxerunt et ibidem cum aliis virginibus eam dimittentes ad propria redierunt. Virgo autem quotidie in omni sanctitate proficiens ab angelis quotidie visitabatur et visione divina quotidie fruebatur. 4o decimo sue etatis anno pontifex publice nunciavit ut virgines, que in templo instruebantur et etatis tempus implessent, domum reverterentur. De cujus mandato cetere recessissent, sola Maria hec facere non posse respondit, cum parentes sui eam in servicio Domini mancipassent, quia virginitatem suam Deo vovisset.

Tunc anxiatus pontifex eo quod neque contra scripturam, que dicit [Ps. 75,12]: *Vovete et redite etc.* votum infringendum putaret et nec morem inconsuetum genti introducere auderet. Ad imminentem festivitatem judeorum senioribus convocatis omnium hec fuit sentencia, ut in re tam

[89] The first part from Peregrinus Polonus, the rest from the legend of the Virgin Mary
[90] f. 114v

dubia consilium Domini quererent. Cum autem oracioni insisterent, mox de loco oratorii cunctis audientibus vox insonuit dicens ut quicunque de domo David nupciis homines[?] conjugati non essent, singuli virgas singulas deferrent ad altare, ut cujuscunque virgula germinasset et in cacumine ejus secundum Isaiam vaticinium spiritus sanctus in specie columbe consedisset, ipse procul dubio esset, cui virgo desponsari deberet. Erat inter ceteros Joseph de domo David. Ceteris virgas suas offerentibus solus ipse virgam suam subtraxit propter senium et indignum se reputans. Pontifex iterato Deum consulendum putavit. Cum ergo Joseph suam attulisset, mox flores germinavissent et in ejus cacumine columba de celo vere consedisset. Igitur virgo est desponsata **[217r:]** Josep. Ipse quidem in civitate sua Bethlehem resedit domum suam dispositurus et nupciis necessaria provisurus. Virgo autem Maria cum vii virginibus ad domum parentum in Nazareth reversa est. In diebus illis angelus Gabriel ei oranti apparuit et de ea nasciturum Dei filium nunciavit.

2$^{o}$ notatur ejus proprietas ibi: Virga. Unde hanc virgam timent demones. Unde Numeri xx4 [24,17]: *Consurget virga et percutiet duces Moab* sc. demones. O quam plagas demones ab ista virga receperunt, hoc probatur. Qui in nocte nativitatis Christi beate virgini et suo puero insultaret erumpens de terra dixit: Ve, inquit, Maria mater Dei, ad quid nata es, quia nostram virtutem debilitasti et multas plagas demonibus inflixisti. Hec est virga que nobis viam preparat per mare hujus mundi sc. per istum aerem caliginosum, ubi sunt multi demones viam sanctorum obstruentes, sicut dicit sanctus Anthonius, quod vix alius sanctorum celum ascenderet, nisi ista virga eis viam prepararet. Quia istam virgam omnes demones fugiunt et impedire sanctos tunc non audent. Hec est virga que percussit silicem, et emanaverunt aque largissime. Ista virga multa dura corda percussit, et medetur.

Sicut legitur de quodam heretico, quod dum Rome christiani starent ante imaginem beate virginis, venit hereticus et cepit eam blasfemare dicens: Fatui, quem potest ipsa adjuvare, cum sit simplex mulier sicut et alie. Audientes hoc christiani turbati sunt dicentes: O Maria, vindica te in hoc heretico et nos. Et ecce due ignee sagitte ab aere in oculos ejus sunt misse, et statim excecatus fuit. Qui videns se excecatum exclamavit dicens: O beata virgo Maria, credo quod fuisti, es et permanes virgo in eternum et es protectrix christianorum. Et rogabat ut unus daret sibi manum et duceret eum ad altare beate virginis. Qui veniens ante altare [91] procidit in faciem

[91] from Libellus de nativitate Marie

ejus dicens: O beata virgo, illumina me, et ego promitto tibi servire usque ad mortem. Et sic illuminatus est.

3° notatur ejus nobilitas ibi: De radice Jesse ut dictum jam est. Et ideo propter ejus nobilitatem fugiamus ad eam, quia leviter percutit. Unde pater [Deut. 32,39]: *Ego percutiam,* mater vero manum ejus tenens, *et ego sanabo* dicens. Et sic patet quod ipsa est nata dignissime, quia ejus nativitas per prophetas multo tempore ante annunciata fuit. In nativitate ejus gavisus fuit Deus pater, quia nata fuit filia pulchra, cujus plenitudine omnes creature mirantur. Gavisus fuit filius, quia nata fuit sibi mater mundissima. Gavisus fuit spiritus sanctus, quia nata fuit sibi habitacio mundissima, mundior omni creatura. Gavisi fuerunt angeli, quia nata fuit **[217v:]** eis regina. Et ideo gaudeant peccatores, quia nata est eorum advocata. Hodie eciam gavisa est virgo Maria, que pariet preciosam margaritam sc. Christum, qui cecis erit lux, infirmis medicina, claudis gressus, mortuis vita, desperatis venia et exulibus regressus ad patriam. Tantum de illo sermone.

## Item de annunciacione sancte Marie

*Videns vidi affliccionem populi mei, qui est in Egypto, et gemitum ejus audivi et descendi liberare eum.* [Exo. 3, 7-8]. Karissimi, nos hunc sc. diem et hoc festum ad Dei honorem et sue sancte matris colimus, quia hanc festivitatem hodiernam pre ceteris festivitatibus decoravit et extulit psalmista attestans, qui ait [Ps. 117,24]: *Hec est dies, quam fecit etc.* Nota omnes dies hujus mundi fecit Deus, sed tamen istum excellenter, quia isto die mundus inicium incepit, et isto die finis erit hujus mundi et districti judicii. Item isto die Eva omne genus humanum condempnavit, Maria vero restauravit. Unde dicitur in Canticis Canticorum: Auctrix peccati Eva, meriti vero Maria. Illa hodie percussit, ipsa sanavit. Eadem hora qua Eva peccavit, eadem hora beata Maria spiritum sanctum suscepit. Eadem hora qua Adam ejectus est etc., eadem hora Dismas et Gesmas etc. Eadem hora qua Adam per consilium calidi serpentis moriebatur, eadem hora Dominus noster per voluntatem altissimi patris mundo miseratur.

Sicut dicit Isaias in verbis propositis, cum dicit: Videns vidi etc. Dicit quod vidisset in Egypto affliccionem populi sui et audisset gemitum suum. In hoc Egypto captus fuit populus Israel vinculis, per quem intelligitur mundus et hoc triplici de causa. Primo quia captus fuit tenebris, quia per

hanc dominacionem Egyptus intelligitur tenebre. 2° quia jacuit ligatus in multis et in magnis vinculis. 3° quia fuit in umbra mortis et hoc, quia de penis non honeste, sed miserabiliter moriebatur. Ista miseria dicitur de Egypto.

Item intelligitur de mundo hoc, antequam Christus miseretur hoc mundo. Omnes enim quotquot nascebantur hiis penis cruciabantur. Primo fuerunt in tenebris, quamdiu hic fuerunt sive vixerunt et Deum non cognoverunt, nec aliquibus meritis graciam Dei consequi potuerunt. Unde dixit patriarcha Thobias, quem angelus jussit gaudere, [Thob. 5,12]: *Quale gaudium mihi sit? Hic sedeo in tenebris, et lumen celi non video*. Hic dupliciter intelligendum est, quia **[218r:]** primo oculus caritatis sue cecus fuit, 2° quia oculus cordis sui Deum videre non potuit. 2ª pena qua moriebantur et cruciabantur antiqui, fuerunt dura vincula et magni laquei, hoc ideo quia in peccatis moriebantur nec penitencie graciam et Dei consequebantur. 3ª pena quia in morte miserabili interierunt sc. quacunque tribulacione homo moriebatur, semper ad inferos descendit et ibi gemitus suos fudit. Hanc affliccionem Dominus noster in hoc mundo vidit. Istos gemitus et hunc fletum audivit a patriarchis et prophetis in inferno residentibus. Ergo dicit hodie David [Ps. 106,14]: *Eduxit eos de tenebris et umbra mortis, et vincula eorum disrupit et laqueos.* Item [Ps. 123,7]: *Laqueus contritus est.*

Unde hodie sicut legimus, cum Dominus mundum a laqueis et svasionibus diaboli liberare voluit, Gabrielem archangelum ad virginem Mariam misit dicens [Luc. 1,28]: *Ave Maria*. Cui virgo dixit [Luc. 1,34-38]: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Respondens angelus dixit: Spiritus sanctus superveniet in te.* Maria respondit: *Ecce ancilla Domini etc.* Per hanc salutacionem angelus Domini Mariam salutavit. Concepit et totius mundi auctorem vite peperit, et sine ista benigna salutacione salvari non possumus. Ideo datur nobis in exemplum, sicut angelus eam salutavit, sic nos eam salutare debemus hoc versu: Ave *gracia plena,* per quam nobis 5ᵉ notantur. Primum quod dixit Ave, in quo ostenditur, omnes nati in mundo primo protulerunt Ve, quasi dicerent: Ve mihi, qui natus sum ad miseriam hujus mundi et ad penas inferni. Ideo dixit angelus hodie, karissimi, ad Mariam: Ave sc. tu virgo sis sine Ve et desperacione. Non tu sola, sed omnes te venerantes et te invocantes. 2ᵐ quod dixit: *Gracia plena*. Hoc videtur hodie perfectum esse, quod cum concepit in se filium Dei. Un de plena fuit omni gracia. Non ipsa sola, sed omnes eam invocantes. Unde Augustinus: O homo, si incurris scrupulos

tribulacionum, Maria clama Maria invoca, et ipsa te exaudiat et ab omni angustia te absolvet. Ergo benedixit: Gracia plena.

3m quod dixit est [Luc. 1,28]: *Dominus tecum* et cum omni humano genere te invocante. Sicut legimus quod quedam fuit mulier Deo devota, que nocte dieque affectarebat videre tali forma puerum Jhesum, sicut fuit in puericia sua, et pro tali affectu intime flevit quotidie in ecclesia. Unde omnibus exeuntibus ipsa ultima remansit. Apparuit ei Christus in specie pueri dicens: Scis Ave Maria, cum qua salutavit angelus Mariam? Mulier respondit: Scio. Christus dixit: Dic et illa Ave Maria etc. Cui Christus dixit: Ego sum, quem tu diu desiderasti videre, et sicut fui in utero matris mee, ita ero tecum et cum omnibus, qui matrem meam invocant. Ergo benedixit: Dominus tecum. 5m. [Luc. 1,42:] *Benedictus fructus ventris tui*. Unde Seneca: O benedicta virgo, cum fructus omnes vilescunt, fructus ventris tui semper floret et virescit.

**[218v:]** Nota Deus salutavit beatam Mariam per angelum suum Gabrielem propter duo. Primo propter ejus mundiciam quam habuit in se, quia inter omnes homines in mundo ipsa purior et mundior fuit. Unde Augustinus de ejus mundicia dicit: Si omnes sancti, quotquot sunt vel fuerunt a principio usque ad ultimum, similiter hic in mundo [essent], nil aliud ad Dominum dicere possunt nisi: Dimitte nobis debita nostra, excepta sola beata virgine Maria de qua dicitur, cum de peccatis loquimur, nullam mencionem possumus habere ad hoc, quod aliquo modo erat in ea macula peccati, quia Dominus eam ita sanctificavit quod cognicio peccati cor ejus numquam intrare potuit. 2o eam salutavit quia est mater misericordie. Tantam autem misericordiam Deus ei dedit quod quicunque ipsam in aliqua necessitate vel tribulacione invocaverit, statim sibi misericordiam dat abundanter. Et ideo comparatur virga, quia virga de facili flectitur.

**[217Ar:]** Nota tria fecit beata Maria in angelica salutacione sc. deliberacionem, quia cogitabat qualis esset ista salutacio. 2o interrogacionem, quia querebat quomodo fiet istud. 3o quia consentiebat, cum respondit: Ecce ancilla Domini. Concepcio Marie facta est per annunciacionem Gabrielis, quod figuratum est in Genesi in servo Abrahe nomine Eliezer. Abraham misit Eliezer servum suum de virgine providere, quam filium suum Isaach sponsam decet habere. Rebecca nuncio Abrahe potum petenti tribuebat eciam et camelos potavit, et ideo eam in sponsam filii sui eligebat. Sic pater celestis misit in mundum archangelum Gabrielem, qui filio suo virginem quereret in matrem. Maria potum sc. annuncioni sue consensum dedit. Item camelos potavit

sc. Maria tam ab angelis quam hominibus fontem vite propinavit. Item Rebecca fuit filia Raguelis. **[217Av:]** In hac die, ut dicitur per multa tempora curricula, Deus multa operatus est, que quidam istis egregiis versibus declaravit sc.

Salve festa dies, que vulnera nostra coheres,
est Adam factus et eodem tempore lapsus,
ob meritum decime cadit Abel fratris ab ense,
offert Melchizedech, Isaach supponitur aris,
angelus est missus, est passus in cruce Christus,
est decollatus Christi baptista, beatus
Petrus ereptus, Jacobus ab Herode pereptus,
corpora sanctorum cum Christo multa resurgunt,
latro dulce tamen per Christum suscipit. Amen.

## Pro defunctis

*Memor esto judicii mei, sic erit et tuum.* [Eccli. 38,23]. Nota Dominus habet duo judicia, unum particulare quod fit quotidie in morte cujuslibet, $2^m$ ultimum quod fit in fine mundi, et utrumque timendum est valde eo quod incertum est. Quia ergo utrumque finale est et finitivum, ita quod primum sit terminatum corporis, $2^m$ vero temporis. Et ideo semper debemus habere pre oculis horam finis. Unde Salomon [Eccli. 7,40]: *Memorare novissima tua etc.* Hujus rei exemplum habes in nauta, qui dirigit navem per transitum, quod est in fine navis, et bene datur exemplum de navi, quia mundus iste est mare, et vita nostra in eo transit sicut institoris delonge portans panem suum. Hujus rei gracia monet nos Salomon in persona defuncti ad finis nostre consideracionem vel omni defuncto ait: Memor esto, inquam, judicii mei sc. primi judicii mei, quod ego pertuli vel sustinui sc. particulare judicium hominum. Memor esto, inquam, omnium eorum, que recepi vel sustinui post judicium illud, que sunt octo. Primum quod vado solus, $2^m$ quod vado nudus, $3^m$ quod vado in mansionem ignotam, $4^m$ quod vado in manus inimicorum, $5^m$ quod tempus perdidi negociacionis, $6^m$ quod opera mea me sequntur, $7^m$ quod vado per regionem inimicorum meorum, $8^m$ quod esca factus sum vermium.

Primum ergo: Memor esto quod vado solus. Derelictus sum enim ab omnibus amicis meis. Ps. [37,12]: *Et qui juxta me erant, de longe steterunt.* Idem [Ps. 30,13]: *Oblivioni datus sum tamquam mortuus a corde.* Usque ad sepulchrum me sequebantur et non ultra. Nec aliqui tantum festinaverunt me terre commendare sicut hii, quos amicos et parentes vocaveram. **[219r:]** Et ibi [Ps. 9,7]: *Periit memoria eorum cum sonitu* campanarum et fletuum, et ibi relinquitur omnis homo ab omni homine. Exemplum de quodam nobili qui unicum filium habuit, qui accepta a patre licencia mundum visitavit pro amicis acquirendis et invenit solum tres. Require illud exemplum in brevilogo meo de tribus amicis in margine.[92]

$2^m$: Memor esto quod vado nudus. Job [1,21]: *Nudus egressus sum de utero matris mee.* Nec ipsum lintheanum datur mihi, cui involutus sum, datur mihi propter me, sed propter homines ne turpia mea videant. Exemplum de muliere que viro suo egrotanti noluit dare nisi vilissimum pannum, quem habuit, dicens: Tantum perditum est. Quod ipse semimortuus ita audivit et, cum convalesceret, dedit omnia sua propter

[92] This is actually found f.175v, though the author here says vide in brevilogo

Deum. Item exemplum de rege Salatiel, qui misit involutorium suum per totum regnum voce preconis annunciantis, quod de omnibus rebus suis nihil aliud deportaret. Dimitte ergo res que te dimittent, nec unquam eas tantum diliges ut propter eas te perdes. Si uxorem dimiseris, aliam pro te duces et e contrario.

3^m: Memor esto quod vado ad ignotam mansionem. Unde possum dicere [Ps. 141,5]: *Considerabam ad dextram et videbam, et non erat, qui cognosceret me.* Et bene dicitur ignota, quia ibi nihil datur petentibus sicut illi epuloni, qui rogavit plusquam mille annis pro gutta aque nec habere potuit. Item nemini creditur nec fidejussor nec pignus habetur, [Job 10,22:] *nulla ars vel sciencia* prodest ibi, quia [Eccles. 9,10] *nec opus nec racio est apud inferos, quo tu properas, sed tantum datur tibi de fructu manuum tuarum.* Et que premiseris, hec invenies. [Luc. 16,3:] *Fac ergo tibi amicos de mammona iniquitatis* per opera misericordie. Exemplum de rege unius anni[93] qui premisit in insulam suum victum, ad quam fuerat transmittendus. Sic et tu es rex trium regnorum sc. corporis, temporis et possessionis. Mitte ergo de rebus regni corporis tui abstinenciam, castitatem, justiciam, patienciam et humilitatem et ceteras virtutes. Item mitte de regno temporis ad minus vii horas canonicas, occupaciones utiles et sanctas, ut in singulis horis regracieris Deo pro singulis beneficiis. Item mitte de regno possessionis opera misericordie, et hec omnia invenies, cum veneris etc. Et nota quod plus valent opera precedentia quam sequentia. Sicut homo melius vidit in nocte de lumine, quod precedit, quam quod sequitur.

**[219v:]** Et ve illis omnibus, qui possident res, pecunia et non recordantur defunctorum. Sed maxime ve exequentibus negligenter testamenta legata, quale judicium de illis, nisi animam pro anima promerentur, quod eorum filii facient idem. 4^m: Memor esto quod vado in manus inimicorum. [Job 16,12:] *Tradidit enim me Dominus in manus inimicorum,* de quibus non potero regredi. Isti sunt illusores temerarii et audaces, qui omnem hominem arguunt bonum et malum secundum prophetam [Ez. 23,28?] *In manus horum traditus sum,* sed quid fecerunt de me. [Daniel 7,10:] *Sedit judicium et libri aperti sunt tuorum sc. meritorum.* Et [Exo. 15,9] dixit inimicus: *Persequar et comprehendam.* Currite omnes canes infernales, apprehendite ipsum Sathan demon Beelzebub. Et sequitur: *Dividam spolia*. Dividam, inquam, per tria. Ita quod quibus sumentium tantum diligat suam partem, quod aliam nequaquam vellet habere, carnem terre et vermibus, res liberis et parenti-

[93] f..177v

bus. Ego autem animam reservabo juxta illud Gen. [14,21]: *Da mihi animas, cetera tolle tibi.* Sic loquitur diabolus ad suam commilicionem mundi.

5m: Memor esto etc. quod tempus perdidi negociacionis. Non ambulavi in lege Domini dum tempus habui. Tempus perdidi, quia [Eccli. 41,7?] *In inferno nulla est redempcio,* nullus ordo, sed sempiternus horror. Tempus amisi, non possum ut satisfaciam pro locucione, non penitenciam feci pro cogitacione, non confessus fui pro iniqua operacione. O quot sunt in inferno, qui in die libenter milies confiterentur, si fieri posset quod daretur eis locus. Eme ergo regnum Dei, quod tantum valet quantum habes. [Mat. 13,45:] *Simile est enim regnum celorum homini negociatori.* [Mat. 19,21:] *Si vis emere et perfectus esse, dimitte omnia que habes, et bona da pauperibus.* Si tibi nimis preciosum videtur esse, da duo jumenta sc. corpus et animam. corpus accioni et animam contemplacioni.

6m: Memor esto quod vado et nihil mecum fero nisi opera mea. Apoc. [14,13]: *Opera illorum sequntur illos.* Apostolus [2.Cor. 5,10]: *Omnes enim stabimus ante tribunale Christi.* Ps. [88,15]: *Justicia et judicium preparant sedem ejus,* sicut dicit propheta [Ps. 84,14]: *Justicia ante ipsum precedit.* Tunc stabimus ante tribunal recipientes prout gessimus. Fur cum furto, latro cum latrocinia, adulter cum adulterio, et datur sentencia singula singulis: Furi suspendium, latroni rota, predoni decapitacio.

7m: Memor esto quod vado per regionem hostium meorum, et bene fatuus est, qui vadit per terram inimicorum sine conductu sc. bono angelo.

8m: Memor esto quod factus sum esca vermium. Scias quanto magis ventrem impinguas, tanto vermes facias. Job [Gen. 3,19]: *Memento quod crinis es et in crinem reverteris*

## De eodem[94]

*Dispone domui tue, cras enim morieris tu et non vives.* [Is. 38,1]. Penis obligati sumus Domino sc. morti. Ideo recordamur mimine, et propterea periculosum est nobis dimittere, ne ammonemus nos de morte, et periculosum est nobis mortem ammonitam non timere. Unde tunc precipue dicendum est de morte, cum delectabilissimum sit vivere. Sed in omnibus verbis prophetarum vel apostolorum non invenitur aliquid aptius ad ammonicionem mortis quam istud Isaie predictum sc. Dispone. Unde rex quidam Ezechias nomine laboravit in extremis, ad quem missus est Isaias propheta dicens: Dispone etc. Ex quibus verbis perterritus flevit amare, ex cujus fletu motus est Dominus et addidit ei xv annos.

Karissimi, sicut iste rex laboravit in extremis, ita et nos. Novissima enim hora est, ut dicit Paulus [1.Cor. 10,11]: *Nos sumus, in quos fines seculorum devenerunt.* Sed ubi finis fuerit, novit ille qui novit omnia. Ad ipsum regem missus fuit Isaias, qui dixit et: Dispone etc. Non solum ad eum, immo ad totum mundum, ad quamlibet provinciam, ad quamlibet civitatem et ad quamlibet domum missus est idem propheta, ut dicat idem: Dispone etc.

Nos vero, quid facimus, cum illud idem audimus? Certe ridemus, ludimus et quod dicitur nobis non credimus. Juvenes confidunt in hoc, quod vident seniores supervivere. Senes vero confidunt in hoc et dicunt in quolibet anno: Adhuc possum vivere per unum annum. Ergo emenda conversacionem tuam, cras enim morieris etc. Unde [Apoc. 14,13]: *Beati mortui, qui in Deo moriuntur,* hoc est qui in tali opere moriuntur, quod ad Deum venire mereantur. Qui enim in peccato sine penitencia moritur, immo ad diabolum descendit. Et hoc habemus expresse in Ezechiel, cui librum ostendit, in quo [Ez. 2,9] tria *scripta erant sc. Ve, lamentum et carmen.* Per Ve intelliguntur illi qui in peccatis mortui sunt. Illis dentur Ve sc. eterna dampnacio. Per lamentum intelliguntur illi qui a peccatis egressi in penitencia moriuntur, quia penitencia est peccata deflere. Et per carmen illi dantur intelligi qui sunt in terra promissionis sc. in eterna beatitudine, in qua Deum laudant dicentes [Apoc. 4,8]: *Sanctus, sanctus, sanctus.* Beati ergo qui in Deo moriuntur, quia absque pena anime eorum egresse statim ad celum volant.

Et hoc habemus in vitis patrum de quodam viro sancto, qui oravit Deum ut ostenderet ei qualiter anima de corpore sine angustia duceretur.

[94] Almost the same sermon f.301v

Quadam die cum exiret de cellula ipsius, vidit pauperem jacentem circa viam in extremis laborantem, vidit quoque circa illum angelos stantes et exspectantes animam, ut illam ad celum deportarent. Cumque illi moram facerent, sonuit **[220v:]** vox de celo dicens ut, quid diu ibi moramini? Et dixerunt angeli: Precedit Dominus ut sine ve et angustia corporis animam ipsius educeremus, quod non possumus. Et hoc dicto statim multitudo angelorum et prophetarum descendit modulacione, et anima egressa est de corpore absque omni angustia cum omni sancto comitatu ad celum. Dispone ergo domui tue, ut morieris tali comitatu et ad celum transeas. Previde magis anime que eterna est, quam carni que nihil est. Noli istam animam perdere, pro qua mortuus est Christus, ut esset sua. Creavit enim nos Deus et recreavit, creavit nos de nihilo et recreavit nos proprio sanguine.

**De penis inferni**.

Pene infernales sunt ix. Prima est ignis inextinguibilis, 2ª est frigus incorruptibile. Unde Job [24,19]: *Transibunt ab aquis ad calorem nimium.* 3ª sunt vermes immortales, 4ª est fetor intolerabilis, 5ª sunt tenebre palpabiles que tantum sunt spisse, ut possunt scindi. Unde dicitur [Mat. 22,13]: *Projicite eum.* 6ª est flagella cedentium. Impii enim gravissimis flagellis a demonibus ceduntur. 7ma est visio demonum. 8ª est confusio peccatorum, quia omnia peccata eorum oculis eorum habebunt. Nona est desperacio.

Nota 4or modis predicte pene possunt vitari sc. fuga, pudore, dolore et timore. Fuga ut homo fugiat peccatum, dum vivit, quantum potest. Pudore ut pessima vite sua erubescat et erubescendo premia ducat. Dolore ut de preteritis peccatis doleat et Deum offendisse timeat. Timore ut creatorem suum et eciam supplicium eternum timeat et ita in presenti dignam penitenciam accipiat, ne in futuro penas sentiat antedictas. Tantum de illo.

## In dedicacione ecclesie

*Pax huic domui.* [Luc. 10,5] Hodie est dedicacio ecclesie, que mater spiritualis est omnium nostrum, quia principium est totius christianitatis et finis, que templum Dei dicitur. Unde [3.Reg. 9,3]: *Sanctificavi domum istam*. Nota triplex est domus Dei. Sicut reges terrestres tres domos habere solent sc. domum colloquii, requiei et thesauri, ita rex celestis habet tres domos similes antedictis sc. ecclesiam, animam fidelem et patriam celestem. Prima est visitanda, 2ª preparanda, 3ª tota devocione desideranda. Prima est visitanda multis de causis. Prima quia ibi oraciones fidelium melius exaudiantur quam in alio loco, quod patet per regem Salomonem, qui in veteri lege in civitate Jherusalem fecit Deo templum ex diversis lapidibus et lignis preciosis ornatum auro purissimo. Postquam factum fuit, fecit congregari homines illius terre ad dedicacionem templi et optulit sacrificia multa. Et tunc oravit omni populo presente, ut Deus exaudiret omnes illuc venientes et juste petentes.

Facta autem oracione apparuit gloria Domini in medio templi in nebula, et Dominus de nebula respondens Salomoni ait [3.Reg. 9,3?]:

*Omnes* **[221r:]** *oraciones, quas fudisti pro me, audivi*. Et exaudiam omnes in isto loco juste petentes et ubicunque fuerit memoria nominis mei. Et secundum hanc templi dedicacionem populus christianus consuevit ecclesias sanctificare et dedicare in laudem et honorem Christi, ut oraret ibi pro peccatis. Nemo dubitet omnis qui illuc venerit cum puro corde et vera fide, quin Dei misericordiam consequatur. Unde [Luc. 19,46]: *Domus mea etc.*

2[a] causa quia ibi laudes Domini septies canuntur quotidie. Matutine fuit captus a judeis, hora prima fuit illusus ab Herode, hora 3[a] ad columpnam ligatus et in tantum vulneratus, quod [Is. 1,6] *a planta pedis usque ad verticem capitis non erat in eo sanitas*. Hora sexta lignis judeorum ligatus et crucifixus. Clamantes: Crucifige. Quoniam tantum dolorem passus est, quod numquam alius talem dolorem passus est, nisi ipse solus Christus. 3[a] causa est quod omnia divina, que ad christianitatem pertinent, ibi tractantur et consecrantur.

2[m] templum est preparandum, est anima fidelis, quam quilibet homo fidelis in se habet, qui hoc vult promereri. Bernardus: Para conscienciam domus tue et semper esto paratus, ut quacunque hora venerit, paratam in te inveniet mansionem. Quid est para conscienciam domus tue nisi penitenciam agere de peccatis. Luc. [13,5]: *Nisi penitenciam egeritis, omnes simul peribitis.* Unde quilibet homo debet parari tribus modis sc. contricione, confessione et satisfaccione. Unde David [Ps. 50,19]: *Cor contritum et humiliatum etc.* O homo, una lacrima de puro corde et contrito plus purget quam x anni in purgatorio, quia unus dies videtur ibi plusquam mille anni. Omnes enim aque non extinguunt minimam guttam [ignis] in purgatorio. Sed una lacrima extinguit totum ignem. O quanta passio in purgatorio est.

Unde de quodam legitur, qui longo tempore egrotavit, tandem a Deo recepit utrum adhuc 3[bus] annis vellet egrotare vel in purgatorio 3[bus] diebus manere etc. Unde Isa. [Jacob 5,16]: *Confitemini alterutrum peccata vestra,* tunc Deus habitat in vobis. Unde Dominus [Apoc. 3,20]: *Ego sto ad ostium et pulso, ut si quis audierit vocem meam et aperuerit mihi januam* cum confessione, *introibo [et cenabo] cum eo et ipse mecum.* 3[o] debemus purgare nos satisfactione, et tunc faciendum est illud, quod fecit Zacheus [Luc. 19,8]: *Et si quid quem defraudavi etc.*

3[m] templum quod est desiderandum, est celestis patria in quo habitat Deus cum omnibus sanctis suis. Illud templum est a nobis super omnia desiderandum. Augustinus: Felix civitas, secura mansio, ubi totum est

quod delectat, quia ibi est gaudium sine merore, vita sine morte. Ad quam perducat nos, qui vivit et regnat etc.

Patriam celestem parum diligit, qui eam quotidie cum lacrimis non querit. - Ps. [83,5]: *Beati qui habitant in domo tua, Domine*, in seculorum etc. - Paulus.

### De eodem

*Si quis cognoverit plagam cordis sui et expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies in celo.* iii R. viii[o] [3.Reg. 8,38-39]. Secundum duplicem naturam hominis communiter patitur homo duplicem defectum sc. corporalem et spiritualem, corporalem ut famem et sitim et hujusmodi, spiritualem ut peccata venialia et mortalia. Et secundum hoc indiget homo duplici remedio, remedio sc. cibi contra primum et remedio penitencie contra 2[m]. Sicut enim habet populus domus corporales in ministerium remedii corporalis ut palacium vel aula, ita honestum est ut habeat domum spiritualem dedicatam in ministerium remedii spiritualis sc. sacramentorum, licet alias possunt ministrari. Et hec domus est ecclesia dedicata, in qua sacramenta communionis ministrantur, oraciones frequenter exaudiantur, que figurate innuitur, sicut in verbo proposito superius est premissum: Si quis cognoverit etc.

In quo verbo tria facit. Primo enim incitat ad culpe recognicionem ibi: Si quis cognoverit plagam cordis sui. 2[o] invitat ad gracie imploracionem ibi: Expanderit manus suas in domo hac. 3[o] promittit venie execucionem ibi: Tu exaudies in celo. Culpe recognicio habet fieri per veram confessionem, gracie imploracio per sanctam oracionem, venie consecucio per divinam miseracionem. Dicit ergo: Si quis cognoverit plagam cordis sui etc. Est igitur notandum quod quadruplex est domus Dei. Prima interior sc. consciencia, 2[a] exterior caro nostra, 3[a] inferior materialis ecclesia, 4[a] superior celestis patria.

Primo dico quod est domus interior sc. consciencia nostra. Hanc intrare debemus per frequentem discussionem cogitando, quid fecimus in puericia, quid in adolescencia, quid in senectute. Exemplo Jeremie [Is. 38,15], qui dicit: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine*

*anime mee,* non in delectacione, nec in jactancia, nec in inani gloria sicut quidam. Unde Prov. 2º[,14]: *Letantur cum male fecerint et exultant in rebus pessimis.* Recogita eciam quid peccasti cogitacione, quid locucione, quid operacione. De hiis tribus dicit Gregorius super Ez.: Quotiens actu, quotiens verbo, quotiens cogitacione deliquimus, totiens Deum contra nos irritamus. Magnates in curia pape semper habent advocatos suos qui reclamant, quando aliquid dicitur contra dominos suos dicendo: Contradico. Sic Deus in curia cordis humani habet advocatum sc. conscienciam, que reclamat semper quando agitur contra Deum. Hec est domus Dei, quam ipse sanctificavi secundum illud iiiº Reg. ixº [3.Reg. 9,3]: *Sanctificavi domum hanc quam edificasti, ut ponerem ibi nomen meum in sempiternum.*

2º dico quod est domus Dei exterior sc. caro nostra. In hanc **[222r:]** intrare debemus per fragilitatis consideracionem recolendo, unde venimus, quid sumus, ad quod tendimus. Venimus enim de vili materia. Job xiiiº [14,4]: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine.* Quid sumus? *Vapor admodicum parens.* Jac. 4º[,15]. Quo tendimus? Ad terram, de qua nati sumus. Gen. 4º [3,19]: *Pulvis es, et in pulverem reverteris.* Bernardus super illud Gen. xviº [16,8]: *Agar unde venis, aut quo vadis.* Per Agar interpretatur caro humana. Agar, considera unde venis et erubesce, ubi es et ingemisce, quo vadis et contremisce. Ista tria considerabat Job xxx [30,19]: *Comparatus sum luto et assimilatus faville et cineri.* Luto dicit propter primum, faville propter 2m, cineri propter 3m. Qui ista [ita ?] se sub Deo humiliando veraciter adverteret, intrabit domum eternitatis sue. Hoc est, quod dicit Ps. [131,14]: *Hec requies mea in seculum, hic habitabo quoniam elegi eam.* Hec domus sc. caro nostra quandocunque, quod dolendum est, constituit domus diaboli, quia stipatur gula, quia substernitur luxuria, quia vallatur ocio.

3º dico quod est domus inferior sc. materialis ecclesia. Hanc intrare debemus per oracionis frequenciam. Ecclesia enim domus oracionis est secundum illud Luc. xix [19,46]: *Domus mea domus oracionis etc.* Unde quilibet justus hanc domum beneficia petiturus ingreditur. Hec est domus propiciacionis fideliter invocantibus. iii Reg. viiiº [3.Reg. 8,33-34]: *Si populus Israel* privaricatus fuerit et *penitenciam agentes et confitentes nomini tuo venerit et adoraverit te in domo hac, exaudi et dimitte peccata populi tui.* Dicit primo penitenciam egerunt per contricionem, nominis Dei confessionem, et veniunt per emendacionem, tunc enim propiciabitur Deus. Et est enim domus sacramentalis refeccionis. Unde

Prov. [9,1]: *Sapiencia edificavit sibi domum* sc. Christus ecclesiam. *Excidit columpnas vii* sc. vii sacramenta. *Immolavit victimam* sc. corpus suum, *miscuit vinum* sc. sanguinem suum, *posuit mensam* sc. altare. Verificetur in Is. lxi$^{o}$ [56,7]: *Letificabo eos in domo mea*. Sed timendum est quod multi latrones sunt in ea, propter quod sequitur. [Mat. 21,13:] *Vos fecistis illam speluncam latronum.* Latrones dico existentes in mortali peccato, quia auferunt sibi bona eterna. Nota de hoc et quod breviter dicam, peccatum mortale facit ut servicium. **[222v:]** In multis locis ecclesie Deo non placeant. Unde Mal. 2$^{o}$ [1,10]: *Quis in vobis est qui claudat ostia et incendat altare meum.* Et subdit: *Non est mea voluntas in vobis, dicit Dominus, et munus non accipiam de manu vestra.*

4$^{o}$ dico quod est domus Dei superior sc. celestis patria. Videmus de regibus et principibus, quod erigi faciunt domos altas, latas et spaciosas, in quibus requiescere solent sibi dilectos et familiares. Sic Deus creando statuit celum emphyreum, locum sublimem, latum et spaciosum, in quo sunt collocati familiares sui et sibi dilecti sc. angeli et beati, et in posterum beatificandi sunt collocandi. De hoc loco testatur Ps. dicens [83,5]: *Beati qui habitant in domo tua etc.* Unde glosa super illud: O Domine, omnes illi qui habitant in domo tua non manufacta, sunt beati, quod patet ex effectu, quia in seculum seculorum laudabunt te. Si non essent beati, non laudarent. Item dicit ipse Dominus in evangelio [Joh. 14,2]: *In domo patris mei mansiones multe sunt.* In qualibet illarum mansionum in celesti domo spirituali gaudio gaudebunt celestes cives et Dominum in eternum laudabunt sc. supremi sancti assumpti ad supremos angelorum ordines, inferiores ad ordines inferiores. Item quia quilibet tanto solaciosius intromittitur et intensius gaudebit et laudabit, quanto mundius et magis decenter se quoad Deum habuerit in hac vita. Sicut dicitur in Apoc. [22,12]: *Merces mea mecum est dare unicuique secundum opera sua.* De gaudio autem illius celestis domus dicit Gregorius in homelia: Que autem lingua dicere aut quis intellectus capere sufficit etc., usque incorrupcionis perpetue munere letari jamque illic cupit astare assistere[?], ubi se sperat sine fine gaudere.

Chrisostemus: Clerici nullam debent habere maculam neque in verbo neque in cogitacione, neque in facto, quia ipsi sunt pulchritudo et virtus ecclesie. Et si mali fuerint, totam deturpant ecclesiam. Debent esse simplices et illiteratos instruere per bona exempla. Mat. 5$^{to}$ [5,16]: *Sic luceat lux vestrum coram hominibus.*

## De corpore Christi

Qui vult sumere corpus Christi, debet accedere cum devocione cordis, debet enim considerare quomodo sumat. Recipit enim Deum qui fecit celum et terram. Recipit enim illum qui de virgine Maria sumpsit humanitatem pro salute humana. Recipit illum qui descendit de celo ad terram querere et salvare peccatores. Recipit illum qui in cruce amaram mortem sustinuit, ut peccatores a morte liberaret. Recipit illum qui 3[a] die resurrexit a mortuis, ut nos a peccatis mortalibus subito surgeremus. Recipit illum qui post mortem de hoc exilio mundi ascendit ad celos, ut nobis viam celestem ostenderet et nos omnes ad se traheret. Qui ergo illum Deum recipere desiderat, dignum est quod cum devocione accedat et omnia peccata mortalia diligenter postponat. **[223r:]** Quicunque bene se preparaverit, salutem corporis et anime consequatur.

Cum duo in dileccione magna vixerunt, quadam die inter se cum gaudio pactum fecerunt, ut quicunque primus moreretur alteri infra mensem appareret. Modicum vero tempus unus eorum mortuus est, qui alteri apparuit sexto decimo die. Tunc vivens interrogavit eum dicens: Quomodo habet anima tua? Anima vero respondit: Numquam bene habui sicut modo, quia sum in regno celorum. Jam evasi omnia pericula, nec mortem nec penas inferni timeo. Vivens socius dixit: Quomodo hoc meruisti quod ita cito ad gaudia eterna pervenias? Respondit anima: Quia me semper ad corpus Christi sumendum fideliter cum devocione preparavi. Sed hoc dico tibi: Dum de mundo per mortem recessi, tunc quinque milia hominum moriebantur illa hora, et nullus salvatus fuit nisi ego et alii tres.[95] Et non mireris, quia multi sunt heretici qui Deum non honorant. Multi sunt judei qui Christum non credunt. Multi sunt falsi christiani qui corpus Christi in mortalibus peccatis sumunt et ideo condempnabuntur.

Nota presens mundus comparatur mari propter 4[or] causas. Prima causa est quod sicut in mari est multiplicitas aquarum, sic in mundo est multiplicitas miseriarum. Unde Act. i[o] [Eccles. 1,7]: *Omnia flumina intrant mare*. Unde Jer. [Thren. 2,13]: Si *magna est velut mare contricio tua, quis medebitur tui,* sc. quis consolatur te, quasi dicens: Sicut mare plenum est aquis, ita unumquodque cor hominis plenum est contricione et tribulacione. Quis tunc medebitur tui nisi solus Deus. Unde Job [14,1]: *Homo natus de muliere.* Ideo dicit Bernardus: Heu me, Domine, quia

[95] The same idea. f.23r[2] , 293Av

undique sunt bella, undique tela volant contra me, et quocunque me vertar, non est securitas. Ideo dicit Jac. [1,12]: *Beatus vir, qui suffert temptaciones.*

2° in mari est velocitas fluctus. Sic in mundo est brevitas vite. Unde dicit Sap. [5,9]: *Transierunt omnia sicut umbre.* Item Job [14,5]: *Breves dies hominis sunt*. Bernardus: Certum est quod homo moritur, sed incertum est ubi vel quomodo vel quando. Idem: Mors non timet paupertatem neque divicias neque parcet senibus neque juvenibus. 3° in mari sepe est horribilis tempestas. Sic in mundo est magna tempestas diversarum temptacionum. Temptatur enim homo nunc a carne sua, nunc a mundo, nunc a diabolo, et quotiens tunc temptatur homo totiens ipse turbatur. Sed tunc homo submergitur in inferno, quando peccatis consentit. Unde Augustinus: Nullus securus debet esse in hac vita, que tota **[223v:]** temptacio nominatur. 4° in mari est diversitas periculorum. Sic in mundo sunt multa pericula. Unde Paulus [2.Cor. 11,26]: *Pericula fluminum*. Unde dicit Augustinus: Mundus est plenus periculis, quia de uno pervenitur ad aliud. Qui igitur vult ista pericula evadere, debet sequi Christum. Unde Jheronimus: Nihil est quod ita bene diaboli temptacionibus resistit sicut frequens cogitacio passionis Jhesu Christi.

Nota. Hic querit unus doctor quare Deus permittit, quod mali homines tamdiu vivunt super terram, et quod eis bene succedit. Respondit idem quod nullus est ita malus in mundo, quin aliquid bonum interdum ipse faciet, et propter illud modicum bonum Deus dat ei bona temporalia, ut in hiis habeat modica gaudia hujus mundi. Sed propter hanc vitam penam eternam habeat in inferno, exemplo de Lazaro et in isto divite.

Quare benedicitur sal ante aquam? Quia sal significat cordis contricionem et aqua criminis absolucionem. Sicut ergo contricio precedit absolucionem, ita benediccio salis precedit benediccionem aque.

Exemplum. Homo non exauditur in mortali peccato. Unde quidam juvenis oravit pro fratre suo defuncto multis annis, eleemosynas dedit, diversa limina sanctorum visitavit, multas oraciones faciebat. Hec omnia faciebat pro anima fratris sui, quod si esset in aliqua pena, liberabitur. Cum autem hoc fecisset xxxii annis, una nocte apparuit ei anima fratris sui dicens ei: Frater karissime, in vanum labores pro me. Tunc dixit ad fratrem suum: Ego scio quod es *in inferno*, ubi [Eccli. 41,7?] *nulla est*

*redempcio*. Frater respondit: Non sum. Sed si fuisses sine mortalibus peccatis, Deus primo anno exaudisset te et liberasset me propter bona opera. Si vis me liberare, confitere primo omnia peccata tua, et subito liberabor. Quod et fecit et missam fratri suo comparavit, et sic statim de pena purgatorii liberatus est

**[f. 224r is blank.]**

## De xv signis ante judicium[96]

Jheronimus autem in libris hebreorum invenit xv signa precedentia judicium. Sed utrum continue futura sunt aut interpolatim non expressit. Primum quod precedit judicium generale sunt signa terribilia. Prima die eregit se mare xl cubitis super altitudinem montium stans in loco suo quasi murus. 2ª die tamen descendit ut vix possit videri. 3ª die marine belue apparentes super mare dabunt mugitus usque ad celum, et earum mugitus solus Deus intelliget. 4ª die ardebit mare et aqua. 5ª arbores et herbe dabunt rorem sanguineum. In hac eciam quinta die, ut alii asserunt, omnia volatilia celi congregabuntur in campis, unumquodque genus in ordine suo, non gustantia nec bibentia, sed vicinum adventum judicis formidantia. 6ª ruent edificia. In hac eciam sexta die, ut dicitur, flumina ignea surgent ab occasu solis contra faciem firmamenti usque ad ortum concurrencia.

7ma petre ad invicem collidentur et in 4or partes scindentur, et unaque pars, ut dicitur, collidet alteram, nescietque homo sonum illum, sed tantum Deus. 8va fiet generalis terre motus, que adeo erit magnus, ut dicitur, quod nullus homo, nullum animal stare poterit, sed ad solum omnes prosternentur. Nona equabitur terra, et omnes montes et colles in pulverem redigentur. Decima exibunt homines de cavernis et ibunt velut amentes nec mutuo loqui poterint sibi. Undecima surgent ossa mortuorum et stabunt super sepulchra. Omnia enim sepulchra ab ortu solis usque ad occasum aperientur, ut inde mortui exire valeant. Duodecima cadent stelle, quia enim sidera erratica et stacionaria spergent ex se igneas comas, et iterum tunc valde generabuntur a suis. In hac eciam duodecima die dicitur quod omnia animalia venient ad

[96] The signs also f. 11v

campos mugentia non gustantia nec bibentia. 3[a]decima morientur viventes et cum mortuis resurgent. 4[a]decima ardebit celum et terra. 5[a] decima fiet celum novum et terra nova, et resurgent omnes homines.

Item secundum quod precedit judicium est ignis vehementissimus, qui quidem precedit faciem judicis. Illum enim ignem Dominus mittit primo propter mundi innovacionem. Purgabit enim et innovabit omnia elementa propter aque inundacionem. 2[o] propter hominum purgacionem, quia illis qui tunc vivi reperirentur, erit loco purgatorii. 3[o] splendor ad celum propter majorem dampnatorum cruciacionem. 4[o] propter majorem sanctorum illuminacionem. Nam secundum Basilium Deus facta mundi purgacione dividet calorem et splendorem, et totum calorem mittet ad regionem dampnatorum ut amplius crucientur, et totum splendorem ad regionem beatorum ut amplius jocundentur.

## Speculum humane salvacionis

Incipit speculum humane salvacionis in quo patet casus hominis et modus reparacionis. In hoc speculo potest homo considerare quam ob causam creator omnium decrevit hominem creare.

Potest eciam homo videre quomodo per diaboli fraudem sit dampnatus et quomodo per misericordiam Dei sit iterum reformatus. Lucifer erexit se contra creatorem suum, Deum eternum, et in ictu oculi de excelso celorum projectus est in infernum. Et ob hanc causam decrevit Deus humanum genus creare, ut per ipsum casum Luciferi et sociorum ejus possi t restaurare. Quapropter diabolus hoc invidens sibi insidiebatur, ut ad precepti transgressionem ipsum inducere nitebatur. Quoddam ergo genus serpentis diabolus elegit, qui tunc erectus gradiebatur et caput virgineum habebat. In hunc fraudolosus deceptor mille artifex intrabat et per os ejus loquens verba deceptoria mulieri enarrabat. Temptavit autem mulierem tamquam unus[?] providam reputans prudentem esse et tantum virum Adam. Accessit autem ad mulierem solam sine viro existentem, quia solum facilius decipit diabolus quam socios habentem. Decipit itaque diabolus matrem nostram Evam inducens super omne genus humanum mortem sevam.

Notandum autem quod vir in agro damasceno est formatus a Domino in paradisum voluptatis est translatus. Mulier autem in paradiso est formata et a costa viri dormientis est parata. Deus ipsam quodammodo supra virum honoravit, quia eam in loco voluptatis plasmavit. Non fecit eam sicut virum de limo terre, sed de osse nobilis viri Ade et de ejus carne. Non est facta a pede ne a viro despicetur, neque de capite ne supra virum dominaretur. Facta autem est de latere materiali et data est viro pro consorte et socia collaterali, que sibi in honore collata perstitisset, a viro numquam aliquam molestiam sustinuisset. Mulier enim credidit diabolo, non maritus, sed vir consensit mulieri licet invitus. Mulier instigavit virum ut secum de fructu manducaret, qui tantum dilexit eam ut comederet ne eam contristaret. Salomon propter amorem mulieris idola adoravit. Non tamen ea deos vel deum esse credebat. Sic Adam propter amorem mulieris secum comedebat, non tamen se similem Dei posse fieri estimavit. Aliud autem peccatum grande superaddebat eo, quod virum ad peccandum **[225v:]** valde attrahebat.

Licet ergo in textu biblie aperte non inveniatur, tamen certum est quod verbis blandis ei adulabatur. O vir, adverte qualis et quanta est fraus mulieris, cave tibi a muliere blanda ne defunderis. Respice Adam,

opus manuum Dei, et fortissimum Sampsonem. Respice David virum secundum cor Dei et sapientem Salomonem. Si tales et tantos decipit ars mulieris, quomodo tu, qui non es talis et tantus, a muliere secus eris? Virum Adam quem diabolus temptare non audebat, hunc mulier audacior diabolo defraudare presumebat. Diabolus itaque mulierem defraudabat, mulier vero virum et omnes posteros condempnabat.

Et si homo in mandato Dei perseverasset, numquam penam numquam mortem gustasset aliquam, nullam sustineret debilitatem vel egritudinem. Sine gemitu et dolore et tristicia matris portaretur, sine fletu et merore et labore gravi nasceretur. Non novisset luctum neque aliquam tribulacionem, non sustineret verecundiam neque aliquam confusionem. Aures ejus numquam obsurdescerent et mentes ejus numquam obstupescerent. Oculi ejus numquam caligarent et pedes ejus numquam claudicarent. Nec flumina nec fontes eum submersissent, nec ignis nec estus solis eum comburissent, nulla bestia nullus avis eum infestaret, nullus aer nulla aura eum molestaret, numquam homines inter se lites habuissent, sed tamquam fratres se mutuo dilexissent. Subjecta essent homini omnis terrena creatura, semper in gaudio viveret sine cura, et cum Deo creatori suo placuisset, cum corpore et anima in celum ipsum assumpsisset.

Nullus autem homo presumat investigare, cur Deus hominem, quem sciebat casurum, voluit creare. Cur eciam ipsos angelos creare volebat, quorum casum certissime precognoscebat. Et quare regis pharaonis voluit indurare cor aut Marie Magdalene ad penitenciam mollificare, quare Petro ter se neganti contricionem immisit, Judam autem in peccato suo desperare permisit. Quare uni latroni graciam conversionis inspiravit et socio suo similem graciam dare non curavit. Quare unum peccatorem trahit et alium non trahit, nullus quantumcunque prudens investigare presumat. Hec enim Dei opera et hiis similia humanis ingeniis sunt inscrutabilia. Hujusmodi questiones Paulus similiter solvere videtur [Rom. 9,18]: *Quem,* inquit, *vult, Deus indurat, et cui vult miseretur*.

Sequitur capitulum $2^m$ hujus libri totalis. **[226r:]** Quoniam modum redempcionis nostre scire desideramus, primo de annunciacione beate virginis Marie incipiamus. Cum enim ventura esset Christi incarnacio, necessarium enim erat ut precederet sue matris generacio. Que ut facilius et lucidius intelligitur, una parabola sive similitudo audiatur. Homo quidam in Jericho ad Jherusalem descendebat et in desertum veniens in

latrones incidebat, qui eum spoliaverunt et vulneraverunt et semivivum relinquentes abierunt. Venientes autem sacerdos et levita ipsum pertransibant, quia vulnera ipsius sanare nequiebant. Tandem samaritanus quidam illi appropinquabat et misericordia motus vulnera ejus sanabat, et nisi samaritanus iste advenisset numquam ille sanatus fuisset. In hac parabola genus humanum sive homo designatur, qui de paradiso voluptatis in hoc desertum ejiciebatur. Qui spoliatus est bonis gratis a Deo sibi datis vulneratus est vulnere perpetue mortalitatis. Qui multo tempore semivivus jacebat quia in anima mortuus erat, licet corpore vivebat, quem nec sacerdos nec levita sanare potuerunt, quia nec circumscisio nec penitencia hominem ad patriam reduxerunt.

Tandem samaritanus appropinquabat et sauciati vulnera misericorditer sanavit. Samaritanus custos interpretatur per quem Christus custos noster designatur, et nisi custos iste in hunc mundum venisset, numquam homo in vitam eternam introisset. Laudemus, benedicamus Dominum nostrum Jhesum Christum, qui venit in hunc mundum sanare semivivum istum. Cum autem filius Dei in hunc mundum venire satagebat, virginem de qua nasceretur premittere disponebat. Misit ergo angelum qui concepcionem ejus nunciavit et sanctificacionem ejus in utero et nomen pariter intimavit. Hec est beatissima virgo Maria, per quam venit huc sauciato sanacio pia, quam eciam Deus in multis figuris premonstravit et prophetarum oraculis multipliciter insinuavit.

Exemplum de nativitate Domini. Rex Astyages visionem mirabilem videbat, quod videlicet de utero filie sue vitis pulcherrima crescebat, que frondibus et foliis se amenissime dilatavit et fructum proferens **[226v:]** totum regnum suum obumbravit. Dictum est ei qualem interpretacionem hec visio gerit quod videlicet de filia sua rex magnus nasciturus erit. Hec filia post hoc regem Cyrum generavit, qui filios Israel de captivitate babilonica liberavit. Hec est literalis hujus visionis significacio, sed alia ejus mistica prefiguracio. Astyagi nunciatum est quod filia sua regem Cyrum generaret, Joachim nunciatum est quod filia regem Christum portaret. Cyrus rex liberavit judeos de captivitate babilonica, et rex Christus liberavit nos de captivitate diabolica. Filia ergo regis Astyagis prefiguravit Mariam, que protulit mundo vitem veram et piam. Benedicta ergo sis tu, o summi regis filia, flos cadens super omnia lilia. Benedicta sit tue concepcionis annunciacio per quam ortum nostre captivitatis liberacio habuit. Benedictus sit Deus pater qui te nobis destinavit. Benedictus sit Deus filius qui te matrem adoptavit. Benedictus sit spiritus

sanctus qui te in utero sanctificavit. Benedictus sit uterque parens qui te mundo generavit.

In precedenti capitulo audivimus quomodo Maria fuit concepta. Consequenter audiamus quomodo et quare virgo fuit desponsata. Quare Dominus matrem suam viro voluit desponsari? De hoc possunt octo raciones assignari. Primo ne per fornicacionem concepisse putaretur et tamquam fornicatrix in judicio condempnaretur. $2^{o}$ ut virgo viri adjutorio et ministerio frueretur et, quocunque pergeret, non solivaga et vana videretur. $3^{o}$ ne diabolus incarnacionem Christi investigaret, si virginem sine viro concepisse consideraret. $4^{o}$ ut Maria testem sue castitatis habere perhiberetur, quia plus marito suo quam alteri cuiquam crederetur. $5^{o}$ ut series genealogice caperetur et genealogica Christi a Joseph viro Marie perduceretur. Mos enim scripture est genealogicam ducere non ad uxores, sed tantummodo ad sponsas et mores. $6^{o}$ ut matrimonium sanctum esse approbaret et a nullo spernendum et incusandum demonstraret. $7^{mo}$ ut virginitatem in matrimonio servare doceret. $8^{vo}$ ne conjugati de salute sua desperarent et virgines tantum electas et se despectas cogitarent.

Omnem enim statum **[227r:]** et bene servatum Deus approbare veniebat, et ideo mater sua virgo et desponsata et vidua erat. Quamvis autem hii tres status sancti esse approbantur, tamen inter se magnam differenciam habere videntur. Matrimonium sanctum esse approbatur et bonum. Si tamen tempus, modus et intencio debite teneatur, melior est castitas vidualis. Sed optima et superexcellit mundicia virginalis. Nota autem licet viro in desponsacione jungeretur, tamen mente et carne in eternum virgo permansisse perhibetur. Et ipsa dicere potuit sicut Sara, Raguelis filia [Thob. 3,16]: *Mundam servavi animam meam ab omni concupiscencia.* Sara vii viris fuit desponsata et tamen intacta et virgo permansit.

Quanto magis potuit Maria unum sponsum habere et tamen virgo immaculata in eternum permanere. Si Saram custodivit a vii viris Asmodeus, quomodo a uno viro non custodiret matrem suam verus Deus. Quotiens Joseph matrem Domini aspiciebat splendorem quendam divinum ab ipsa procedere videbat et ideo numquam faciem ejus intueri audebat, nisi forte quando hoc aliunde casu aliquo accidebat. Thobias et Sara tribus noctibus castitatem servaverunt, Maria et Joseph toto tempore vite sue virgines permanserunt. Joseph virgo erat et de progenie David natus et divino nutu Marie tamquam custos associatus. Non quod Maria

ipsius custodia aliquantis indigeret, sed ut propter humanam suspicionem eum custodem haberet. Ipsa enim custodem verum et summum Deum habebat, qui eam ab omni incursione hostili custodiebat. Habuit enim igitur unum custodem celestem et alium terrestrem.

In precedenti capitulo audivimus Marie desponsacionem. Consequenter audiamus ipsius mirabilem impregnacionem. Cumque Maria in Jherusalem esset Joseph desponsata, ad domum parentum in Nazareth est revocata. Interim autem quod Joseph necessariis nupciarum intendebat, ipso nesciente Maria per spiritum sanctum concipiebat. Non est suspicandum quod angelus invenit eam sine clausura. Ipsa non tamquam Dina sola **[227v:]** curiose divagabatur, nec tamquam Thamar cum viro familiariter conversabatur. Ipsa enim tamquam Sara filia Raguelis numquam virum desideravit, et tamquam Judith solitaria manens jejuniis et oracionibus vacabat. Ideo Joseph eam gravidam considerans stupebat et timens ac tremens hec apud se in mente revolvebat. Impossibile est hanc per fornicacionem concepisse, quam constat tam sancte, tam caste, tam abstinenter semper vixisse. Non erat comesatrix, non potatrix, nec deliciosa, nec coronatrix, nec saltatrix, nec jocosa. Publica loca semper vitabat, solitariam vitam et contemplativam amplexabatur et diligebat.

Omnia mundana solacia et gaudia aspernabatur, tantummodo in rebus divinis et celestibus delectabatur. A puericia in templo Domini remanebat, ubi tamen nullus virorum aliud congrue habebat. Et nunc postquam ad domum parentum repatriavit, semper in cubiculo clauso in oracionibus perseveravit. Unde igitur potuit concepisse gravidacionem hanc, que numquam dedit peccato occasionem.

Forsan in ea nunc impletum est illud Isaie vaticinium [Is. 7,14]: *Ecce virgo concipiet et pariet filium.* Hec est forte illa de semine Jacob puella, quam olim spiritus sanctus prenunciavit in stella per os Balaam, in quo spiritus sanctus insinuare volebat, quod filius Dei de virgine nasci debebat. Hec virgo potest forsan illa florifera virga esse, que vaticinabatur egressura de radice Jesse. Forsan hec virgo, de qua Christus nasceretur, qui de semine David filii Jesse nasciturus perhibetur. Aliud autem de hac sanctissima virgine nequaquam estimari potest. Idcirco certissimum est quod ipsa mater Christi est. Non sum ergo ego dignus cum tali virgine habitare, quapropter expedit mihi a complecione nupciarum cessare. Et ne forte aliqua sinistra suspicacio oriatur in populo, oportet ut occulte et dimittatur valde caute. Joseph indignum se

reputans cum Maria timuit habitare, sicut Johannes qui non fuit ausus Christum baptizare. Centurio rogavit Christum ne sub tectum suum introiret. Petrus rogavit eum ut de navi sua exiret. Mulier Sulamithis timuit cohabitacionem Helie, sic **[228r:]** Joseph timuit cohabitacionem Marie. Cum autem Joseph Mariam acciperet, trepidabat, missus est angelus Domini, qui mentem ejus solidaret, qui dixit ei virginem dimittandam non esse, et non ab homine, sed a spiritu sancto concepisse.

In precedenti capitulo audivimus de Christi concepcione. Consequenter audiamus de ipsius humana generacione. Hanc generacionem non solum angeli venire desiderabant, sed et patres sancti desideranter exspectabant et clamabant [Is. 16,1]: *Emitte agnum tuum, Domine, dominatorem terre.* [Ps.42,3]: *Emitte lucem tuam et veritatem tuam, Deus eterne.* [Ps. 79,4:] *Ostende nobis faciem tuam, et salvi erimus.* Ostende filium tuum quem exspectamus et querimus, disrumpet celum et descendet et nos de captivitate diaboli eripet. [Ps. 143,5:] *Domine, inclina celos tuos et descende ad liberandum nos.* Brachium tue majestatis extende. [Ps. 24,6:] *Reminiscere misericordiarum tuarum antiquarum. Veni et eripe nos* de potestate tenebrarum. Veni, Domine, ut prophete tui fideles inveniantur, et promissiones tue et figure compleantur. Veni, Domine, cito, festina et noli tardare, relaxa facinora plebis tue et incarnare. Nullus homo, nullus angelus sufficit nos liberare. Libera nos, pie Domine, qui dignatus es nos creare. Misertus ergo pius Deus assumpsit humanitatem, ut destrueret hominis diuturnam captivitatem. Qui olim dixit: captivum liberaret hominem.

Non solum autem Christus ortum suum judeis demonstravit, sed eciam paganis patefacere non recusavit. Non enim propter judeos tantum in mundum venire volebat, sed omnes homines salvos facere cupiebat. Circa idem tempus Octavianus toti orbi dominabatur, et ideo a romanis tamquam deum habebatur sive reputabatur. Ipse autem Sybillam prophetissam consulebat, si in mundo aliquis [major se] futurus erat. Eodem die quando Christus in Judea nascebatur, Sybilla circulum aureum juxta solem contemplabatur. In circulo illo virgo pulchra residebat, que puerum speciosissimum in gremio gerebat. Quid isto Octaviano cesari monstravit et regem potentiorem ipso natum esse intimavit. O quam potens **[228v:]** est rex regum et Dominus dominorum, qui humanum genus liberavit de captivitate demoniorum. Potenciam hujus regis Augustus cesar formidabat, et ab hominibus deum vocari et

reputari recusabat. O bone Jhesu, da nobis ita tuam honorare nativitatem, ut non iterato incidamus in diabolicam captivitatem.

In precedenti capitulo audivimus de Christi generacione. Consequenter audiamus de magorum oblacione. Eodem die cum in Judea Christus natus esset, ortus ejus tribus magis in Oriente est nunciatus. Viderunt namque stellam novam in qua puer apparebat. Super caput ejus aurea crux splendebat. Audierunt vocem quandam dicentem: Ite in Judeam et novum regem invenietis natum ibi. Tres igitur isti festinanter in Judeam pergebant et regi celi nato sua munera offerebant. Hii tres magi per $3^s$ robustas profigurati fuerint, qui regi David aquam de cisterna Bethlehem attulerunt. Istorum robustorum virtus et audacia multum commendatur. Sic magorum adventus et oblacio multum approbatur. Tres robusti exercitum inimicorum non timuerunt, sed viriliter castrum eorum transeuntes aquam hauserunt. Sic tres magi penam Herodis regis non formidaverunt, sed audacter Judeam intrantes de novo rege interrogaverunt. Jaspar, Melchior et Balthazar sunt nomina magorum. Abisai, Banaias et Sabakai sunt nomina robustorum.

Isti tres robusti perrexerunt in Bethlehem pro aqua cisterne, tres magi venerunt Bethlehem pro aqua gracie eterne. Tres robusti hauserunt aquam de cisterna terrestri, tres magi susceperunt aquam gracie de pincerna celesti. Figurabat ergo ista Bethlehemita cisterna, quod in Bethlehem nasciturus erat iste celestis pincerna, qui propinaret aquam gracie omni sitienti et daret aquam gratis omni precium non habenti. David ergo aquam allatam Deo pro graciarum accione offerebat, gaudens et exultans, quod tam robustos viros habebat. **[229r:]** Christus autem rex celi et terre gaudebat et exultabat, quia adventus magorum conversionem gentium prefigurabat. David rex sitisse videtur non aquam, sed suorum virtutem. Christus perhibetur sitisse nostram salutem et conversionem. Tres robusti Bethlehem brevi hora perrexerunt. Tres magi de Oriente brevi tempore pervenerunt. Si queritur quare tantum spacium tam cito poterant transmeare, dicendum quod Christo nato non erat impossibile hoc dare, qui eciam duxit subito Habacuck de Judea in Babilonem, cito perducere potuit magos de Oriente in judeorum regionem. Venientes igitur magi Bethlehem coram puero gaudebant, aurum, thus et mirram ei offerebant.

In precedenti capitulo audivimus quomodo Christus a magis fuit adoratus. Consequenter audiamus quomodo in templo sit Domino

presentatus. XI[a] die post Christi nativitatem peregit beata virgo purificacionis sue solempnitatem, sed ipsa non habuit necesse de purificacione, quia concepit filium sine viri commixtione. Voluit tamen purificacionem peragere, ut ritum legis sequeretur, ne privaricatrix legis esse judicaretur. Privaricatrix legis nequaquam erat, quia omnia, que legis erant, diligentissime tenebat. Quapropter ipsa pulchre prefigurata est in candelabro aureo, quod lucebat israelitis in templo Domini. Super quod lampades ardentes stabant, que septem opera misericordie in Maria prefigurabant. Que sunt ista: Cibare esurientem, potare sitientem, vestire nudum, colligere hospitem hospicium non habentem, infirmos visitare, vinctis compati vel liberare, mortuos sepelire et necessaria funeralia ministrare.

Nullus dubitet opera misericordie in Maria plenarie fuisse, quam constat matrem pietatis et reginam misericordie semper misericordie, mater misericordie exstitisse. Quomodo mater totius misericordie non impleret ? Quomodo candelabrum divino igne accensum non luceret? Ipsa enim est candelabrum, et ipsa est lucerna. **[229v:]** Ipsa est lucis lampas ardens, accensa luce superna. Ipsa tota splendens est et luminosa. Ipsa aurora rutilans et tamquam solis radiosa. Ipsa lucet et resplendet super omnia astra celorum. Ipsa est luna hujus noctis et hujus mundi et angelorum. Hoc candelabrum et ejus candelam honoramus, quando in festo purificacionis accensas candelas bajulamus. Maria enim Deo candelam in sua purificacione offerebat, quando Simeon lumen ad revelacionem concinebat. Christus Marie filius accensa est candela propter triplicem materiam, que invenitur in eo: Sunt enim in candela ignis, licnus et cera, et in Christo erat caro, anima et divinitas vera. Hec candela Deo pro humano genere est oblata, per quam nox tenebrarum nostrarum est illuminata.

In precedenti capitulo audivimus quomodo Christus est oblatus. Consequenter audiamus quomodo in Egyptum est fugiatus. Cumque rex Herodes quereret occidere puerum Christum, Joseph premonitus ab angelo fugit in Egyptum cum eo. Statim quando Christus et mater ejus cum Joseph Egyptum intraverunt, omnia idola Egypti et statue corruerunt. Et hoc quondam Jeremias egyptiis prophetaverat, quando in Egyptum per captivitatem adductus fuerat, quoniam quando egyptii sanctum prophetam esse audivissent, sciscitabantur ab eo si aliqua mirabilia in Egypto futura essent. Qui dixit eis quod in futuro quedam virgo esset paritura, et tunc omnes dii et idola Egypti essent corruitura.

Egyptii ergo istum puerum potentiorem diis suis indicaverunt, et qualem sibi reverenciam exhiberent inter se tractaverunt. Imaginem ergo virginis cum puero pulcherrimo sculpebant et sibi divinos honores juxta suum modum exhibebant. Interrogati postea a Ptolemeo, cur hoc agerent, dixerunt quod talem propheciam adhuc implendam expectarent. Hec autem prophecia, quam predixerat iste sanctus propheta, modo quando Christus cum matre sua intravit Egyptum est impleta. Nam omnia idola Egypti et statue corruerunt, et virginem, sicut predictum est, peperisse indicaverunt.

Illud eciam prefiguratum habemus in pharaone. Rex enim pharao Egypti coronam regalem habebat, in qua imago Dei **[230r:]** sui Hammonis artificialiter sculpta erat. Vaticinatum erat egyptiis quod de judeis quis nasceretur, per quem populus judaicus liberaretur et egypticus destrueretur. Precepit ergo pharao ut judei pueros suos in flumine projicerent, ut sic illum, quem timebant, pariter interjicerent. Amra et Jochabee decreverunt se ab invicem separari, quia mallent carere liberis quam ad necem procreare. Receperunt autem responsum a Deo ut simul habitarent, quia puerum, quem egyptii timebant, ipsi generarent. Concepit ergo Jochabee et peperit pulchrum puerum et abscondit eum tribus mensibus intra suum domicilium. Cumque diutius eum occultare non valebat, in ficellam eum recludens in flumine exponebat. Eadem hora filia pharaonis secum fluvium deambulabat, et puerum ipsum inveniens sibi in filium adoptavit, quem ista Moisem vocans educari fecit et postea regi pharaoni patri suo fecit presentari. Cui pharao alludens coronam suam imponebat, quam iste projiciens ad terram penitus confregebat.

Quod videns quidam pontifex idolorum exclamavit: Hic est puer, quem nobis occidendum dominus deus monstravit. Cumque evaginato gladio ipsum occidere voluisset, dixerunt quidam quod puer hoc ex insipiencia fecisset. In ejus rei argumentum carbones sibi vivas offerebant, de quibus puer nutu Dei in os suum projiciebat. Salvatus est ergo Moises nutu Dei et vixit et procedente tempore judeos de egyptiatica servitute eduxit. Ea que hic narrata sunt de puero isto figuraliter pariter conveniunt puero Jhesu Christo. Rex ergo pharao pueros suos submergi coegit et, ut puerum Moisem pariter submergerent satagebat. Ita rex Herodes omnes pueros Bethlehem occidi mandavit, quia puerum Jhesum pariter cum eis occidere affectabat. Moises salvatus est nutu Dei a nece pharaonis, sic Christus salvatus est nutu Dei de gladio Herodis. Moises natus est ut filios Israel **[230v:]** educeret de

Egypto, Christus homo factus est ut nos de inferno eriperet. Moises coronam pharaonis regis Egypti confregit, Christus omnia idola Egypti et deos eorum ad nihilum redegit.

In precedenti capitulo audivimus quomodo Christus in Egyptum est fugatus. Consequenter audiamus quomodo a Johanne in Jordani est baptizatus. Cumque Christus tricesimum sue etatis annum inchoaret, venit ad Johannem, ut eum in Jordani baptizaret. Christus autem filius Dei vivi baptismo non indigebat, sed pro salute generis humani baptizari volebat. Et videlicet tactu sui corporis sacri aquis hanc virtutem daret, ut homo in eis baptizatus et mundatus regnum celorum intraret. Istud eciam quondam prefiguratum fuit in Namaan syro, qui leprosus erat et mundatus est in Jordani miro modo. Namaan erat gentilis et ignorabat Deum et tamen venit pro cura ad prophetam Helizeum. Ad jussum autem Helizei septies in Jordani lavabatur et sic ab omni lepra sua mundabatur. Helizeus per septenam aque locionem Jordanis prefiguravit septem mortalium peccatorum in baptismo ablucionem. Caro Namaan per Jordanem facta est ut caro pueri parvuli. Ita peccatores per baptismum efficiuntur mundi ut pueri, et si statim antequam peccarent, morerentur, sine omni impedimento regnum celorum ingrederentur. Et hoc invenitur in eo, quod celum apertum est super Christum, quando suscepit in aqua Jordanis a Johanne baptismum. Quicunque ergo regnum celorum intrare voluerit, non intrabit nisi prius, ut est predictum, baptizatus fuerit.

In precedenti capitulo audivimus quomodo Christus fuit a Johanne baptizatus. Consequenter audiamus quomodo a diabolo [ad] superbiam et accidiam fuit tripliciter temptatus. Post baptismum ductus est Jhesus in desertum a spiritu sc. Jhesus intravit desertum ex instinctu spiritus sancti. Non est intelligendum quod duxit eum per aerem sicut angelus Habacuck prophetam in Babilonem. Sed eciam nec diabolus eum duxit supra templum, quod ut facilius intelligatur, videamus per exemplum. Hoc verbum duxit non omni tempore ponitur pro bajulare. Aliquando solet signare introduccionem vel ducatum. Moises duxit filios Israel de Egypto. Non ergo sequitur, quod bajulavit eos in dorso. **[231r:]** Sed diabolus Christum non per aerem ducendo bajulavit, sed in forma hominis apparuit et verbis blandis secum ire persuasit. Christus autem qui propter nos temptaciones sustinere volebat, sibi consensit et secum templum et montes ascendit. Voluit autem Christus temptari pro nostra instruccione, ut ostenderet posse neminem vivere in hoc mundo sine

temptacione. Si enim Christus filius Dei vivi a diabolo temptari voluit, nullus dubitet quin sine temptacione vivere possit. Et si forsan homo ab una temptacione liberatur, statim sibi alia a demonibus preparatur. Quapropter Christus non temptatus ab uno tantum vicio sed ab tribus, quia demones temptant nos viciis multiplicibus.

Et si Deus hominibus suam custodiam et angelorum non dedisset, nullus homo temptaciones demonum evadere posset. Nam sicut radius solis plenus esse videtur pulveribus, pulveribus temptacionibus ita mundus iste plenus est demonibus. Et ideo si aliquem per temptaciones cecidisse videmus, ex intimo corde sibi compati debemus. Non statim debemus condempnare vel publicare, sed pro posse peccatum ejus occultare et excusare. Notandum quod temptator proposuit Christo tria vicia, que sunt gula, superbia, accidia. Cumque xl[a] diebus et xl[a] noctibus jejunasset suspicatus est Sathanas, quod famelitus esset. Solet autem diabolus hominem temptare per tale peccatum, ad quod videret eum vel antumat magis inclinatum. Cum autem Christum famelitum antumaret, cogitabat apud se, ut de gula eum temptaret. Temptator primo hominem per gulam invadit, quia crassatus citius quam abstinens in peccatum cadit. Quapropter primos parentes de gula temptabat et ad comedendum fructum prohibitum instigabat. Christus ergo diabolum in temptacione gule superavit.

In precedenti capitulo audivimus quomodo diabolus Christum temptavit. Consequenter audiamus quomodo Mariam Magdalenam curavit. Cumque Jhesus tricesimum annum inciperet, a Johanne est baptizatus, et statim post baptismum a diabolo est temptatus. Postea cepit ipse populum baptizare et predicare exemplo et doctrina viam salutis monstrare. In principio **[231v:]** sue predicacionis emisit hunc dulcem sonum [Mat. 3,2]: *Penitenciam agite, appropinquat enim regnum celorum.* Per penitenciam predicavit regni celestis apercionem. Ante adventum suum numquam audivit homo talem sermonem. Fidelis sermo et omni accepcione dignus, per penitenciam meriturus regnum celorum peccator malignus. Istud apparuit in peccatrice magna, que septem demoniis sc. mortalibus peccatis plena, que tamen ejecta sunt ab ea per penitenciam et contricionem. Et ipsa misericorditer consecuta est Dei clemenciam. Nullus ergo peccator de clemencia Dei debet desperare. Presto est Deus cunctis penitentibus debita relaxare. Insuper penitentes ad regnum celorum revocat, quod ante adventum Christi nulli fieri poterat.

Et istud olim Deus per regem Manassem prefiguravit, quem propter penitenciam de captivitate in regnum revocavit. Manasses infinitis peccatis offendebat Deum, prophetas suos occidens et nihil reputans enim tot prophetas ipsum arguentes cruciavit. Qui plateas Jherusalem sanguine prophetarum purpuravit.

Secundum prophetam Isaiam, qui ipse de sceleribus suis redarguit, cum sacra lignea per medium dissecari fecit. Tandem post multa ab hostibus suis est captivatus, in exilium deductus, carceri deputatus. Cumque esset in carcere, cepit penitenciam habere et ex toto corde perpetrata scelera deflere, oravitque Dominum profusis lacrimis amaris. Peccavi, inquit, Domine, super numerum arene maris, et jam non sum dignus videre altitudinem celi propter multitudinem iniquitatum mearum. Iram tuam, clementissime Deus, irritavi et malum coram te feci et illicita perpetravi. Misertus Dominus ostendit ei clemenciam suam et misericorditer accepit ipsius penitenciam. Nam de carcere et de captivitate ipsum liberavit et in regnum suum in Jherusalem revocavit. Per hunc Manassem peccator designatur, qui sine timore peccat, Deum non curare probatur, prophetas Domini ipsum arguentes cruciat, quando predicatores et doctores audire recusat, et tamdiu talis peccator perseverat in peccato mortali, tamdiu probatur esse in captivitate diaboli. Si autem ex toto corde suo egerit penitenciam, Dominus paratus sibi succurrere per suam clemenciam.

**[232r:]** In precedenti capitulo audivimus quomodo conversio sancte Marie Magdalene est facta. Consequenter audiamus que circa Christum in die palmarum sunt peracta. In ista die specialiter tria notabilia contigerunt, que olim per tres figuras premonstrata fuerunt. Videns autem Jhesus civitatem Jherusalem flevit, cum laudibus susceptus fuit, mercantes de templo ejecit. Primo notandum quod Jhesus videns civitatem flebat, lamentacio Jheremie compatiens civitati de miseria, que illi imminebat. Iste fletus Domini nostri salvatoris jam pretaxatus fuit olim in lamentacionibus Jeremie prefiguratus, qui deflebat desolacionem Jherusalem factam per babilonios. Ita Jhesus deflevit desolacionem ejus futuram per romanos. Sic et nos exemplo Christi compassione flere debemus, quando propter proximos nostros afflictos vel affligentes videmus. Plus est compati afflicto quam temporalia bona erogare, quia compatiens afflicto videtur aliquid de seipso sibi dare. Compati debemus tam malefactoribus quam nostris amicis exemplo Christi, qui compatiens

fuit inimicis. Impossibile est istam misericordiam Dei et graciam non mereri, qui scit afflictis compati ex corde et misereri.

2º notandum est quod populus Christo cum laudibus obviavit, et hoc olim prefiguratum est per regem David, cui populus post necem Golie cum laudibus obviavit et canticum laudis in honorem ipsius decantabat, in quo cantico ipsum David regi Sauli preferebant, quia Sauli mille et David decem milia attribuebant. David prefigurabat Dominum nostrum Jhesum Christum, qui Goliam sc. diabolum adversarium nostrum superavit. Iste verus David sc. Christus in die palmarum honoratus fuit multipliciter in occursum turbarum. Quidam Ossianna filio David sibi acclamabant, quia benedictus qui venit in nomine Domini, personabat. Quidam eum regem Israel asserebant, quidam eum salvatorem mundi concinebant. Quidam cum floribus, quidam cum palmis occurrebant, quidam vestimenta sua in via prosternebant.

Mistice **[232v:]** Jherusalem visio pacis interpretatur, per quam fidelis anima spiritualiter designatur. Ad hanc salvator noster omni hora paratus est venire, et nos ei in occursum per contricionem ire debemus. Laudes Domino clamosis vocibus decantamus, quando in confessione peccata nostra cum gemitibus recitamus. Ramos palmarum ad laudem Domini manibus portamus, quando corpora nostra in satisfaccione castigamus. Vestimenta nostra in via ad honorem Dei prosternimus, quando temporalia nostra erogamus Christi pauperibus. Cum floribus Deo occurramus et honoramus, quando misericordie operibus et diversis virtutibus nos ornamus. Jhesum Christum, qui venit in nomine Domini, benedicamus, quando pro beneficiis nobis devote sibi grates dicimus. Regem eum et Dominum nostrum esse protestamur, si omnia opera nostra cum timore Dei et reverencia operamur.

In precedenti capitulo audivimus de die palmarum. Consequenter audiamus de ultima cena et sacramento eucaristie. Appropinquante tempore quo Christus voluit subire passionem, decrevit pro memoriali perpetuo instituere sacramenti communionem, et ut nobis suam dulcissimam dileccionem demonstraret, placuit sibi ut seipsum nobis in cibum daret. Istud olim in manna celi prefiguratum fuit, quod filiis Israel in deserto de celo est donatum. Magna dileccione Dominus judeis videtur exhibuisse, sed infinities magis perhibetur nobis contulisse. Dedit tantum judeis manna, panem videlicet materialem et temporalem. Nobis autem contulit panem supersubstancialem et eternum. Manna dicebatur panis celi, numquam tamen fuit in celo vero, sed creatum erat a Domino

in aere sive in celo aereo. Christus autem salvator noster est panis verus et vivus, qui de vero celo descendens factus est nobis cibus. Judeis ergo Deus solummodo figuram veri panis tribuit, nobis autem non figuram sed veritatem veri panis contulit.

Notandum autem quod multa fuerunt in manna celi figuraliter premonstrata, que in sacra eucaristia veraciter sunt consummata. Manna celi valde mirabilis nature esse videbatur, quia in radio solis liquefiebat et ad ignem indurabatur. Ita eucaristia in cordibus vanis evanescit et liquefit, in cordibus ignitis perdurat et abscedere nescit. Mali autem sumunt eucaristiam ad sui dampnacionem, boni autem ad divinam et perpetuam consolacionem. Cumque descenderet manna, descendebat simul et ros celi, per quod **[233r:]** innuitur quod dignis in sacramento eucaristie simul confertur gracia Dei. Manna erat album et ad modum nimis candidum, per quod innuitur quod communicans debet habere cor purum et mundum. Manna habuit in se delectamentum cibi videlicet terrestris, sed eucaristia habet in se delectamentum cibi celestis.

Hoc autem delectamentum non sentitur quia in sacramenti masticacione, sed in sanctis meditacionibus et celesti contemplacione gustus manne in omnem saporem, prout quilibet desiderabat, convertebatur. Sed dulcedini Christi nullus sapor hujus mundi assimilatur. Qui de hac dulcedine semel gustaverit, perfecte omne delectamentum hujus seculi totius absintium reputaret. Petrus de ista dulcedine in monte Thabor gustaverat, statim tabernacula facere et semper ibi manere affectabat. Precepit autem Moises populo ut mane ante ortu solis exirent et singuli pro isto die sibi unum gomor habuerunt. Similiter et illi, qui plenam mensuram colligere non potuerunt, cum ad propria redirent, plenam mensuram invenerunt. Sic communicans qui plures hostias receperit, non plus habet quam ille qui tantum unam accepit. Similiter et iste qui particulam hostie sumpserit, non minus habet quam ille qui integrum vel plures sumpserit. Cena autem Domini prefigurata fuit in agno paschali, qui feria quinta ante parasceve a judeis solebat manducari.

Hunc Dominus primo precepit filiis Israel manducare, quando decrevit eos de egyptiatica captivitate liberare. Ita Christus sacramentum eucaristie tunc primum instituit, quando nos de diabolica potestate eripere voluit. Quando filii Israel agnum paschalem manducebant, succincti erant, baculos in manibus tenebant et stabant. Ita communicantes debent esse succincti per mentis et corporis castitatem et tenere baculos in manibus per recte fidei firmitatem. Debent eciam erecti

stare in bona vita quam inchoaverunt, et non iterum se reponere in luto de quo jam surrexerunt. Agnus comedebatur cum lactucis agersitibus, que sunt amare, et nos debemus corpus Domini cum amara contricione manducare. Qui manducabant agnum, tenebantur pedes suos calceari. Per pedes solet sacra scriptura desideria designare. Communicantes ergo pedes suos calceari tenentur cavendo, ne desideria ipsorum sorde aliqua maculentur. Agnus paschalis non fuit coctus aqua, sed assatus igne. Et communicans debet esse ignitus caritate, ut manducet digne.

**[233v:]**In precedenti capitulo audivimus quomodo eucaristiam Christus instituerat. Consequenter audiamus quomodo hostibus occurrens ipsos prostravit. Cumque Judas cum aliis discipulis percepisset sacram communionem, abiit ut faceret hostium Christi congregacionem. O quanta erat Christi benignitas et clemencia, o quanta erat Jude malignitas et demencia. Christus eum sacramentum corporis et sanguinis sui cibavit, et ipse de tradicione illius in corde tractavit. Christus sciens omnia noluit eum prodere nec sacramentum sibi negare, in quo voluit sacerdotibus formam communicandi dare. Sacerdos sciens aliquem cum mortali peccato ad communionem accedere, ne debet sibi negare ne videatur eum prodere. Igitur abiit Judas ut inimicos Christi congregaret, aut ivit ad locum quem sciebat Judas, ut eum ibi exspectaret. Venerunt ergo armati cum gladiis et fascibus querentes eum in tenebris cum laternis et fascibus. Jhesus autem usque in occursum eorum ivit et, quem quererent, cum omni mansuetudine quesivit. Illi autem tamquam gigantes contra eum steterunt, et ut Jhesum Nazarenum quererent, responderunt. Jhesus autem mitissimum et dulcissimum dabat illis responsum dicens humili voce et benigno animo: Ego sum. Quo audito omnes retrorsum abierunt, et tamquam mortui coram eo in terram ceciderunt.

O dementissimi judei, quid prodest vobis tanta multitudo, qui viriliter jacetis prostrati mitissimo verbo uno? Quid prosunt vobis vestra multa et diversa consilia, quorum prostrata sunt sub uno verbo tanta milia? Quid vobis prodest armatura vestra tam terribilis, que uno verbo perterrita perhibetur esse inutilis? Nonne videtis Christum solum potentiorem vobis omnibus, et si vellet, vos omnes interficere posset. Immo posset precipere terram sub pedibus vestris aperiri et vos omnes tamquam Dathan et Abiron deglutiri, vel posset super vos ignem vel sulphur pluere et tamquam Sodomam et Gomorram consumere, vel posset per aquam celi omnes vos delere, sicut olim delevit totum

mundum fere. Vel posset vos tamquam uxorem Loth in lapidem mutare, vel tamquam egiptios diversis plagis molestare, vel posset vos omnes convertere in pulverem cineris sicut exercitum Sinnagrip centum octoginta quinque milia hominum. Vel posset vos interficere per subitaneam mortem, sicut olim interfecit filios Jude Her et Onan. Vel posset vos omnes interficere per gladium angelicum, sicut David **[234r:]** occidit maximum populum. Vel posset vos omnes in potestate diaboli dare, sicut temporibus Thobie dedit septem viros Sare. Vel posset super vos omnes ignem mittere, qui consumeret vos, sicut olim fecit in Thare. Vel posset mittere in vos omnes ignitos serpentes sicut olim in predecessores vestros sibi contradicentes. Vel posset vos disterpere per immissos leones, sicut olim in Samaria regem Salmanasar. Vel posset vos dilacerare per rapidorum ursorum dentes, sicut olim xl[a] pueros Helizeum deridentes. Omnia hec et similia posset si vellet, se defendere potuit, sed non vult nisi ad modicum vos prosternere. Hoc autem facit, ut ostendat se voluntarie sustinere mortem, et si vellet resistere, non possetis ipsum capere, nec tenere. Cum igitur Christus ostendisset suam victoriam et potenciam, dedit eis resurgendi et se capiendi licenciam.

In precedenti capitulo audivimus quomodo Christus hostes suos prostravit. Consequenter audiamus quomodo Judas eum in dolo salutavit. Judas traditor salvatoris nostri dedit judeis osculi signum, quod iniquum supra modo erat, nimis malignum. Osculum semper consuevit esse signum dileccionis, hoc iniquus Judas permutavit in signum tradicionis. Ista iniqua salutacio que in Christo tam dolose fuit perpetrata, olim fuit in Joab et Samasa prefigurata, salutans dolamente fratrem vocabat, et Judas Christum salutans iniqua intencione magistrum appellabat. Joab dextram manum Samase quasi osculans tenebat et sinistra gladium educens ipsum perimebat. Sic Judas quasi dextram videtur Christi tenuisse, quia legitur sibi Ave rabbi blande dixisse. Sinistra vero videtur gladium eduxisse et Christum perforasse, quia legitur sibi insidias sub blandis verbis occultasse.

O Juda, que causa est, quod salvatorem tuum tradidisti? Quid enim tibi male fecit, quod sic adversus eum agere voluisti? Ipse tibi impendebat apostolicum honorem et dignitatem, et quare exercuisti contra eum **[234v:]** tantam maliciam? Ipse te super septuaginta discipulos duos in apostolum elegit, et tu exhibuisti te sibi pre omnibus falsissimum. Ipse connumeravit te inter suos specialissimos duodecim amicos, et tu dereliquisti eum et accessisti ad suos inimicos. Ipse te

assumpsit ad sua secreta cum aliis suis apostolis, et tu inivisti secreta consilia contra eum cum suis hostibus. Ipse te sine pecunia et sine sacculo ad predicandum misit, et quocunque veniebas, ipso providente nihil tibi defuit. Tu autem nunc, heu immemor talis et tante providencie, venis eum tradere pro modica quantitate pecunie. Ipse tibi contulit auctoritatem infirmos curare, et tu cogitasti ut infirmum faceres et ligares. Ipse dedit tibi potestatem super ejeccionem demoniorum, et tradidisti eum in potestatem inimicorum.

Ipse fecit te suum bursiferum et procuratorem, et tu fecisti te suum adversarium et traditorem. Ipse te constituit super suam et super suorum pecuniam sibi et suis per modum eleemosyne collatam. Tu ad libitum tuum ea uti potuisti. Cur ergo Dominum tuum pro modica pecunia vendidisti? Tu furaberis ex loculis Domini tui quantum volebas. Cur ergo eum pro triginta denariis vendebas? Ipse te dignatus est suo sanctissimo corpore cibare, et tu non es veritus suum corpus judeis in mortem dare. Ipse te poterat nectare sui sanctissimi sanguinis, et tu non timuisti ejus sanguinem fundendum tradere. Ipse non verecundebatur tibi ministrare et pedes tuos lavare, et tu non verecundeberis eum tam fraudulenter salutare. Ipse tibi mellifluum suum os ad osculandum non negavit, et tamen cor tuum in malicia perseveravit. Cumque eum in dolo salutares, ipse te vocavit amicum, et tamen non mutatum ab incepto cor tuum iniquum. Ipse tradicionem tuam prodere noluit. Petro et apostolis aliis prodere noluit, quia scivit quod te occidissent. Hoc precavere voluit. In veteri lege scriptum erat: Dentem pro dente, oculum pro oculo. Numquam tamen licitum erat malum reddere pro bono. Sed tu, iniquissime Juda, malum pro bono reddidisti, quia talem benefactorem tradidisti. Similiter et complices tui judei malum pro bono reddiderunt, quia salvatorem suum in ligno suspenderunt.

**[235r:]** In precedenti capitulo audivimus quomodo Christus fuit traditus et osculatus. Consequenter audiamus quomodo fuit derisus, consputus et velatus. Cumque cohors Christum comprehenderet et ligaret, contigit ut Petrus cuidam servo auriculam amputavit. Statim ibidem Jhesus benignitatem suam demonstrabat et auriculam ejus tangens subito sanavit. Duxerunt autem eum primo ad domum Anne, qui erat socer summi pontificis, videlicet Caiphe. Cumque Annas Christum de sua doctrina interrogaret, respondit quod ab hiis, qui eum audierunt, investigaret. Ipse enim in angulis docere non solebat, sed in templo vel in synagoga, ubi totus populus conveniebat. Statim unus servorum

manum suam levavit et sibi alapham maximam in maxilla dabat. Iste creditur fuisse iste servus sc. Malchus, cujus auriculam modicum antea sanabat Christus. Christus autem non se vindicabat nec repercutiebat, sed cum omni mansuetudine humiliter sustinebat. O fratres, si alius vestrorum talem alapham suscepisset, et si posset quod Christus potuit, quid fecisset? Forsan cum Petro evaginato gladio repercussisset vel cum Jacob et Johanne ignem de celo super eum misisset. Non sic faciendum est, fratres, sed attendite Christi doctrinam [Mat. 5,39]: *Qui te percusserit in unam maxillam, prebe ei et reliquam.*

Duxerunt ergo judei Jhesum ligatum de domo Anne et perduxerunt eum multis contumeliis ad domum Caiphe. Ibi congregati fuerunt seniores populi ut consilium inirent, quomodo contra Jhesum casum mortis et occasionem invenirent. Omnia autem, que adversus eum fingere potuerunt, insufficientia et omni modo mendosa fuerunt. Tandem adjuravit eum Caiphas per Deum ut eis diceret, si ipse esset Christus filius Dei vivi. Cumque adjuratus se filium Dei esse fateretur, responderunt omnes quod merito propter hoc morti adjudicaretur. Velaverunt ergo oculos ejus quodam velamine et maculaverunt faciem ejus multo sputamine dederuntque ei alaphas dicentes quod prophetaret, et quis esset qui eum percuteret, enarraret. Omnem contumeliam, quam sibi irrogare potuerunt, hoc illi iniquissimi judei sine misericordia fecerunt. Hec contumelia **[235v:]** tante derisionis et tam profane duravit in domo Caiphe tota nocte usque mane.

O quanta erat salvatoris mansuetudo et patiencia. O quanta erat judeorum sevicia et insipiencia. Oculos, qui cuncta prospiciunt, velaverunt eos. Qui omnia scit percutientem se nescire putaverunt. Faciem tam delectabilem, in quam angeli prospicere desiderabant, sputis suis immundissimis maculare non timebant. Manus ejus ligare presumpserunt, cujus manus in principio celum et terram plasmaverunt. Illum prophetare subsannate dicebant, per quem prophete olim virtutem prophetandi habebant. Illum satagebant per velamen oculorum excecare, qui olim dignatus est eos per columpnam ignis illuminare. Faciem illius non sunt veriti sputis suis operire, qui olim operit eos per columpnam nubis et satis mire. Judei qui Christum sic illuserunt, olim in philistin hostibus Sampsonis prefigurati fuerunt. Philistin enim captivaverunt et excecaverunt Sampsonem et illudentes ei habuerunt eum in derisione. Sampson propter suam maximam fortitudinem figuram Christi gerit per quandam similitudinem. Sampson quadam vice voluntarie se ligari fecit. Sic Christus sponte a judeis ligari et derideri volebat. Quadam autem alia

vice, quando Sampsoni placuit, tunc se de inimicis suis horribiliter vindicavit. Ita in fine seculorum de inimicis Christi futurum erit, quando ipse in potestate et majestate ad judicium venerit. Qualem vindictam tunc contra inimicos suos facturus est, nulla scriptura, nulla lingua hoc explicare potest. Tunc mallent ejus inimici omnem penam sustinere quam faciem tam irati judicis videre. Tunc enim dicet eis [Mat. 25,41]: *Ite, vos maledicti, in ignem eternum.* Amicis autem dicet [Mat. 25,34]: *Venite, benedicti, suscipite premium sempiternum.* O bone Jhesu, da nobis tibi tam placite deservire, ut hanc benedictam vocacionem a te mereamur audire.

In precedenti capitulo audivimus quomodo Christus fuit illusus. Consequenter audiamus quomodo fuit ad columpnam ligatus. Cumque tota nocte habuerunt eum in derisum, mane facto duxerunt eum ad Pilati presidis judicium. Cumque Pilatus de accusacione contra ipsum **[236r:]** quereret, dixerunt quod malefactor et seductor populi esset, et quod se dixisset omnem populum non solum in Judea, sed eciam in patria sua, hoc est in Galilea, subvertisse. Audiens autem Pilatus quod homo galileus esset, remisit eum ad Herodem, quia ad judicium ejus pertinebat. In ista hora Pilatus et Herodes facti sunt amici, quia antea fuerunt ab invicem inimici. Herodes Christum non viderat sed multa de eo audierat, et ideo de adventu ipsius multum gavisus erat. Magum enim eum vel nigromanticum estimabat, et aliquod signum ab eo videre affectabat. Cumque Herodes eum de multis interrogaret, ipse subticuit ita quod nullum responsum daret. Quod videns Herodes estimabat eum non sane mentis esse et illusit ei et induit eum pro derisu alba veste, et sic remisit eum ad judicium Pilati presidis, dicens se non invenisse in eo aliquam causam mortis. Herodes nesciens quid precederet, veste alba eum induebat, quia spiritus sanctus occulte hoc agens innocenciam Christi ostendebat. Sic enim per Caipham insinuavit Christi mortis expedienciam, ita eciam per Herodem demonstravit ipsius innocenciam. Pilatus igitur interrogavit judeos, si aliquam causam haberent, propter quam ipsum ad mortem condempnare voluerunt.

Tunc judei tres causas contra Jhesum composuerunt et eas in medium proferentes coram omnibus dixerunt: Hic dixit se templum Dei hoc manufactum posse dissipare et post triduum ad non manufactum reedificare, et gloriatur se regem esse judeorum. Dixit eciam quod tributum non esset dandum cesari romanorum. Primas duas causas Pilatus frivolas reputavit. De 3ª autem ipse diligenter interrogavit. Cesar

enim regnum judeorum romano imperio subjacebat, et gens judea illo tempore nullum regem quam cesarem habebat. Pilatus autem a cesare super judeos constitutus erat, quapropter quod aliquis se regem judeorum diceret audire non poterat. Jhesus autem regnum suum de hoc mundo non esse narravit. Pilatus ergo cogitavit quomodo furor judeorum posset mitigari, et videbatur sibi expediens quod faceret eum flagellari, [236v] ut tali obprobrio satiati a morte ejus cessarent, ne et ipsum de insufficienti judicio incisarent. Milites igitur Pilati Jhesum flagellebant et pecunia phariseorum corrupti eum plus solito verberabant.

In precedenti capitulo audivimus quomodo Christus fuit illusus. Consequenter audiamus quomodo crucem suam bajulavit. Cumque Christus fuit flagellatus, illusus et coronatus, eduxit eum Pilatus ostendens populo, qualiter fuit tractatus. Hoc ideo fecit, ut satiati tali contumelia et affliccione essent contenti et cessarent ab ejus in[ter]feccione. Illi autem tamquam rabidi canes mentem frendaverunt, et crucifige eum, crucifige eum, omnes exclamaverunt. Cupiens autem Pilatus eum de manibus eorum liberare, dixit se velle unum ipsis captivum liberum dare. Tunc illi petierunt sibi Barrabam dare latronem, Jhesum autem postulaverunt tradi ad patibuli suspensionem. O impiissimi judei, cur non petivistis illum liberum dimitti, qui liberavit vos de captivitate Babilonis et Egypti?

Videns autem Pilatus quod non proficeret, sed magis tumultus fieret, lavit manus ut per hoc se innocentem a sanguine Jhesu ostenderet. Hoc agebat per Pilatum spiritus sanctus occulte, innuens quod Jhesus moriturus esset innocens et justus. Uxor autem Pilati dixit quod multa per sompnium de Jhesu vidisset, et ipsum dimittendum esse, quia homo justus esset. Hoc fecerat diabolus cupiens impedire passionem Christi, ut Jhesus eciam impediret humani generis redempcionem. Et quod Pilatus tantum videtur per Christi liberacionem institisse, putatur totum ex instinctu diaboli sicut uxor ejus fecisse. Diabolus autem per eos nitebatur impedire nostram redempcionem, sicut olim per Adam et Evam fecit nostram dampnacionem. Diabolus enim videns sanctos patres in limbo exultare, conniciebat quod Christus per suam passionem vellet eos liberare. Quapropter per presidem passionem Christi impedire instabat, et ipsum per stimulum suum et per feminam magis instigabat. O quam deceptorius est stimulus diaboli, femina blanda, per quam tam blande stimulavit viros ad mala perpetranda. Milites igitur Pilati Jhesum purpurea veste exuerunt et vestibus suis, quibus spoliatus fuit,

reinduerunt. Imposuerunt autem humeris suis crucem portandam, et hoc eciam fecerunt ad majorem ipsius contumeliam.

**[237r:]** Lignum enim patibuli tunc temporis maledictum esse dicebant, et idcirco nec milites Pilati nec judei illud portare volebant. Crux ergo que tunc reputatur esse maledicta et ignominosa, per passionem Christi facta est benedicta et gloriosa, et que tunc erat patibulum furum et supplicium latronum, modo depingitur in frontibus principum, regum et imperatorum, et in qua tunc malefici socii diaboli suspendebantur, per eam nunc demones puniantur et effugantur. Hec autem bajulacio crucis Domini nostri Jhesu Christi jam narrata olim fuit in Isaach filio Abrahe prefigurata. Isaach enim ligna propriis humeris afferebat, quibus eum pater suus immolare Deo volebat. Sic Christus propriis humeris crucis patibulum bajulabat, in quo eum gens judeorum suspendere affectabant. Isaach autem per adjutorium angeli a morte est liberatus, et aries in dumis pendens loco ipsius est immolatus. Pro Christo autem nec aries nec aliqua creatura patiebatur, sed ipse solus omnia sustinuit et pro nobis immolabatur. Isaach autem audiens quod pater eum immolare Deo volebat, voluntarium ad obediendum se esse dicebat, sed filius Dei patri suo celesti ad mortem obedivit.

Nam pater et filius et spiritus sanctus misterium consilii habebant, et ex se unum pro salute generis humani mittere disponebant. Cumque pater diceret: Quem mittam, et quis ibit ex nobis? Respondit filius: Ecce ego, mitte me quia sum paratus. Vade, inquit, ait pater, in mundum, et cum hominibus conversari et patienter sustine quidquid applicatum fuerit tibi. Missus est filius Dei vivi, conversatus in Judea, non pepercerunt ei, sed viliter interfectus est in ea.

Istud autem insinuavit Christus in quadam parabola, quam predicando judeis proposuit cujusdam de vinea figuram. [Mat. 21,33-39] Homo quidam vineam suam plantavit et circumsepivit et extruens in ea turrim et torcular colonis commisit. Tempore fructuum misit servos suos, qui fructus exigebant, quos illi apprehenderunt, **[237v:]** cedebant et interficiebant. Quod audiens dominus misit alios servos plures prioribus, quibus illi fecerunt sicut fecerunt primis. Ad ultimum autem misit eis unicum filium suum, si forte verentur occidere illum. Quem coloni apprehenderunt et de vinea ejecerunt et atrocius eum quam servos occiderunt. Per vineam istam signatur Judea sive plebs judaica, per sepem murus Jherusalem et angelorum custodia. Per turrim autem signatur templum Salomonis, per torcular altar holocausti et oblacionis. Servi missi prophete Domini fuerunt, quos illi diversis modis afflixerunt

et interfecerunt. Isaiam secabant, Jeremiam lapidebant, Ezechielem excerebrabant, et Amos clano perforabant. Tandem misit unicum filium suum Dominum Jhesum Christum, et ipsum atrocius quam aliquos alios interfecerunt. In ipso autem in humeris suis patibulum crucis imposuerunt, et ejicientes eum de vinea sc. de Jherusalem occiderunt. Duo autem populi erant, qui Jhesum ad interficiendum eduxerunt, videlicet judei, qui corde, et gentiles, qui opere hoc fecerunt.

In precedenti capitulo audivimus quomodo Christus crucem bajulavit. Consequenter audiamus quomodo pro crucifixoribus suis exoravit. Tam nocte et die in tantum illusionibus fatigatus erat, quod istam gravem crucem per se portare non valebat. Tunc angoriaverunt quendam videlicet Simeonem Cyrenensem, ut adjuvaret Jhesum bajulare crucem suam. Cumque venisset ad montem Calvarie, et viderunt eum fatigatum, dederunt ei acetum felle mixtum et vinum mirratum. Hunc potum malicia judeorum Christo commiscuerat, sicut olim per Ps. [68,22] de ipsis fuerat prophetatum. Accipientes autem milites crucem posuerunt super terram et nudantes Jhesum extenderunt eum super ipsam. Primam autem manum clano cruci affixerunt, et aliam funibus trahentes ad alium foramen extenderunt et uno clano ambos pedes cruci affigebant. Hanc extensionem tangit David in Ps. [21,17] et dicit de ea: **[238r:]** *Foderunt manus meas et pedes meos et dinumeraverunt omnia ossa mea.*

Cum autem Jhesus pateretur hanc crudelissimam acerbitatem, ostendit eis suam clementissimam pietatem. Nam pro ipsis celestem suum patrem exoravit et nobis exemplum inimicos diligendi donavit. Quando enim inimicos diligimus et pro eis oramus, filios Dei et fratres Christi nos esse demonstramus. Christus enim docuit ut inimicos nostros amemus, ut filii patris sui, qui in celis est, esse possumus. Nonne magnum est amare amicos, sed majus est amare inimicos et persecutores. Milites ergo super terram Christum cruci affixerunt et post hoc ipsum vivum in cruce in altum levaverunt. Hac oracio, que a Christo in crucifixione est prolata, olim fuit in Jubal fratre Tubalkaim prefigurata. Jubal et Tubalkaim filii Lamech fuerunt, qui inventores artis ferree et musice extiterunt. Quando Tubalkaim cum malleis sonos faciebat, Jubal ex sonitu malleorum melodiam inveniebat. Ad talem ergo melodiam et malleorum fabricacionem comparamus Christi oracionem et crucifixorum malleacionem.

Quando enim crucifixores Jhesum ad crucem fabricabant, Christus dulcissimam melodiam pro ipsis patri suo decantabat [Luc. 23,34]: *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Ignorant enim quod filius tuus sum, quem crucifigebant. Si enim judei et gentiles filium Dei agnovissent, numquam regem glorie crucifixissent. Tante enim dulcedinis erat hec dulcissima melodia, quod eadem conversi sunt hominum tria milia. Congrue judei per inventorem artis fabrice figurati fuerunt, quia ipsi hunc modum crucifigendi primo invenerunt. Non enim erat quod homo cruci cum clano annecteretur, sed ut funibus suspenderetur donec moreretur. Unde eciam inventor melodie Jhesum Christum prefigurabat, quia ipse primus erat, qui Deo talem melodiam decantabat. Christus non solum pro crucifixoribus exorabat, sed pro salute totius mundi patrem **[238v:]** suum efflagitabat, et quamvis multi pro peccatis hominis olim oraverunt, nec per oraciones nec per sacrificia exauditi fuerunt.

Christus autem oravit cum lacrimis et clamore valido et exauditus est pro sua reverencia id quod petiit impetrando. Hanc eciam crucifixionem Christi Isaias prefiguravit, quem gens judaica nimis inhumaniter mactavit. Judei enim ipsum per serra lignea per medium secabant, et per hoc mortem Christi convenienter satis prefigurabant. Judei enim cum serra lignea Christum per medium diviserunt, quia animam ejus et corpus per crucem ab invicem separaverunt. Quamvis autem animam et carnem ab invicem dividebant, numquam tamen divinitatem. Deitas enim a carne mortua non fuit separata, nec ab anima aliquatis similiter segregata. Deus enim filium suum in morte derelinquere noluit, licet tamen in mortem pro nobis eum tradere voluit. O inestimabilis dileccio divine caritatis, ut dilectum filium daret pro filiis iniquitatis. O quam immensa dileccione nos pater celestis diligebat, qui tam dilectum filium pro nobis in mortem tradebat. Quis unquam vidit similem, aut quis audivit talem, et quis suffecit hanc dileccionem ad plenum enarrare.

Hec dileccio patris tam immensa fuit olim in rege Moab per figuram preostensa. Civitas hujus regis fuit hostibus circumvallata, et gens inhabitans defecit fame et siti attenuata. Rex autem cives suos in tantum dilexit, quod proprium filium suum pro eis supra murum immolabat. Per civitatem istam mundus prefiguratur iste, et per cives humanum genus designatur. Civitas ista obsessa erat ab exercitu demoniorum ante adventu Christi plus quam quinque milia annorum, et omnes cives in tantum debilitati erant, quod per se hanc obsidionem

dissolvere non valebant. Tandem pater misericordiarum et Deus totius consolacionis pie respexit angustias nostre obsidionis, et in tantum dilexit nos ut filium suum in mortem daret, ut sic ab obsidione diabolica nos liberaret. Rex Moab immolavit filium suum pro civibus **[239r:]** et amicis, sed Deus dedit filium suum in mortem pro suis amicis, et quid est quod possumus ei pro tanta dileccione retribuere, nisi hoc quod studeamus ex corde ipsum vice versa diligere. Diligamus eum, quoniam ipse primo nos dilexit et angustias nostre obsidionis tam pie respexit. O bone Jhesu, concede nobis, ut in hoc seculo te ita diligamus, ut tecum in futuro seculo in perpetuum maneamus.

1[a] figura Danielis. In precedenti capitulo audivimus quomodo Christus in cruce oravit. Consequenter audiamus quibus figuris mortem suam premonstravit. Rex Nabuchodonosor per sompnium magnam arborem videbat, que in celum se extendens ramos per mundum expandebat. Hec arbor ipsum regem designabat, sed mistice Christum regem in mundo futurum prefigurabat, cujus potestas super omnes celos exaltatur et per totum orbem super omnem potestatem mundi dilatatur. Omnes bestie subter eam et volucres in ea morabantur, et omnes de fructibus ejus vescebantur et nutriebantur. Per hoc satis convenienter innuatur quod omnis creatura per graciam Christi sustentatur. Et ecce angelus adveniens jussit arborem succidi, per quod figurabatur quod Christus debuit crucifigi. Dixit quod omnes rami ejus debent amputari, innuens quod omnes discipuli a Christo essent separandi. Addidit eciam omnia folia arbori esse excutienda, innuens omnia Christi documenta a judeis contempnenda. Adjecit insuper quod omnes fructus arbori deberent dispergi, innuens quod omnia opera Christi a judeis deberent vilipendi. Item dixit quod omnes bestie et volucres ab ea fugere deberent, quia nec homines nec angeli Christo auxilium preberent.

Addiditque quod, licet ista arbor esset succidenda, tamen radix ejus ad regenerandum in terra esset dimittenda, per quod innuitur quod, licet Christus esset moriturus, tamen non esset in morte permansurus sed resurrecturus. Adjecitque quod Nabuchodonosor rex tamquam bestia esse cibandus, innuens quod Christus felle et aceto esset potandus. Additque **[239v:]** quod cor ejus deberet ab humano commutari, et cor bestie pro corde hominis deberet sibi dari. Per hoc innuitur quod judei Christum non tamquam hominem tractaverunt, sed tamquam feram vel vermem conspuerunt et cruciaverunt, vel quod ipsi judei non tamquam

homines se Christo exhiberent, sed tamquam bestie contra ipsum dentibus striderunt.

Adjecitque quod supra dictum regem septem tempora essent mutanda, quia passio Christi per septem horas canonicas esse prolonganda. Adjecitque quod per eundem regem deveniret ad noticiam omnium quod Deus excelsus dominatur super omnia regna hominum, in quo innuebatur quod per probacionem Christi et suorum agnosceret mundus Deum verum omnium seculorum. Addiditque quod Deus posset dare regnum homini, cui vellet, et quod super illud hominem humilem constitueret, per quod innuebatur quod Christus esset humilissimus hominum, et ideo Deus pater constitueret eum regem omnium. Sic igitur patet quomodo per arborem istam prefigurabatur Christus, qui ex preordinacione sui patris est pro nobis crucifixus. Et quamvis passio Christi fuit a celesti patre preordinata, tamen non invite sed voluntarie est ab ipso acceptata.

Et illud Cedrus rex grecorum olim per figuram premonstravit, qui pro suis civibus liberandis sponte mortem acceptavit. Civitas atheniensis obsessa erat et per nullius liberacionem liberari posset. Tunc predictus rex consuluit deum suum Apollinem, si per aliquem modum posset liberare civitatem. Et quamvis paganus esset et non cognosceret Deum, tamen nutu Dei recepit per Apollinem responsum verum. Dictum est autem ei quod civitas nullo modo posset liberari, nisi oporteret ipsum ab hostibus occidi et mactari. Qui in tantum dilexit suos, qui erant intra urbem, quod exivit de urbe volens propter eos subire mortem. Hostes autem hoc scientes nolebant sibi in aliquo nocere, cupientes potius civitatem quam ipsius mortem. Quo audito et experto rex ad civitatem rediit, et vestes regales exuens et serviles induens iterum exivit. **[240r:]** Statim hostes in eum ruentes interfecerunt, quia ipsum regem esse in servili habitu non cognoverunt. Cum autem viderunt regem esse mortuum, de captione urbis desperaverunt et ab impugnacione cessantes ad propria redierunt. Sic Christus nos dilexit, ut se in mortem sponte daret, ut nos a demonum obsidione liberaret. Induit autem se carne humana quasi veste servili, quia in veste regali sc. in divinitate non potuit occidi. Si eciam ipsi regem glorie cognovissent, numquam eum sic delusissent nec occidissent.

In precedenti capitulo audivimus quomodo Christus fuit occisus. Consequenter audiamus quomodo eciam post mortem fuit derisus. Non enim suffecit judeis, quod eum interfecerunt, sed eciam post mortem

diversis modis eum deriserunt. $1^{a}$ figura $2^{o}$ Regum. Istud eciam fuit olim in Absolon preostensum, quem legimus pulcherrimum fuisse et in arborem suspensum. Quod videns quidam cucurrit ad Joab et sibi hoc dixit, qui veniens tres lanceas in corde ipsius fixit. In hoc non sunt contenti armigeri Joab, qui affuerunt, sed eciam gladiis ipsum crudelissime invaserunt. Per Absolon signatur speciosus forma pre filiis hominum Christus, qui in cruce tribus lanceis sc. tribus doloribus est confixus. Primum habuit ex propriarum penarum magnitudine, $2^{m}$ ex dilecte matris sue amaritudine, $3^{m}$ dolorem propter peccatores dampnandos sustinuit, quibus suam amaram passionem non prodesse prescivit. Et quamvis Christus confixus fuit tantis doloribus, tamen super hoc judei eum invaserunt linguarum suarum gladiis. Hoc modo omnes voluntarii peccatores invadunt Christum, qui sponte peccando iterato crucifigent ipsum.

In precedenti capitulo audivimus salvatoris nostri passionem. Consequenter audiamus dulcissime matris ejus dolorem. Quando salvator **[240v:]** noster passionem toleravit, affuit Maria et secum omnia per compassionem portavit. Tunc impletum est quod dixit ei Simeon justus [Luc. 2,35]: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* $1^{a}$ figura Genesis. Dolorem quem Maria ex passione filii sui toleravit, Jacob in deploracione filii sui Joseph prefiguravit. Jacob Joseph super omnes filios suos diligebat, et ideo invidia fratrum suorum ipsum interficere intendebat. Fecit autem Jacob filio suo tunicam polimitam variis coloribus et picturis artificialiter politam. Quem cum misisset pater ad fratre s suos, ubi gregem pascebant, illi apprehendentes eum interficere volebant. Sed nutu Dei ipsum ismahelitis vendiderunt, et tunicam ejus lacerantes sanguine hedi asperserunt et mittentes, qui portarent et ostenderent eam patri, ut videret si esset tunica Joseph filii sui. Quam videns pater scidit vestimenta sua et cepit flere dicens filium suum devoratum dentibus bestie fere. Quod audientes filii ejus ad ipsum conveniebant et ipsum in luctu suo consolari satagebant. Ipse autem ad consolacionem ipsorum nullam volens recipere consolacionem, sed respondit [Gen. 37,35]: *Descendam lugens ad filium meum in infernum*, quia noluit consolari in hac vita in eternum.

Ita Maria filium suum lugens in infernum descendisset et secum semper permansisset, si possibile fuisset. Quantum putatis, fratres karissimi, Maria planxit et luxit, quando filii sui tunicam sc. carnem laceratam aspexit. Tunica Joseph fuit sanguine hedi cruentata, sed tunica Christi fuit proprio cruore madidata, et vere Christum devoravit fera

pessima sc. judeorum invidia iniquissima. Jacob ex dolore scidit vestes suas sc. exteriores. Maria autem scidit vestes sc. vires interiores. Omnes filii Jacob ad ipsum fuerunt congregati, et tamen dolorem ejus declinire non potuerunt. Et si totus mundus ad Mariam congregatus fuisset, ipsa tamen numquam sine filio aliquam consolacionem **[241r:]** recepisset. Jacob xii filios habens de amissione unius doluit. Quanto magis Maria dolere potuit, que unum habens eundem amisit.

2[a] figura in Scolastica Historia. Iste eciam dolor Marie immensus olim fuit prefiguratus, quando Abel ab iniquo Cain fuit occisus et mactatus. De ipsius interfeccione Adam et Eva in tantum doluerunt, quod ejus necem centum annis planxerunt. Et quamvis dolor eorum videtur magnus fuisse tamen dolor Marie comprobatur major exstitisse. Quanto enim res que diligenti est carior, tanto dolor de amissione ejus est gravior. Numquam erat amor major quam inter Mariam et ejus natum. Ergo nullum dolorem inveniemus dolori Marie equiparitum. Dolor Ade et Eve legitur multum durasse, quia leguntur in centum annis perdurasse in luctu. Sed si Christus centum milia annorum perseverasset, Maria numquam medio tempore a luctu et merore cessasset. Cum igitur Joseph corpus Christi de cruce deponeret, affuit Maria ut ipsum inter brachia sua atolleret. Tunc *fasciculus mirre, inter ubera ipsius morabatur*, sicut in Canticis Canticorum [1,12] de Isaia cantatur. O quam amare mirre fasciculus fuit in corde Marie, colleccio penarum, quas sustinuit Christus tota nocte et die. Quanto vinum dulcius et nobilius esse comprobatur, tanto sit acrius et amarius quando transmutatur. Sic quanto amor Marie ad filium erat dulcior, tanto dolor ejus in passione Christi est amarior.

3[a] figura libri Ambrosii. Quapropter Maria olim fuit per Noemi prefigurata, que propter mortem filiorum suorum multum fuit amaritata. Unde dixit [Ruth 1,20]: *Nolite me vocare Noemi, quod est pulchra, sed vocate me Mara, quod est amara. Valde enim omnipotens me amaritudine implevit*. Hoc dixit quando orbacionem filiorum **[241v:]** suorum duorum deflevit. Convenienter autem Maria per Noemi est designata, quia non erat solum uno, sed duobus filiis orbata. Unum filium habuit carnalem progenituram, alium autem mater misericordie adoptaverat sibi per curam. Verus et carnalis filius Marie erat Jhesus, adoptivus autem humanum genus. Carnalis filius mortuus erat morte corporali, adoptivus autem mortuus erat morte spirituali. In passione enim Domini totum genus humanum fidem reliquerat, et ideo omnis homo in anima mortuus erat et perierat.

Pro utroque magnam amaritudinem sustinebat, quia utrumque ex intimo cordis affectu diligebat, et quamvis filium suum tamquam seipsam et plus quam seipsam amaret, tamen sibi placuit ut per mortem suam nos liberaret. Maluit enim dulcissima mater nostra illum cruciari quam nos morte perpetua eternalite condempnari. Ex hoc possumus perpendere quantum nos Maria amabat, que dilectum filium suum pro nostra salute mori affectabat. Quando enim una res pro alia datur vel commutatur, res que accipitur magis amari videtur quam illa, que datur. Videtur quod Maria nos quodammodo plus quam filium suum diligebat, que potius ipsum crucifigi quam nos condempnari volebat. Ex hoc eciam perpendere possumus, quantum pater celestis nos amabat, qui unigenitum filium suum pro nobis in mortem dedit. Ambo igitur tam pater quam mater nos multum amabant et, ut eos toto corde reamemus, bene meruerunt. O bone Jhesu, da nobis dileccionem hanc ita recogitare, ut tecum in celis eternaliter mereamur habitare.

In precedenti capitulo audivimus quomodo Christus de cruce fuit depositus. Consequenter audiamus quomodo fuit sepultus. Joseph et Nicodemus corpus Jhesu in syndone involverunt et condientes aromatibus in monumentum posuerunt. Maria autem semper affuit cum miserabili planctu, cum luctu et multarum lacrimarum effusione. Nulla lingua sufficit ejus dolorem enarrare, nec aliqua mens sufficit tristiciam ejus cogitare. In tantum tota die et tota nocte planctu fatigata erat, quod vix exequias filii sui ad sepulchrum sequi poterat. Tot osculis et amplexibus corpus filii constringebat, quod omnis populus sibi compatiens querulando dicebat: O qualem crudelitatem hodie impiissimi exercuere in hac tam pulcherrima delectabili **[242r:]** muliere. In tantum planxit, luxit, ingemuit et ploravit, quod alios ad compatiendum et plorandum provocavit. Quis enim tam turbidissime matri non compateretur, quis ad tantarum lacrimarum effusiones non emolliretur. Nunc manus filii, nunc pedes deosculabatur, nunc collum ejus, nunc latera stringendo amplexabatur, nunc pectus proprium pungens percutiebat et tundebat. Nunc manus cum lacrimarum effusione constringebat, nunc intuebatur vulnera filii sui, nunc osculis corruit super pectus ejus, nunc super os.

Nimis bestiale cor habere videretur, qui tantis lacrimis et lamentacionibus non compateretur. Bestialis porcus porco clamanti commovetur, et quis tam turbidissime matri non miseretur. Jhesus tamen passus est et flevit cum Maria Magdalena, et quis non fleret cum virgine tam amena?

Delphini dicuntur cum mortuis suis compati et eos sepelire, et quomodo potest homo planctum Marie sine dolore audire.

Dolorem quem Maria in sepultura filii toleravit, olim David in exequiis Abner prefiguravit. Abner a Joab fraudulenter interfectus erat, cujus interfeccionem rex David sequens feretrum deflebat, et non solum ipse super exequiis ejus ploravit, sed eciam alios ad plorandum incitabat. [2.Reg. 3,31 et 38:] *Scindite,* inquit, *vestimenta vestra* et plangite. *Num ignoratis quoniam princeps maximus in Israel cecidit hodie*. Non est occisus sicut ignari et malefici, qui meruerunt, sed sicut justi coram filiis iniquitatis tacite consueverunt. Ita beata virgo in die parasceves dicere potuit, quando filius ejus ab iniquis judeis occisus fuit: Scindite vestimenta vestra, videlicet interiora, et plangite.

Num ignoratis quod princeps maximus in Israel occisus est hodie. O quam maximus princeps in Israel occisus erat, cui omnis creatura compassionem exhibebat. Sol subtraxit radios suos ne estu ipsius ureretur. Aer obfuscatus ut nuditas ejus non videretur. Terra tremuit ut crucifixores terrerentur. Templum et velum scissum est ut pharisei compaterentur. Petre scindebantur ut sonum magnum darent. Discipuli enim tacuerunt. Lapides clamabant. Monumenta **[242v:]** aperta sunt, ut mortui resurgerent et potenciam hujus principis innotescerent mundo. Multi enim surgentes apparuerunt hominibus et potenciam hujus principis manifestaverunt. Diabolus in sinistro crucis brachio sedens mirabatur, quis iste esset, quem omnis creatura verebatur. Philosophi athenienses videntes solem obfuscari dixerunt Deum vere in angustiis esse et pati. Edificaverunt altare ignoto deo, qui manifestandus erat futuro seculo. Hujus igitur principis exequias deplangamus et corda nostra intima compassione scindamus.

In precedenti capitulo audivimus quomodo Joseph Christum sepelivit. Consequenter audiamus quomodo Christus in infernum introivit. Hora nona quando Christus animam in cruce emittebat, statim anima unita divinitati ad inferna descendebat. Est autem quadruplex infernus sive 4[or] loca infernorum videlicet dampnatorum, puerorum, purgandorum et sanctorum. In inferno dampnatorum est fumus et ignis inextinguibilis, aspectus demonum et horror terribilis, vermes conscienciarum et tenebre palpabiles, frigus inenarrabile et fetores intolerabiles, mutua invidia et frequens imprecacio malediccionis, fuga mortis et desperacio redempcionis, semper sunt in moriendo nec tamen moriuntur, semper pene renovantur et numquam finiuntur. Ad istum infernum Christus numquam descendebat, nec aliquas animas de ipso redimebat. Super istum infernum

est locus, qui dicitur infernus puerorum incircumscisorum videlicet et non baptizatorum. Ibi non est pena sensus, sed tamen pena dampni, et gaudium habent magnum de bonitate Dei magni. Magnitudo gaudii istorum puerorum excellit magnitudinem gaudiorum omnium mundanorum. Gaudent de hoc quod creatorem peccando non offenderunt, et quod de inferno dampnatorum semper securi essent. Quid autem Deus de istis facturus sit, nullus potest scire, nec aliquis doctor sufficit diffinire.

Super hunc locum est infernus purgandorum. In eo est diversitas penarum et dolorum multorum. Nam secundum peccatorum quantitatem et qualitatem recipiunt quilibet purgatorium et penalitatem. Pena istorum potest mitigari per celebracionem missarum, per oraciones et jejunia et collacionem eleemosynarum, per indulgencias et crucis accepcionem et per aliene penitencie assumpcionem. Pena purgatorii non potest verbis explanari, quia nulla pena in mundo potest ei compari. Sicut differt ignis verus ab igne qui potest depingi, sic differt ignis purgatorii ab igne materiali.

Super hunc locum infernus sanctorum esse comprobatur, **[243r:]** qui alio modo sinus Abrahe vel limbus appellatur. Hunc infernum olim omnes sancti intraverunt, qui ante resurreccionem Christi mortui fuerunt. Ad istum infernum Christus descendit et intravit, et omnes, qui in ipso erant, potenter liberavit. In isto inferno fuit anima Christi ab hora sue exspiracionis usque ad horam sue gloriose resurreccionis. Sciendum autem quod licet anima a corpore fuit separata, tamen divinitas nec ab anima nec a corpore fuit segregata. In limbo erat divinitas unita anime a corpore separate. In sepulchro erat divinitas unita carni mortificate. Quando Christus limbum intravit, sancti divinitatem viderunt et omne gaudium celi ibidem habuerunt. Dicitur enim: Ubi papa, ibi est romana curia. Sic ubi erat deitas, ibi erant celi gaudia. Dixerat autem Christus latroni, cum adhuc penderet in patibulo [Luc. 23,43]: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Hoc de paradiso terrestri non est exponendum, sed de contemplacione divinitatis est intelligendum. Anima enim latronis cum anima Christi limbum ingrediebatur et ipsam divinitatem cum aliis sanctis contemplabatur, et cum sancti viderunt Christum pre gaudio simul omnes exclamabant: Advenisti desiderabilis, quem nostra suspiria vocabant.

In precedenti capitulo audivimus quomodo Christus patres sanctos in limbo letificavit. Consequenter audiamus quomodo principem infernalem superavit. Christus idcirco homo factus est, quia diabolum superare volebat, et hoc quadam vice per quandam similitudinem turbis proponebat.

[Luc. 11,21:] *Dum fortis armatus* sc. diabolus *custodivit atrium suum* sc. limbum, *in pace sunt omnia, que possidet.* Quod de sanctis patribus est intelligendum. *Si autem fortior sc. Christus supervenerit, universa sibi arma sua auferat* et eum alligabit. Diabolus ante incarnacionem Christi tam fortiter armatus erat, quod in toto orbe nullus erat qui atrium suum confringere poterat. Christus autem, qui non tantum homo sed Deus et homo extitit, atrium suum intravit et ipsum per crucem suam devicit.

Istud olim Bananias per figuram premonstravit, qui ad leonem in cisternam intrans cum virga sua prostravit ipsum. Sic Christus intravit ad diabolum in cisternam sc. in infernum, et per virgam et baculum **[243v:]** sc. per sanctam crucem prostravit ipsum, et hoc est, quod verba prophete olim in Ps. pretenderunt [Ps. 22,4]: *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Virga sumitur hoc loco pro baculo quem homo ambulans manu portat, ut per eam sustentetur et a canibus se defendat. Crux ergo Christi est baculus, per quem sustentamur ne cadamus, per quem et canes infernales a nobis depellamus. Per hunc baculum Christus leonem infernalem prostravit, et eundem baculum nobis ad resistendum diabolo donavit.

Attendite, fratres, quantum tenemur sanctam crucem honorare, per quam possumus hostes nostros sc. demones superare. Sicut per lignum paradisi diabolus decepit hominem et incarceravit, ita per signum sancte crucis contra diabolum triumphavit. Sanctam crucem multum tenemur honorare, quam Deus proprio sanguine dignatus est consecrare. In cruce olim socii diaboli sc. malefici suspendebantur, et nunc per eam demones puniuntur et fugantur. Per crucem olim cumulus dampnatorum augebatur, et per eam nunc numerus beatorum augmentatur. Per crucem olim homines mortificabantur, et per eam nunc egri curantur et mortui suscitantur. Per crucem olim augebatur quodammodo gaudium demoniorum, et per eam nunc multiplicatur leticia angelorum. Per crucem olim maligni propter crimina sua dampnabantur, et per eam nunc crimina misericorditer laxantur. Crux olim propter vilitatem suam statuebatur in monte Calvariarum, sed nunc modo propter suam sanctitatem constituitur in altaribus ecclesiarum. Crux olim propter suam ignominiam quilibet tangere verecundebatur, modo propter gloriam suam a principibus et regibus adoratur. Forte diabolum, quem totus mundus non potuit superare, modo unus per signum sancte crucis potest fugare. Hanc potestatem contulit iste sibi bellator fortis, qui per eam vicit diabolum et portas mortis.

In precedenti capitulo audivimus quomodo Christus vicit diabolum per passionem. Consequenter audiamus quomodo Maria vicit eundem per compassionem. Omnia que Christus in sua passione toleravit, hec Maria per maternam compassionem secum portavit. Clani qui transierunt pedes filii sui et manus, per compassionem penetraverunt sanctissimum matris pectus. Lancea, que latus filii sui mortui perforavit, per compassionem cor matris viventis penetravit. Aculei spinarum que caput Christi pupugerunt, per compassionem cor genitricis ejus vulneraverunt. Gladius acutissimarum linguarum, quas Christus audivit, per compassionem **[244v:]** intimam Marie animam pertransivit. Et sicut Christus superavit diabolum per suam passionem, ita eciam Maria superavit eum per maternam compassionem.

Armis passionis Christi Maria se armavit, quando ad pugnam se contra diabolum preparavit Ipsa eciam prefiguratur per Judith, que restitit Holoferni, quia ipsa opposuit se diabolo principi inferni. Judith induit se vestibus jocunditatis et ornavit caput suum intra et pedes sandaliis. Maria autem vestivit se tunica filii sui inconsutili et superinduit se pallio derisionis ejus duplici. Unum sc. album, in quo Christus ab Herode deridebatur, aliud coccineum sc. rubicundum, in quo a militibus deridebatur sive illudebatur, quia dilectus ejus filius candidus et rubicundus decantatur. Tota ejus passio comparatur fasciculo mirre, qui commorari debet inter [ubera] diligentis anime. Omnes autem penalitates Christi diligenter collegit, et per passionem fasciculi mirre ex ipsi compegit. Hunc fasciculum pro clipeo inter ubera sua collocavit, et cum armatura tali contra hostem nostrum diabolum dimicavit. In hoc fasciculo mirre erant omnia simul colligata, que dulcissimo filio suo in passione fuerunt illata: Gladii, fustes, lancee et arma quibus capiebatur, lucerne ardentes et jacule quibus in horto querebatur, tristicia, pavor et tremor et trina oracio, sudor sanguineus et angeli confortacio.

Quomodo turbis occurrit et uno verbo omnes prostravit et restituens eis vires se ad capiendum presentavit. Cognicionis signum et osculum malignum, dolosa salutacio et Christi responsum benignum. Crudelis Christi captivacio et vinculorum ligacio, auricule reformacio et discipulorum fugacio, sindonis reliccio a dilecto suo, exultacio judeorum et Anne interrogacio. Alapha servi pontificis et mansueta Christi responsio, trina negacio Petri et ejusdem conversio. Novum judicium coram **[244v:]** quibus ductus est et accusatus. Annas, Caiphas, Herodes, Pontius Pilatus, columpna virge flagella, sputa, arundo et funiculi, crux, clani, lancea, mallei, corona et tabula tituli, alaphe, colaphi, obprobria, blasfemie et

derisio, velamen oculorum, prophecia Christi et vestimentorum divisio, sors super tunicam et Herodis album indumentum, tribunal judicis, locio manuum et purpureum vestimentum, sompnium uxoris Pilati, liberacio Barrabe homicide, tumultus judeorum et geminatum crucifige, Christi et acetabulum et acetum felle amaritatum, arundo cum spongia, hysopus et vinum mirratum, oracio Christi clarior laterne, latronis acceptacio, omnia verba Christi in cruce et discipuli Johannis commendacio, expiracio Christi, lancea Longini cum ipsius illuminacione, effluxio sanguinis et aque cum sua protestacione, obscuracio solis, terre motus, scisio veli et petrarum, ruina partis templi, apercio sepulchrorum, fetor et mons Calvariarum. xxx[a] argentei, quibus Christus venditus erat et emptus, desperacio Jude, qui est Christi sanguine redemptus.

Hiis et aliis Christi penalitatibus Maria se armavit, et tamquam propugnatrix nostra hostem nostrum devicit et conculcavit. Tunc impleta sunt in ipsa olim prenunciate figure et quedam prophetica dicta sacre scripture [Ps. 90,13]: *Super aspidem et basiliscum* tu, Maria, ambulabis, *et leonem et drachonem* sc. Sathanam *conculcabis.* Et [Gen. 3,15:] *tu* Sathanam *insidiaberis calcaneo ejus* homines impugnando, *ipsa conteret caput tuum* per passionem te superando. Regina Thamar olim Mariam prefiguravit, que Tyrum crudelissimum homicidam decollavit, qui tantum aspirabat ad hominum interfeccionem, quod non poterat satiari per humani sanguinis effusionem. Omnibus contradicebat et omnia regna invidebat, nulli parcebat, omnem quem potuit sanguinem effudebat. Tandem regina Thamar ipsum capiens decollavit et caput in uniam plenam sanguine humano projiciens ait: Satia nunc te sanguine humano, quem in tantum sitivisti, quod in vita tua illo numquam satiari potuisti. Sic diabolus, qui ab inicio homicida erat, numquam hominum dampnacione satiatus fuerat, quam nobis paraverat. O bone Jhesu, fac nos tuo adjutorio ita diabolum superare, ut in eternum mereamur tecum in tua gloria habitare.

In precedenti capitulo audivimus quomodo diabolus est superatus. Consequenter audiamus **[245r:]** quomodo homo liberatus fuit de carcere diaboli. In die parasceves quando Christus in cruce exspiravit, statim anima ejus unita divinitati infernum intravit. Non enim, ut quidam putant, usque ad dominicam exspectavit sed statim ad consolandum incarceratos festinavit. Si enim aliquis possit amicum hodie liberare, numquam esset usque ad diem 3[m] exspectare. Christus ergo felicissimus amicus noster non exspectavit, sed statim peracta passione sanctos in carcere inferni visitavit. Et in hoc datur nobis exemplum quod si volumus animabus subvenire, si

protrahamus suffragia non videtur animabus expedire. Gravissime enim et cum tedio exspectare comprobantur, qui in tam inenarrabilibus penis cruciantur. Quidam faciunt caris suis per xxx dies xxx missas celebrari. Hoc bonum est, sed utilius esset animabus illis xxx dies continue consummari, quia per xxx[a] dies ibi exspectare valde est amarum, et istud eciam intelligitur de aliis suffragiis animarum. Festinemus igitur quamtoties animabus in purgacione subvenire, quia hoc per festinacionem Christi comprobatur ipsis expedire.

Christus autem non statim eodem die patres liberavit, sed ibi cum illis manens ipsos sua dulci presencia letificavit. Media autem nocte dominica, quando a mortuis resurrexit, tunc eos de captivitate diaboli eduxit et evexit. Hec eciam captivitas diaboli jam pretaxata olim fuit in captivitate egyptica prefigurata. Filii Israel a pharaone olim Egypto opprimebantur graviter et ad Dominum pro liberacione sua lacrimabiliter vociferabant. Misertus Dominus apparuit Moisi in rubo ardente igne pleno et integro et viridi permanente. Misit autem Dominus Moisem ad pharaonem et fecit per eum filiis Israel captivitatis sue liberacionem. Ita genus humanum a principe tenebrarum detinebatur et ad Dominum pro sua liberacione et redempcione multipliciter lamentabatur dicens [Ps. 37,23]: *Deus, in adjutorium meum intende.* [Ps. 143,5:] *Domine, inclina celos et descende.* [Ps. 108,21-22:] *Libera me, quia egenus et pauper sum* ego, et nihil habeo, quo me liberare possum. [Ps. 143,7:] *Emitte manum tuam,* per quam liberer. [Is. 16,1:] *Emitte agnum tuum,* cujus victima tibi reconsilier. [Ps. 42,3:] *Emitte lucem tuam,* et tenebre a me repellantur, *emitte veritatem tuam,* et prophete tui fideles inveniantur. Hiis et aliis multis modis homo ad Dominum clamabat, et Dominus misertus est ejus et ipsum liberavit. Hoc modo ut sequitur. Descendit in rubum ardentem sine rubi lesione, hoc est in virginem Mariam servata virginitatis amissione.

**[245v:]** De redempcione humanitatis. Dominus plagavit pharaonem et omnem suam gentem et eduxit filios Israel in terram lacte et melle fluentem. Ita Christus plagavit diabolum et omnem suam congregacionem et eduxit sanctos de inferno ad eternam refeccionem. Ibi pascantur lacte hoc est dulci aspectu humanitatis, et melle hoc est melliflua contemplacione divinitatis. Dominus volens judeos liberare precepit agnum immolari, sed quando voluit nos liberare, fecit seipsum cruciari.

De resurreccione Domini. In precedenti capitulo audivimus de hominis redempcione. Consequenter audiamus de gloriosa Christi

resurreccione. Notandum autem est quod Christus suam gloriosam resurreccionem olim prefiguravit per fortissimum Sampsonem. Sampson civitatem inimicorum suorum introivit, et in ea nocte manens ibidem dormivit. Inimici autem ejus portas civitatis concluserunt et ipsum mane interficere disposuerunt. Sampson autem media nocte surgebat a sompno et portam cum postibus et januis secum deferebat. Sic Christus urbem hostium suorum, hoc est infernum, potenter intravit, et ibi usque ad mediam noctem dominici diei habitavit. Media autem nocte destructo inferno anima ad corpus rediit, et sic Christus, qui mortuus fuerat, resurrexit, et multa corpora sanctorum cum eo resurrexerunt, et intrantes civitatem Jherusalem multis apparuerunt. Non est putandum quod in parasceve corpora surrexerunt, sed ista die solummodo sepulchra aperta fuerunt. Christus primogenitus mortuorum primo surrexit, et tunc corpora cum eo simul ascenderunt. Nec est credendum hiis, qui dicunt quod iterum obierunt.

Christus eciam resurreccionem suam per Jonam prefiguravit. quem in ventre ceti per triduum vivum conservavit. Jonas erat in navi, que tempestatibus jactabatur et in interitum omnium, qui in navi erant, minabatur. Tunc dixit Jonas nautis ut ipsum in mare jactarent, et sic tempestas maris et periculum cessarent. Quem cum jactassent, statim cetus eum deglutivit et post triduum ipsum de ore vivum in terram misit. Per periculosum mare mundus iste designatur, in quo homo olim periculum eterne mortis patiebatur. **[246r:]** Christus autem sponte in cruce fecit se mortificari, ut homo possit a periculo eterne mortis liberari. Deus autem incorruptum eum conservavit et tercia die ipsum a morte resuscitavit.

De ascensione. In precedenti capitulo audivimus de gloriosa Christi resurreccione. Consequenter audiamus de admirabili ejus ascensione. Christus resurgens ex mortuis non statim ascendit sed xl[a] dies manens pluries se ostendit, xl[a] die bis se discipulis demonstravit et ipsis videntibus per nubem candidam celos penetravit. Discipuli autem stabant et post ipsum in celum aspexerunt, et ecce duo angeli juxta in albis vestibus steterunt, qui dixerunt Jhesum sic ad judicium debere venire, quod ammodo videbant eum in celum ire. Hanc enim ascensionem in celum Christus pernotavit, quando parabolam de ove perdita et reinventa presentavit. Dixit enim de quodam qui de centum ovibus unam amisit, et dimittens nonaginta novem in deserto ad querendum istam ivit. Quam cum invenisset, multum exultabat et in humeris suis ipsam ponens in domum suam reportabat, convocabatque amicos suos, gaudium suum illis indicavit

et eos ad congaudendum sibi sollicite incitavit. Per istum hominem Deus est designatus, qui pro nostra salute homo fieri est dignatus. Per centum oves debemus intelligere novem choros angelorum. Ex hiis una ovis perdita est et periit, quando homo mandatum Dei transgressus fuit, eterna morte interiit. Deus autem novem choros angelorum in celo dimisit et veniens in hunc mundum hominem perditum quesivit.

Per xxxtres annos quesivit et in tantum se fatigavit, quod de toto corpore ejus sudor sanguineus emanavit. Vide, homo, quantum te invenire cupiebat, qui cum tanto dolore et tam longo tempore te querebat. Inventam autem ovem super humeros suos posuit et portavit, quando crucem pro peccatis nostris humeris bajulavit. Attende, homo, quod non solum habuit fatigacionem in te querendo, sed eciam usque ad mortem liberavit **[246v:]** te in celum referendo. Amicos suos ad congratulandum sibi invitavit, quando hodie cum homine ascendit et omnem celi curiam letificavit. O homo, si cupis Deum et omnem celi miliciam letificare, studeas vitam tuam emendare. Lacrime enim peccatorum veraciter contritorum vinum et cicera sunt omnipotentis Dei et sanctorum. Pura confessio peccatorum et devota oracio sunt Deo et sanctis cymbala bene sonantia et cytharizacio.

De spiritus sancti missione. In precedenti capitulo audivimus de Christi ascensione. Consequenter audiamus de sancti spiritus missione. Quando tempus passionis Christi appropinquavit, ipse discipulos suos multis sermonibus confortavit. Primo dixit eis passionem, resurreccionem, ascensionem et spiritus sancti missionem. Modicum vobiscum, inquit, sum et ad patrem ibo. Vadam in celum parare vobis locum, et tunc veniam et accipiam vos ad meipsum. Vos estis, qui in temptacionibus mecum permansistis, et ideo in regno meo edere et bibere meruistis. Manete in dileccione mea, et ego in vobis manebo. Et si per humanitatem abiero, per divinitatem semper vobiscum ero. Sicut palmes non potest ferre fructum nisi manserit in vite, sic nec vos poteritis facere nisi manseritis in me. Ego sum vitis, vos autem palmites estis. Si in me manseritis, multum fructum facere potestis. Vos estis palmites et ego sum vitis vera. Omnem palmitem in me non ferentem fructum amputabit et in ignem inferni eternaliter jactabit. Palmitem autem ferentem fructum purgabit, et sic majorem fructum portabit.

Mundus quidem gaudebit, vos autem contristabimini sed tristicia vestra convertetur in gaudium. Mulier, cum parit, tristiciam habet. Cum autem peperit filium, omnem tristiciam oblivioni tradet. Sic et vos quidem in hac vita tristiciam patiemini, sed in futuro omnem tristiciam

obliviscimini. Sed quia hoc de recessu meo locutus sum, tristicia implevit et conturbavit cor vestra. Scitote quod expedit vobis, ut ego ad patrem vadam et alium paraclitum sc. spiritum sanctum vobis mittam. **[247r:]** Si enim non abiero, paraclitus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos. Si autem veniet iste, docebit vos omnem veritatem, et tunc cor vestrum de ipsius consolacione gaudebit. Ipse vos de omnibus informabit, et que ventura sunt vobis annunciabit.

Hiis et multis aliis verbis discipulos consolabatur, et spiritum sanctum se ipsis missurum pollicebatur. Cum autem ascenderit, dixit eis quod in Jherusalem residerent, quousque spiritum sanctum paraclitum acciperent. Omnes igitur de monte Oliveti civitatem intraverunt et in quodam cenaculo simul in oracione perseveraverunt. In die autem pentecostis 3[a] diei hora audita est supra cenaculum vox venti valde sonora, in tantum sonora quod per totam civitatem audiebatur, et totus populus pre nimio stupore illuc congregabatur. Viderunt autem super caput cujuslibet quasi linguam igneam. Judei illo tempore in diversis regionibus dispersis erant et tunc ordinante Deo de qualibet regione aliqui convenerant, et isti audierunt eos loquentes variis linguis, prout spiritus sanctus dabat eloqui illis. Singuli linguas, in quibus nati erant, audiebant et nimis admirabantur super hoc et stupebant. Quidam autem de tam evidenti miraculo doluerunt, et ipsos musco plenos et ebrios esse dixerunt. Petrus autem respondens dixit eis: Adhuc jejunare oportebat, quia hora 3[a] est, et ad bibendum nimis mane erat. Adjecitque quod nunc prophecia esset impleta, quam per spiritum sanctum dixerat Joel propheta [2,29], quod sc. *servi et ancille Domini spiritum sanctum essent accepturi*, et tamquam propheta diversas linguas locuturi. Et hec verba bis ista die implebantur, quia tam mulieres quam viri variis linguis loquebantur.

De sancta conversacione virginis gloriose. In precedenti capitulo audivimus de sancti spiritus missione. Consequenter audiamus de beate virginis sancta conversacione. Post ascensionem Domini beata virgo in Jherusalem habitavit, omnia loca **[247v:]** filii sui, que atangere potuit, devote visitavit et pre dulcedine amoris singula osculabatur, cum genibus flexis et oracionibus venerabatur. Multa lacrimarum effusione ipsa loca irrigebat, quando mellifluam filii sui presenciam recogitabat. Visitavit in Nazareth locum concepcionis, in Bethlehem locum generacionis et adoracionis. In monte Thabor locum transfiguracionis, in Jherusalem singula loca contumelie et passionis. Item visitavit montem Sion, ubi pedes discipulorum lavit et sacramentum eucaristie primitus instauravit. Item

visitavit villam Gethsemani, ubi in horto sanguinem sudavit, ubi eum Judas tradidit et turba captivavit. Item domum Anne cui primo fuit presentatus, ubi alapham servi primo suscepit et in multis est accusatus. Domum Caiphe ubi fuit consputus et velatus, illusus, alaphis cesus et colaphizatus. Domum Herodis ubi fuit pro derisu veste alba indutus, ab Herode et exercitu suo despectus et illusus. Pretorium Pilati ubi fuit false accusatus, flagellis cesus et corona spinea coronatus. Locum Gabata, qui eciam Lycostratos appellari consuevit, ubi Pilatus condempnans Jhesum sedit pro tribunali. Viam illam cum luctu consequebatur, ubi bajulans crucem ad mortem ducebatur. Item locum Calvarie qui Golgota dicebatur, ubi crucifixus aceto et felle potabatur. Hortum Joseph ab Arimathia ubi erat sepultus, et montem Oliveti ubi tandem in celum est assumptus. Item templum et alia loca ubi Christus predicavit et docuit, et locum ubi post resurreccionem suam apparuit.

Omnia hec loca et plura alia cum lacrimis visitavit et absenciam filii sui lacrimabiliter deploravit, et dolere quam gaudere ipsa maluit, quamdiu presencia filii sui caruit. Predictus dolor Marie eciam in evangelio notatur, ubi parabola de muliere querente dragmam recitatur. Que habens x dragmas unam amisit et accendens lucernam eam diligenter quesivit, et cum invenisset eam, gavisa est maxime et exultabat, et vicinas suas **[248r:]** ad congratulandum invitabat. Per hanc mulierem virgo Maria designatur, que in hoc mundo x dragmas habuisse comprobatur, de quibus videtur unam aliquando amisisse et alias novem sibi semper retinuisse. Novem dragme sunt presencia spirituum beatorum, qui semper ad eam veniebant de novem choris angelorum. Decima fuit presencia humanitatis salvatoris, quam amisit quodammodo sc. in die ascensionis. Hanc valde et diligenter multis annis quesivit, quando omnia loca filii sui cum luctu circuivit. Tandem invenit eam in sua assumpcione, quando dotata est eterna Christi fruicione. Lucernam eciam, quando eam quesivit, accendit, per quam designatur bonum exemplum quod ostendit. Nam conversacio ejus sancta tamquam lucerna ardebat et cunctis exemplum in viam vite ostendebat. Predicta ergo loca debemus exemplo ejus perambulare, et passionem Christo recolendo ferventer deplorare, quod si nequimus ea perambulare corporaliter, perambulemus saltem devoto corde spiritualiter.

In precedenti capitulo audivimus de beate virginis conversacione. Consequenter audiamus de ejus felici assumpcione. Quantum tempus Maria supervixit post Christi ascensionem, de hoc non habemus certam determinacionem. Quidam dicunt xii annos, quidam vero plus. Sed xxiiii

annos dicit sanctus Epiphanius, et quamvis istud tempus determinative non habemus, tamen hoc pro certo credere et dicere audemus quod si tantum modo per horam unam lustrum fuisset sibi visum. Jacob 4[or] annos grave servitus et laboris reputavit paucos dies pre magnitudine amoris. Sic Maria absenciam filii sui per unam horam pre magnitudine amoris reputavit lustri moram. Anime enim desideranti brevis hora longa videtur, et pro isto, quod desiderat, graves labores non veretur. Tanto amore Maria presenciam filii desideravit, quod omnes hujus vite labores nihil penitus reputavit. Quod autem Dominus eam tamdiu in mundo relinquebat, hoc pro consolacione discipulorum suorum faciebat, et ut quilibet homo per hoc factum consideret, quod per multas tribulaciones regnum celorum oportet intrare. Respice Mariam **[248v:]** et ejus filium. Adverte Christi passionem et matris ejus exilium. Respice apostolos et omnes amicos Christi, adverte quantas tribulaciones sustinuerunt ipsi. Respice Johannem inter natos mulierum majorem, et hoc recogitando levius ferres tuam tribulacionem. Non reputes sine tribulacione posse coronari. Ex quo Deus matrem suam permisit tamdiu exulari, peracto igitur in hac miseria longo exilio, assumpta est Maria a suo dilectissimo filio.

Hec assumpcio beate virginis olim fuit prefigurata, quando arca Domini in domum regis David est translata. Rex David coram arca Domini gaudens cytharizavit, eam cum magno jubilo in domum suam deportavit. In arca ista manna celi continebatur, et convenienter per eam beata virgo designatur. Nam panem celi ipsa mundo generavit sc. Christum, qui nos suo sacramento cibavit. Arca ista de ligno setim imputribili erat facta, figurans quod Maria in putredinem non est redacta. Licet scriptura non dicat, tamen secure credi potest quod Maria cum corpore et anima in celum est assumpta.

Non est credendum quod Maria mortua non fuerat, sed mortua est. Verumtamen caro ejus non computrivit. Anima conjuncta est corpori mortuo iterato, et ita assumpta est in celum cum corpore glorificato. Rex David, qui coram arca Dei subsiliendo cytharizavit, regem celi et terre sc. Christum prefiguravit. Credendum enim est quod Christus matri sue occurrebat personaliter et cum magno jubilo in domum suam recipiebat, et divinis osculis matrem dulcissimam est osculatus, quod videntes angeli admirantes stupebant et pre admiracione invicem dicebant [Cant. 8,5]: *Que est ista, que ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum tamquam sponsa blandiens.* Ad hoc respondit Maria, sponsa filii Dei vera, [Cant. 3,4]: *Inveni,* inquit, *quem quesivi, et quem diligit anima mea. Tenebo eum nec unquam dimittam eum* tamquam sponsum, tamquam

filium, tamquam patrem **[249r:]** meum. Osculabatur me osculo oris sui, ut possim ejus dulcedine frui. [Cant. 2,6:] *Leva ejus sub capite meo et dextra illius amplexabitur me*, quia secura sum quod numquam repellit me a se.

Hec autem assumpcio Marie jam prefata fuit eciam Johanni in Pathmos insula demonstrata. Signum enim magnum in celo apparebat. Nam mulierem quandam in celo admirabilem videbat. [Apoc. 12]: *Mulier illa sole circum amicta erat,* quia Maria circumdata divinitate in celum ascendebat. *Luna sub pedibus ejus* esse videbatur, per quod stabilitas perpetua Marie designatur. Luna instabilis est et non diu persistit plena, et designat mundum istum et omnia terrena. Hec instabilia Maria contempnens sub pedibus calcavit et ad celum, ubi omnia stabilia sunt, anhellavit. *Coronam eciam mulier in capite habebat, que in se stellas xii continebat.* Corona consuevit esse honoris signum et signat honorem Marie virginis condignum. Per xii stellas intelliguntur omnes apostoli, qui in decessu Marie omnes affuisse creduntur. *Mulieri sunt date* ad anhelandum *due ale*, per quas intelligitur assumpcio tam corporis quam anime.

In precedenti capitulo audivimus quomodo beata virgo assumpta fuit. Consequenter audiamus quomodo ipsa mediatrix intervencionibus nostra existit, quomodo iram Dei contra mundum placare non cessat et peccatores suis piis intervencionibus Deo reconsiliat. [1. Joh. 5,19:] *Mundus enim iste totus positus est in maligno.* Ubique enim jam caritas et veritas periclitantur. Superbia et avaricia et luxuria dominantur. Hiis tribus viciis mundus jam repletus esse videtur, et racio est que de hiis innoxius esse videtur. Quidam autem fugiunt luxuriam tenentes castitatem, qui tamen sordidantur per avaricie cupiditatem. Quidam fugiunt avariciam tenentes paupertatem, qui tamen maculantur per superbie vanitatem. Quidam fugiunt superbiam tenentes humilitatem, qui tamen peccant per luxuriam vel cupiditatem. Quidam licet non luxuriantur facto et opere, tamen luxuriantur cogitacione et locucione. Casti esse volunt et tamen de carnalibus confabulantur, in auditu **[249v:]** et visu carnalium delectantur. Quidam licet non superbiant per apparatum exterius, habent tamen humane laudis appetitum interius.

Quidam detestantur avariciam eligentes paupertatem, qui tamen multa appetunt et habent supra suam necessitatem. Quidam volunt esse pauperes, sed sine defectu. Quidam volunt esse humiles, sed sine despectu. Superbia igitur, avaricia et luxuria omnium peccatorum sunt inicia. Superbia ejecit summum angelum de summo celo, hominem de paradiso,

Nabuchodonosor de regno. Avaricia Achior et Naboth lapidavit, Ananiam et Saphiram subitanea morte necavit. Luxuria totum mundum per aquam submersit, Sodomam et Gomorram per ignem subvertit. Quotidie irritatur Deus contra mundum per hec tria, sed placat iram ejus mediatrix nostra virgo Maria.

Istud patet in quadam visione et sompnio autentico, quod divinitus ostensum fuit sanctissimo patri Dominico beato. Vidit siquidem Deum dextram manum elevasse et tres lanceas contra mundum irato vultu vibrasse. Statim intervencionibus iram ejus mitigabat. Duos pugiles strenuissimos sibi offerebat, quos ad conversionem peccatorum in mundum mittere volebat. Unus erat beatus Dominicus pater fratrum predicatorum, alter vero beatus Franciscus pater fratrum minorum. Per hanc beatam visionem Dominus mundo innotuit quod Maria mediatrix inter Deum et mundum existit.

Prima figura. Quod autem Maria virgo mediatrix nostra futura erit, hoc olim per tres figuras prefiguratum fuerat. Primo per Abigail uxorem stulti Nabal de Carmelo, que placavit regem David sauciatum furoris zelo. Stultus enim iste Nabal per suam stulticiam provocavit contra se regis David inimiciciam. [Eccles. 1,15:] *Stultorum infinitus est numerus.* Hoc verbum dicit sapiens de hujus mundi peccatoribus. Que enim major potest inveniri stulticia quam pro vilissimo peccato venditur sempiterna leticia. Hoc faciunt hujus mundi peccatores stulti, de quorum numero heu hodie reperiuntur multi. Nonne omnes stulti et stultissimi sunt, qui plasmatori et creatori suo contradicunt. [Is. 45,9:] *Ve*, juxta prophetam, **[250r:]** *qui contradicunt factori.* David in furore suo sepe necaret, si nostra Abigail sc. Maria virgo iram ejus non placaret.

2[a] figura. Istud eciam sapiens thecuitis ista mulier prefiguravit in Absolon fratricidam, que patri suo reconsiliavit. Per istum fratricidam sc. Absolon intelligitur hoc loco voluntarius peccator. Qui enim audacter contra Deum peccat, fratricida dicitur, quia fratrem suum sc. Dominum Christum rursus crucifigere nititur. Postquam Absolon ausus est fratrem suum necare, numquam potuit in terra promissionis habitare. In Jessu sc. in terra gentilium commoratus est, quousque per mulierem thecuitem est patri reconsiliatus. Sic peccator post peccati mortalis perpetracionem nullam mansionem habet in terra promissionis eterne, quousque reconsilietur Deo per mulierem thecuitem sc. per Mariam mediatricem piam et mitem.

3[a] figura. Hec beatissima mediatrix jam prefata eciam fuit per mulierem prudentem in Abela prefigurata. Siba filius Bocri erexit se contra dominum suum David et contradicens ei urbem Abelam intravit.

Quapropter Joab princeps milicie David urbem obsedit et propter Sibam ipsam urbem evertere satagebat. Fuitque in ea mulier sapiens, que per suam sapienciam furorem predicti principis convertit in clemenciam. De cujus consilio caput Sibe amputaverunt et extra murum projicientes liberati fuerunt. Siba contra regem se erigens vicium superbie designat, quod in Abelam urbem sc. animam peccatoris intrat, et princeps milicie celestis contra eam indignabatur, donec per mulierem sapientem sc. Mariam reconsiliatur. De cujus consilio debet homo caput Sibe sc. superbie amputare, ut sic possit graciam principis superni sc. Christi recuperare. O bone Jhesu, doce nos vicia taliter vitare, ut tecum in perenni gloria mereamur habitare.

**[250v:]** In precedenti capitulo audivimus quomodo Maria est nostra mediatrix. Consequenter audiamus quomodo eciam est nostra defensatrix. Defendit enim nos a Dei vindicta et ab ejus indignacione, a diaboli infestacione et a mundi temptacione. Per Mariam enim protecti sumus a Dei indignacione.

Prima figura. Quod figuratum est in Tharsis filia regis Saba et Moise. Moises cum exercitu egypticorum urbem Saba obsedit, nec erat aliquis, qui hanc obsidionem dissolvere suffecit. Tharsis autem filia regis in eadem urbe habitavit, que urbem ab obsidione hoc modo liberavit. Moises erat amabilis valde et pulcher conspectu, quem filia regis de muro contemplabatur crebro respectu, et in tantum pulchritudo Moisi sibi complacuit, quod eum sponsum habere satagebat. Tandem patri suo desiderium suum aperuit et se Moisen principem exercitus diligere asseruit. Placuit hoc regi et complevit filie sue voluntatem, dans Moisi filiam et cum ea ipsam civitatem. Et sic cum adjutorio Tharsis et ejus consilio liberati sunt inclusi, et dissoluta est obsidio. Per pulchrum Moisen et amabilem Deus designatur, qui in Ps. [44,3]: *speciosus forma pre filiis hominum* presentatur.

Iste provocatus fuit ad iracundiam contra mundum propter transgressionem Ade et Eve primorum parentum. Quapropter exercitu egypticorum sc. demonum mundum vallavit, et hec obsidio plus quam quinque milibus annorum duravit, et nullus inventus est in mundo qui ad hoc sufficeret ut iram Dei placaret et obsidionem dissolveret. Tandem adamavit eum sc. Moisen filia regis sc. Maria, et mitigavit iram ejus sua pia intervencione, quia facta est regina celi.

In precedenti capitulo audivimus quomodo Maria est nostra defensatrix et nostra mediatrix. Consequenter audiamus quomodo Christus ostendit pro nobis sua vulnera patri suo, et Maria ostendit filio suo pectus et ubera. Sicut enim Christus descendit propter nos de celo usque ad infernum, ita reascendit in celum ut exoraret pro nobis usque in sempiternum. Et ideo si peccamus, desperare non debemus, quia fidelem advocatum apud Deum habemus. Quod autem Christus vulnerum cicatrices patri monstrare volebat, **[251r:]** hoc olim per quandam figuram preostensum erat. Antipater miles delatus fuit imperatori Julio, qui infidelis et inutilis fuisset romano imperio. Quapropter iste se exuens nudus coram imperatore assistebat et ei cicatrices vulnerum suorum coram omnibus ostendebat. Dixitque quod non esse opus se verbis expurgare, cum cicatrices viderentur ejus fidelitatem acclamare. Quod videns cesar excusacionem ejus approbabat et eum fidelem militem et strenuum affirmabat.

Pulchre Christus prefiguratus fuit per istum Antipatrem, quia ipse semper pro nobis stat ante patrem suum et cicatricibus suis ostendit se strenuum militem fuisse et mandatum patris ejus tamquam fidelis miles complevisse. Quapropter Deus tam fidelem militem non cessat honorare, et quodcunque petierit, paratus est ei dare. Quam fidelis et strenuus miles Christus fuit, hoc in cicatricibus suis et in cruentantibus apparebit vestibus. Omnia ejus indumenta erant sanguinolenta sicut uvas calcantium vestimenta.

Ideo querebant angeli [Is. 63,2-3:] *Quare vestimentum ejus erat rubrum sicut in torculari* uvas *calcantium*. Qui respondit, quod *torculare probacionis ipse solus calcasset, et de omnibus gentibus vir secum non fuerat*. Et notabiliter dixit quod nullhs virorum secum fuerat, quia tantum unica virgo sc. Maria secum permanserat. Miles iste sc. Christus factus est more alamanico, ubi in creacione militis solet dari ictus in collo, sed miles iste Christus non suscepit tantum colaphum unum sed colaphorum et alapharum quasi infinitum numerum. Dextrarius ejus erat asinus cui insedit in die palmarum. Campus prelii in quo pugnabat, erat mons Calvarie. Hasta ejus fuit Longini militis lancea. Corona de acutissimis spinis erat sibi pro galea. Signum sive ornamentum galee fuit tabula tituli. Balteus ejus erat ligamenta et funiculi, patibulum crucis habebat pro clipeo et scuto. Pro calcaribus usus est uno clano ferreo. Lorica sua qua totum corpus tegebatur, erat cutis propria que in flagellacione totaliter concutiebatur. Gladius **[251v:]** suus erat sancta ejus doctrina quam docebat, et pro cyrothecis manuum duos clanos ferreos habebat. Armiger ejus erat

beatissima virgo Maria, que omnia arma ejus gerebat compassione pia. Vexillum sc. predicti militis Christi duorum erat colorum, quia in parte erat candidum et in parte rubicundum. Erat autem factum ex alba veste qua illusus fuit ab Herode, et coccinea in qua illusus fuit et coronatus.

Cum predictis armis miles iste tam fideliter pugnavit, quod per mortem suam omnes inimicos suos superavit. Post hec cum triumpho victoriosus in celum ascendit, et patri suo cicatrices vulnerum pro nobis orans ostendit. Et si quis ergo peccaverit, licet innumerabiliter, tamen non diffidat sed in hunc fidelissimum intercessorem confidat. Si enim in patrem vel in spiritum sanctum peccavimus, Christus potest nos reconsiliare, et in hoc non diffidamus, et si peccavimus in filium sc. in Jhesum Christum, habemus advocatum fidelem, qui intercedat pro nobis apud ipsum.

Nota Christus ostendit patri cicatrices vulnerum, que toleravit. Maria ostendit filio ubera, quibus ipsum lactavit. Sicut ergo Christus convenienter potest Antipater appellari, ita Maria competenter potest Antifilia nuncupari. O fidelissime Antipater et o fidelissima Antifilia, quam summe sunt nobis miseris necessaria nostra auxilia. Quomodo possit ibi esse aliqua negacio, ubi tam dulcissima est supplicacio. Quomodo enim potest clemens pater talis filii preces removere, quem videt propter mandatum suum tales cicatrices habere. Quomodo possit talis filius tali matri aliquid negare, quos constat mutuo tamquam seipsos amare. Nulli dubium quin Deus semper exaudiat Mariam, quam pre omnibus mortalibus constituit celi reginam.

In precedenti capitulo audivimus quomodo Christus pro nobis non cessat orare. Consequenter audiamus quam districte vult in judicio judicare, et hoc Christus in quadam parabola proponebat, quando in hoc mundo predicando turbas docebat. Dixit enim de homine volente in regionem longinquam ire accipere sibi regnum et iterato redire, qui tradidit servis suis decem minas, ut cum eis lucrarentur et, quando rediret, cum lucro sibi redderentur. Abiit igitur et accepto regno rediit et ab unoquoque minam suam cum lucro repetiit. Qui multum acquisierat, illi multum remuneravit. Qui autem minus illi mercedem minorem redonavit. Illi vero qui minam suam sine lucro restituit, **[252r:]** non contentus in hoc pro lucro neglecto punivit. Hoc modo Christus in die judicii judicabit, quia secundum quantitatem lucri unumquemque remunerabit. Qui autem nil fecerit, non solum nihil recipiet sed et suam negligenciam in inferno perpetuo luet. Non enim satis est quod homo peccata dimittat, sed oportet

eciam ut bona opera faciat. Austerus judex metet, ubi non seminavit, quia eciam a paganis querit bona opera extorquere, quibus nullus predicavit. Quanto magis a christianis vult bona opera, quibus tot salutaria documenta dignatus est exhibere. Christus ostendit peccatoribus vulnera et passionis arma, ut videant quanta pro eis sustinuit tormenta.

Omnia enim arma Christi contra peccatorem stabunt, et omnia vulnera ejus super eum vindictam clamabunt. Omnes creature ad impugnandum eum armabuntur, et omnia elementa contra eum querulabuntur. Terra querulabitur quod ipsum portavit et fructibus pavit, et ipse tamquam sterilis arbor eam inutiliter occupavit. Ignis querulabitur quia calorem et lumen sibi prebebat, et ipse iterum verum lumen creatorem suum agnoscere nolebat. Aer querulabitur quod ad spiramen ejus semper fuit paratus, et ipse de tanto beneficio Deo suo erat ingratus. Aqua querulabitur quod eum potavit et eum piscibus satiavit, et ipse creatori suo servire et gracias agere recusavit. Et ipse propter Dei sui presenciam peccare non timuit.

Mater misericordie, que nunc omnibus peccatoribus est parata, tunc nullius erit adjutrix nec advocata. Piissimus Jhesus, qui mortem pro peccatoribus suscepit, tunc de interitu et dampnacione eorum ridebit. Demones omnia peccata quantumcunque occulta denudabunt, et angeli omnia bona neglecta ibi recitabunt. Christus nunc piissimus est, tam districte judicabit, quod nec propter preces nec propter lacrimas aliquorum sentenciam mutabit. Si enim Maria et omnes sancti flerent, unam animam dampnatam liberare non valerent. Semita districti judicis in x virginibus demonstrantur, de quibus in evangelio quedam parabola recitatur. Prudentes virgines fatuis oleum dare noluerunt, quo invenitur quod sancti dampnatis in nullo condolebunt. Oleum misericordie ipsis dare omnino negabunt, et de vindicta in eos facta letabuntur et exultabunt. Prudentes eciam virgines fatuas subsannabant **[252v:]** et deludebant, quando eas ad venditores olei ire videbant.

Ita sancti tunc dampnatos videntur illudere, ut eos ad venditores olei mittere quasi velint dicere: Vos vendidistis eterna gaudia pro voluptate vana. Ite modo ad venditores olei et emite vobis alia. Omnes eleemosynas et bona, que aliquando fecistis, pro laude humana et vana gloria vendidistis. Quid prodest vobis nunc superbia vestra et gloria vana? Ubi est nunc placencia vestra et laus humana? Videte nunc quantum valerent vobis bona, que vendidistis, et quantum prosunt vobis omnia transitoria, que recepistis. Omnes enim fatue misericordiam in prudentibus non inveniebant. Apud sponsum misericordiam querebant et sibi aperire

petebant, nullam vero misericordiam apud ipsum invenerunt, sed [Mat. 25,13:] *Amen dico vobis, nescio vos*, ab ipso audierunt. Ita contigit in die judicii ipsis peccatoribus. Non invenient misericordiam apud Deum nec apud sanctos ejus. De extrema examinacione.

In precedenti capitulo audivimus de extrema examinacione. Consequenter audiamus de bonorum et malorum remuneracione. Deus nunc clementissimus est in collacione beneficiorum, sed in futuro justissimus erit in retribucione stipendiorum. Quia igitur homo meruit vel demeruerit, anima simul cum corpore ideo in futuro punietur vel remunerabitur simul in utroque. Corpora enim cum animabus suis remunerentur et simul remunerabuntur vel simul punientur. Corpora malorum resurgunt deformia et passibilia, corpora vero bonorum resurgunt pulchra et impassibilia. Cum tanta deformitate corpus dampnati resurget, quod propriam manum vel pedem videre abhorrescet. Quanto crimina malorum fuerint abominabiliora, tanto erunt corpora eorum deformia, et quanto fuerint merita justorum plura et majora, tanto erunt corpora eorum pulchra et clariora. Corpus unius pueri, quod in celo fuerit, septempliciter clarior sole erit. Si aliquis fuerit in decuplo eo sanctior illius corpus erit in decuplo clarior. Si aliquis centies eo sanctior fuerit illius corpus centies eo clarior **[253r:]** erit. Et si aliquis fuerit millesies sanctior illius corpus millesies erit clarior. Et sicut Christus infinities est aliis sanctis sanctior, ita infinities ejus corpus est omnibus sanctis clarior.

Corpora sanctorum in futura vita glorificabuntur et 4$^{or}$ dotibus a Deo dotabuntur. Prima dos est claritas, 2$^{a}$ impassibilitas, 3$^{a}$ subtilitas, 4$^{a}$ est agilitas. Hee dotes jam infra pretaxate olim fuerunt in corpore Christi quodam modo prefigurate. Claritatem enim ostendit in sua transfiguracione, quando facies ejus resplenduit clarior sole. Subtilitatem ostendit in sua nativitate, quando natus fuit de matre salva virginitate. Agilitatem eciam tunc demonstravit, quando super undas maris suis pedibus ambulavit. Impassibilitatem quodam modo ostendit in ultima cena, quando corpus suum discipulis comedendum dedit.

Anime eciam beatorum dotabuntur triplici dote videlicet cognicione, dileccione et comprehensione. Anime autem et corpora malorum non dotabuntur, sed sine intermissione eternaliter cruciabuntur. Sicut enim peccaverunt contra Deum suum eternum, ita punientur a Deo in inferno in sempiternum. Dampnati numquam habebant de peccato suo veram penitenciam, et ideo Deus numquam mutabit punicionis illius sentenciam.

Tam magna et tam inenarrabilis est pena inferni, quod nulla pena hujus mundi potest ei comparari.

Omnia tormenta que martyribus sunt illata, quasi nihil sunt penis infernalibus comparata. Isaias fuit secatus, Jeremias lapidatus, Amos per tympanam transfixus, Ezechiel excerebratus, Paulus ter virgis cesus, senia lapidatus et decollatus. Sanctus Jacob martyr, qui dicitur intercisus, membratim fuit cultris et novaculis divisus. Bartholomeus excoriatus, Petrus apostolus crucifixus, Laurencius assatus, Petrus martyr gladio transfixus. Et si possum hoc modo singula tormenta martyrii enarrare, tamen omnia non possunt minime pene inferni comparari. Omnia autem ista tormenta sunt transitoria et brevia, sed tormenta **[253v:]** dampnatorum infinita et perpetua. Uruntur enim igne, qui numquam extinguetur, et roduntur verme, qui numquam morietur. Vermis iste non est putandus materialis, quia ibi non erat vita alicujus animalis. Vermis igitur remorsus consciencie, qui mordebit animas dampnatorum sine fine. Ibi erit aspectus demonum, frigus intolerabile et stridor dentium, fames et sitis, clamor et horror, timor et tremor, vincula et carcer, sulphur et fetor, invidia et malediccio, fumus et tenebre, pudor et confusio, lamentacio et lacrime, desperacio liberacionis et omnis consolacionis, nulla intermissio continue punicionis.

In precedenti capitulo audivimus de penis dampnatorum. Consequenter audiamus de gaudiis beatorum. Gaudia beatorum tam multa sunt quod nequnt numerari, tam magna et tam immensa sunt quod nequnt mensurari, tam ineffabilia sunt quod nequnt enarrari, tam durabilia sunt quod nequnt terminari. Gaudia [1.Cor. 2,9:] *que Deus diligentibus se preparavit, oculus non vidit nec audivit, nec cor cogitavit.* Ibi est omnis pulchritudo et amenitas objecta visui, ibi est omnis harmonia et melodia resonans auditu, ibi est omne delectamentum sufficiens olofactui, ibi est omnis suavitas delicias prebens tactui, ibi est omnis dulcedo influens gustui. Ibi est perfectissimum vinculum amoris mutui, ibi cognoscemus Dei patris potenciam, filii sapienciam, spiritus sancti benignissimam clemenciam, ibi erit omnium bonorum continua affluencia, ibi erit omnium malorum absencia. Ibi erit requies eterna sine labore, ibi erit pax et securitas sine terrore, ibi demonum nulle erunt insidie neque impugnacio, ibi neque mundi neque carnis erit temptacio, ibi erit sapiencia et sciencia sine ignorancia, ibi erit amicicia et caritas sine invidencia, ibi erit sanitas perpetua sine egritudine, ibi erit fortitudo stabilis sine lassitudine, ibi erit lux perpetua et claritas sine nubilo, ibi erit leticia eterna jugiter in jubilo,

ibi erit pulchritudo et decor sine deformitate, ibi erit agilitas et velocitas sine tarditate, ibi erunt divicie et potencie sine defectu, ibi erunt **[254r:]** gloria et honorificencia sine defectu, ibi est flos juventutis, qui numquam marcessit, ibi deformitas videretur pulchritudo Absolonis, ibi stulticia reputaretur prudencia Salomonis.

Ibi sciencia Aristotelis et philosophorum esset rusticitas, ibi manna et vinum factum in Cana esset acerbitas. Ibi paradisus Ade in terra promissionis esset desertum, ibi delicie Ecclesiastes[?] et totius mundi esset absintium, ibi regnum Octaviani esset carcer et exilium, ibi eris, o homo, ditior et potentior Croiso et Augusto, Cyro, Nabuchodonosor, Balthazar et Alexandro. Ibi eris fortior Sampsone, Samgar et Abizai, ibi eris pulchrior Absolone, Joseph, Moise, Judith, Susanna, Rebecca, Sara et Raguele. Ibi eris longevior Enoch et Helia et Mathusale, ibi eris Salomoni sapientior et Augustino, Gregorio, Jheronimo et Ambrosio et Thoma de Aquino, contemplaris clarius quam Petrus, Johannes et Jacob, Ezechiel, Moises, Isaias et Stephanus.

Figura hujus eterne glorie potest Salomonis gloria esse, quia nullum legimus in tanta gloria vixisse, nullum invenimus tantis fruitum deliciis, nullum longius tantas habuisses divicias. Regina Saba audita ejus fama Jherusalem perrexit et visa ejus incredibili gloria pre stupore dixit: [3.Reg.10,6-7?] *Major est gloria tua quam rumor, quem audivi, et probavi quod media pars non est nunciata mihi*. Ita fatebitur anima, cum ad celestem gloriam pervenerit, quod media pars immo millesima sibi narrata non sit. Universa terra desiderabat videre faciem Salomonis, et hoc bene videtur prefigurasse in faciem salvatoris. Omnis enim jocunditas et gaudium celi consistit in conspectu illius jocundissime faciei. Melius esset anime in inferno eum et eam videre, quam in celo et ejus melliflua visione carere. Anima existens in inferno nullam sentiret penam, si videret istam delectabilem faciem et amenam.

**[254v:]** 2[a] figura hujus glorie potest esse convivium Assueri regis, quia nullum legimus tam solempne convivium habuisse. Ad hoc convivium non solum magnates vocabuntur, sed omnis populus tam viri quam femine invitabuntur. Sic Deus fecit grande convivium et omnes vocat ad se. [Eccli. 24,26:] *Transite,* inquit, *ad me omnes, qui concupiscitis me etc*. Convivium Assueri centum octoginta diebus duravit, sed istud perpetuo durabit, quod Christus nobis preparavit.

In precedenti capitulo audivimus de intolerabili pena dampnatorum et de ineffabili gaudio et premio beatorum. Consequenter audiamus quomodo

penam dampnatorum evadamus[97] et ad gloriam beatorum feliciter pervenire valeamus. Qui ad eternam gloriam beatorum desiderat pervenire, debet Deum ex toto corde diligere et sibi fideliter servire, et quodcunque servicium noverit esse Deo graciosius et acceptius, in eo debet servire sibi frequentius et diligentius.

Quidam homo devotus in cellula sua residebat, qui Domino Deo servire ex toto corde suo satagebat. Hic exorabat Deum devotis et continuis precibus, ut sibi revelaret, quid servicium esset ei acceptius. Quadam vice vidit Dominum Jhesum Christum ad se venientem et magnam crucem in dorso bajulantem et sibi dicentem: Non poteris mihi graciosius et acceptius obsequium parare, quam quod juves me gravem crucem meam portare. Qui respondens: Oro, inquit, Domine mi dulcissime, doce me quibus modis debeo crucem tuam tecum bajulare. In corde, inquit Dominus, per recordacionem et compassionem, in ore per crebram et devotam graciarum accionem, in auribus per penarum mearum ferventem audicionem, in dorso per proprie carnis tue assiduam castigacionem. Ut igitur eternam penam dampnatorum evadere valeamus et ad perpetua beatorum gaudia feliciter perveniamus, salvatori nostro corde, ore et opere gracias agamus, et ad honorem ejus passionis oraciones has dicamus.

---

[97] the same chapter fol. 39r[1]

**Miracula de sancta  cruce sequntur pulcherrima**.

**[255r:]** Apud Constantinopolim judeus quidam ecclesiam Sophie sancte virginis ingressus quandam imaginem Christi ibi aspexit. Qui se ibi solum considerans gladium arripuit et approprians Christum in gutture percussit. Statimque inde sanguis exivit et judei caput et faciem aspersit. Qui territus imaginem accepit et ipsam in puteum precipitavit et statim affugit. Quidam autem christianus eidem obviavit sibique dixit: Unde venis, judee? Aliquem hominem occidisti? Et iste: Falsum est. Cui rursum ille homo dixit: Vere homicidium perpetrasti et ideo sanguine aspersus es. Et judeus: Vere, Deus christianorum magnus est, et fides ejus per omnia firma comprobatur. Nequaquam enim percussi hominem, sed Christi imaginem, et continuo sanguis de ejus gutture emanavit. Duxit autem judeus hominem illum ad puteum, et inde sanctam imaginem extraxerunt. Plaga autem, ut fertur, in gutture Christi adhuc cernitur hodie, et judeus fidelis continuo efficitur.

Apud Syriam in civitate Beruth quidam christianus sub annua pensione hospicium habens imaginem Domini crucifixi contra lectuli faciem in pariete affixerat et ibi oraciones suas continuo fundebat. Post annum vero aliam domum locavit et imaginem ibidem ex oblivione reliquit. Quidam autem judeus predictam domum conduxit et die quadam unum de suis contribulibus ad convivium invitavit. Inter epulas autem ille, qui invitatus fuerat, casu circumspiciens imaginem infixam parieti contuetur. Et in illum, qui se invitavit, ira fervens ait quare imaginem Jhesu Nazareni in domo sua tenere audebat. Ille autem cum adhuc predictam imaginem non vidisset, sacramentis quibus poterat, affirmabat quod illam, de qua dicebat, imaginem penitus ignorabat. Tunc iste pacatus se valefecit et ad principem sue gentis abiens, judeum illum de quo viderat accusavit.

**[255v:]** Judei igitur congregati ad domum ejus convenerunt et visa imagine judeum istum contumeliis duris afficiunt et extra synagogam semivivum abjiciunt, imaginem vero pedibus conculcantes cuncta in ea dominice passionis obprobria revocaverunt. Cum autem latus lancea perforassent, protinus sanguis et aqua ubertim exivit et suppositum vas implevit. Stupefacti judei sanguinem istum ad synagogas detulerunt, et omnes infirmi ex eo inuncti protinus curabantur. Tunc judei episcopo terre omnia per ordinem narraverunt et baptismum et fidem Christi unanimiter susceperunt. Episcopus autem sanguinem istum in ampullis crystallinis

conservavit. Christianum autem illum accersivit et, quis tam pulchram imaginem composuisset, inquisivit.

Et iste dixit: Nichodemus illam composuit, quam minori Gamalieli, Gamaliel Zacheo, Zacheus Jacobo, Jacobus Simeoni dereliquit. Sicque in Jherusalem ad deciduum urbis fuit. Et non nisi a fidelibus in regnum Agrippe delato et inde delato a parentibus meis ad patriam meam ad me jure hereditario deducitur. Factum est autem hoc anno Domini c. Tunc omnes judei synagogas in ecclesias consecraverunt, et extunc hic mos inolevit, ut ecclesia consecretur, quia ante altaria consecrabantur. Propter istud miraculum ordinavit ecclesia v. kalendas decembris memoriam fieri passionis vel, ut alibi legitur, v. idus novembris. Unde racione consecrata est ecclesia in honore salvatoris, ubi ampulla cum isto sanguine reservatur, et solempne festum tunc agitur. Virtus autem sancte crucis eciam apud infideles maxime per omnia comprobatur.

## Excommunicacionis formula lingua danica et latina

I then almectist gwt faderss oc søn oc then hellyand oc allæ apostelæ oc allæ gwts helliænss wegnæ Wy forbannæ och met bannæ sættæ oc wdløckæ aff then heliæ kyrkenss samfwnd oc allæ etc. Forbannet skal the wær aff gud fader oc søn oc aff then heliand oc aff jomfruæ Maria Jesu Christi moder. Hwylken ther løsedæ werdhen fræ ewynnelic pyna meth syn signt dødh. Forbannet skul the wæræ aff sancte Peder apostell oc aff allæ aposteler, forbannet skul the wæræ aff the fyre evangelistis, forbannet skul the wæræ aff the heliæ patriarchis oc prophetis, forbannet skwl the wæræ aff xxiiii senioribus, hwilckæ ther tiener for gwdh oc lowe gudh medh theris sangh. Forbannet skwle the wæræ aff sancto Stephano oc aff allæ the ther tholde dødh for gwts skyldh. Forbannet skwle the wæræ aff sancto Silvestre oc aff allæ heliæ skrifftefader. Forbannet skwle wæræ aff sancta Maria Magdalena oc aff allæ heliæ quinnr. Forbannet skwl the wæræ aff then lewendæ gwts søn, jomfruæ Marie søn Jhesu Christi war here, hanss heliæ butæls tiilkommede fødels oc omskiærelss, døbelss, fastæ, død, wpstannelss, opfarils tiil hemmell, doom pa dommedagh. Forbannet skul the wæræ aff hemmel ok jorden. Oc aff solen ok aff monen oc aff stierner oc aff watn. Fforbannet skul the wæræ aff gudh, ther allæ tyngh hawer skapt, oc aff the tyngh ther æræ skapt aff gudh. Forbannet

skul the wæræ i hwss oc wdhen hwss, Forbannet skwl the wæræ i kirken oc wdhen kirken. Forbannet skul the wæræ i theris hoor, i hwo de saar, i hynne, i hierneskall, i hiernæ, i øre, i ørelepp, i øwen, i øwenbryn, i øwenlogh, i nesæ, i nesæbalk, i mwndh, i tænder, i tængjordh, i twngh, i gummæ, i howed, i anledæ, i twungh, i haalss, i jessæ, i halsbast, i strubæ, i skwldræ, i arme, i hynder, i allæ fyngr, i bryst, i bagh, i ryg, i rygbeen, i syde, i riffben, i hwdh, i kiøt, i been, i all theris hemmelic lemmer, i liif, i hiert, i hiertrødder, i nawlæ, i lwng, i galdæ, i mylt, i lever, i mawe, i mawehorn, i tarmæ, i allæ theris inwoll, i loer, **[256v:]** i knæ, i knæben, i legh, i bryskæ, i fødder, i alle tarmæ. Forbannet skul the wæræ fra theris fødhers yliæ oc tiil theris howets iesse, innæ oc wdhen. Forbannet skwl the wæræ j alle stedæ, standen, sidden, gangende, liggende, edendæ, drickendæ, wagendæ, sowendæ. Forbannet skul the wæræ i allæ there gierningæ, forbannet met Datan oc Abyron meth theris børn, meth Juda wor herre forrædde, meth Pylato, meth Herode oc meth allæ the ther bradh dødh fyngæ aff werdhen oc fyngæ helweds pynæ. Allæ forbannels huilkæ ære i allæ bøgger skwl kommæ ower thennem oc skal blywæ hoos thennem all tid, alle dagæ oc alle nætter. Theris naffn skal affslettss aff lewendess mænss bøgger oc skul icke scriwess meth retferdigh men.

Pulsentur omnes campane oc et lywss. Soo som thesse lyws wdslwckess oc skilies fræ thet ewynnelic lywss oc ewynnelic gledæ oc allæ gode gierninger i hemmerigh oc alle gode gierninger ther giores, soo wydh som werdhen er. *Deus, laudem meam ne tacueris.* [Ps. 108,2]

Auctoritate Dei patris omnipotentis et filii et spiritus sancti et sancte Marie matris Domini nostri Jhesu Christi et sancti Petri apostolorum principis et omnium sanctorum Dei et sanctarum canonum et septem ecclesie graduum excommunicamus et anathematizamus et a gremio et consorcio et liminibus sancte ecclesie et omnium fidelium Dei separemus illum vel illam, illos vel illas, qui hoc latrocinium, unde querimus, fecit aut consensit aut partem se sciente habuit aut habuerit et [nisi] ad penitenciam et satisfaccionem ad eum cui furatum est, venerit. Maledictus sit in domo manducando, bibendo, stando, sedendo, loquendo, tacendo, vigilando, dormiendo. Maledictus sit in platea, in vico, in fore emendo, vendendo. Maledictus sit in agro omne opus faciendo. Maledictus sit in nocte et in die, eundo et redeundo. Maledictus sit a planta pedis usque ad verticem capitis, nec sit in eo sanitas. Maledicantur omnia interiora ejus et exteriora, corpus et anima. Maledicant ei, qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare leviathan. Maledicantur et absorbeantur a terra sicut absorpti sun

a facie Moisi Dathan et Abiron. Maledictus sit fructus ejus, fiant filii ejus orphani et uxor ejus vidua. Et sit maledictus omnibus annis, omnibus diebus et noctibus vite sue. Anathema sit ei in diem Domini. Sicut fluit cera a facie ignis, sic fluat et pereat a facie Dei. Et sicut hee lucerne extinguntur in nostris manibus, sic extinquitur anima ejus. Fiat, nisi ad satisfaccionem venerit et quod abstulit secum, solvat et restituat.

## Gesta trium regum[98]

Materia trium regum beatorum ex prophecia Balaam sacerdotis Madian prophete gentilis originem sumpsit. Qui tunc plura alia prophetando sicut ait Numeri 24[,17-19]: *Orietur stella ex Jacob, et exsurget homo de Israel et dominabitur omnium gentium,* prout in veteri testamento plenius continetur. Et propter talem prophecíam judei dicunt in libris suis Balaam non prophetam, sed areolum fuisse et arte magica et diabolica prophetasse. Sed libri christianorum dicunt quod Balaam fuit gentilis et primus propheta gentium ex gentibus, et valde gloriose de incarnacione Christi et istorum trium regum adventu prophetavit. Nam si ejus prophecia ex arte magica vel diabolica fuisset, ipsum ad maledicendum populum Israel non prohibuisset, sed magis favisset et ad hoc ipsum magis promovisset. Sed Deus magnam dileccionem et premunicionem per ipsum angelum suum ipsi Balaam signis demonstravit, antequam ipsum per malum consilium suum ad iracundiam provocavit.

Cum tamen post egressionem filiorum Israel de Egypto omnem terram subjugasset sibi, et eorum timor et tremor super omnes gentes in Oriente et per regna cecidisset, et ab omnibus partibus et terris et regnis orientalibus pre illis nullus intrare fuit ausus. Et tunc quidam mons nomine Vaus, qui ibidem victorialis dicitur, in Oriente fuit situs, et adhuc mons Vaus in presentem diem est vocatus. Et super hunc montem primo pro filiis Israel et postmodo pro romanis die ac nocte per speculatores indorum observabantur quotidie, itaque quod quecunque partes regna indorum manu armata intrare proponebant, extunc de nocte per ignem et de die per fumum per speculatores aliorum montium speculantibus in ipso monte Vaus existentibus declamabant et significabant. Nam iste mons Vaus omnes alios montes illarum partium terrarum Orientis et indorum

[98] By Johannes de Hildesheim

altitudine excellebat et excellit. Et tunc visi talibus signis diverse regiones et terre se precavebant vel ad resistendum se **[257v:]** preparabant. Unde dum temporibus illis per Balaam gloriose fuit prophetatum: Orietur stella ex Jacob etc.

Ex hujusmodi prophecia quod homo exsurgeret et dominaretur omnium gentium, omnes majores et universus populus in India et Oriente multum desiderabant, et speculatoribus hujus montis Vaus in muneribus commiserunt et mercede conduxerunt, ut si die vel nocte aliquid sidus vel lumen insolitum aeris celo vel firmamento, remote, longe vel prope discernerent, quod ipsis protinus nunciarent. Et sic de omnibus ipsis communis fama permansit, quod quedam stella per Balaam prophetata super predictum montem Vaus per longa tempora per speculatores exspectaretur, et quanto plus exspectabatur, tanto magis apud indos et caldeos illius stelle fama quotidie accrevit et augebatur et ab omnibus desiderabatur.

Temporibus Ezechie regis p rophetavit Isaias de virginis gloriose partu dicens [Is. 7,14]: *Ecce, virgo concipiet etc.* Et hujus Isaie temporibus idem Ezechias rex Indie [Judee!] egrotavit usque ad mortem, cui cum idem Isaias propheta nomine Domini diceret sibi mortem imminere, extunc Ezechias rex versus ad parietem flevit, non metu mortis sed filio caruit, et promissa Abrahe et prophete Balaam et Isaie in ipso deberent deficere et perire. Unde Dominus ejus misertus est et xv annos vite sue addidit.

Super quod Ezechias signum petiit, quod sol recte deberet descendere versus suum ortum x gradibus, ut habetur 4$^{o}$ Regum 20$^{o}$ et habetur Isaie 38$^{o}$. Quod cum Dominus admisisset, et sol versus ortum per impossibile retrocessit, extunc caldei qui tunc temporis in astrologia multum delectabantur, viso tam raro vere [in]solito signo solis et in celo ultra modo mirabantur, et audita fama quod propter Ezechiam regem Indie [Judee!] hoc signum factum fuit, extunc quam plurima munera miserunt et ipsum adorare proposuerunt. Sed quia Ezechias ex mera sui simplicitate cordis dissimulavit, non dans gloriam Deo sed exinde in aliquam superbiam arrogancie cordis sui fuerit elapsus, quare Dominus contra eum aliquantulum commotus, omnia que caldeis nunciis monstravit in Babilonia, propter hoc debebat Ezechie **[258r:]** regi per eundem Isaiam demandari, prout hoc in biblia plenius continetur. Nam idem rex Ezechias Indie [Judee!] esset natus, et in sole et in celo propter ipsum tam rarum et insolitum signum esset factum, tamen iste non erat ille homo, qui exsurgeret de Israel et dominaretur omnium gentium, prout Balaam prophetavit.

Et est sciendum quod caldei et greci tunc temporis in astrologia multum delectabantur, ita quod ancille domus eciam scirent cursum astrorum et planetarum, et cum hoc quotidie et assidue in Oriente et partibus ultramarinis astrologie communiter insistunt et specialiter reges et principes, qui astrologos et magistros alios in hac parte ceteros de longinquis partibus sub eorum stipendiis vocari faciunt in presentem diem. Ceterum post Ezechiam regnavit Manasses, qui Isaiam interfecit. Post hunc regnavit Josias, cujus temporibus prophetavit Jeremias, et illius temporibus regnavit Joachim, in cujus temporibus Nabuchodonosor et caldei Jherusalem obsederunt et destruxerunt, et omnia vasa et ornamenta de templo Domini et de domo regis, prout Isaias dixit, in Babilonia a Jherusalem, que circa 50 dietas distat, et inde hos captivos deduxerunt, et ibi in captivitate lxx annis permanserunt. Quibus Jeremias propheta misit et dedit librum legis Domini et prophecias, ne obliviscerentur, prout biblia testatur.

Et in hac captivitate prophetavit Daniel sub typo de virginis partu multum gloriose de lapide absciso de monte sine manibus conscidentium, et inter cetera prophetavit judeis dicens [Daniel 9,24]: *Cum venerit sanctus sanctorum, cessabit unccio vestra.* Et extunc Cyrus rex persarum et caldei omnes libros judeorum ex prophecia Isaie, Jeremie, Danielis, Michee, Balaam et aliorum prophetarum de hebraico in caldaicum transscribi et transferri fecerunt et preceperunt, inter quos quamplura invenerunt, que per caldeos et persas secundum ipsas prophecias deberent adimpleri, et specialiter de prophecia Balaam prophete gentilis, qui inter cetera ait: Orietur stella ex Jacob etc. Et has prophecias per judeorum legis doctores, scribas et magistros et inter presides caldei et persi in exspectacione hujus stelle **[258v:]** per Balaam prophetate ardentiores et studiosiores sunt effecti, quod ex magna providencia ad consolacionem et fidem nostram sciamus esse factum, quod Balaam primus propheta gentium ex gentibus eciam per stellam vocacionem gentium prophetavit, cum dixit: Orietur stella etc.

Et hanc vocacionem gentium Dominus per suam nativitatem hos tres reges primicias ipsarum gentium primitus incepit et percepit. Et licet persi et caldei gentiles essent, tamen in hiis libris et propheciis prout in libris judeorum reperierunt nil, hesitabant scientes plenissime quod quemcunque Dominus per suos prophetas promiserit, potens [erit] omne facere et implere. Et extunc xii studiosiores in astrologia et magis doctos in omnibus eorum terris et regnis elegerunt, quos sub magnis stipendiis eorum habuerunt, ex quibus dum aliquem eorum decedere contigerit, alter doctus

et studiosus loco defuncti constitueretur. Et hii xii in monte Vaus, de quo supra dictum, alternatim hanc stellam debebant conservare [observare?] diligenter et exspectare. Verumtamen non stellam sed hominem qui omnium gentium dominaretur, quem stella significaret, anxie exspectabant. Cum autem Dominus misereri vellet, et venisset plenitudo temporis, in qua Deus filium suum unigenitum mittere voluit in mundum de Maria virgine nasciturum, in ipso enim tempore Octavianus Augustus romani imperii et monarchiam per mundum rexit universum. Et anno ejus imperii xlii prout Lucas narrat [2,1], *exivit edictum a cesare Augusto, ut describeretur universus orbis.*

Et est sciendum quod Bethlehem videtur tunc temporis fuisse magne reputacionis et quantitatis et habet putrosum fundum, itaque ibi sunt multa caverna et spelunce subterranee, et distat a Jherusalem duo parva miliaria illius patrie. Et est nunc oppidum non magnum, sed tamen dicitur civitas David pro eo quod David in ea fuit natus et in ipso loco, quo quondam stetit domus Isai patris David, de quo natus fuit David et in regem Israel per Samuelem unctus. Qualiter Deus natus fuit non in propria domo sua sed in aliena, ut dicit Augustinus in epistola ad Valerianum de sacramentis ecclesie, require in minori libro meo prebili de paupertate Christi A 5[to].

In eodem eciam loco Deus de Maria virgine fuit homo natus. Et iste locus fuit in fine unius platee que cooperta vocatur, quia pre estivali solis fervore cum pannis nigris et hujusmodo rebus, prout adhuc ibidem est consuetudo, desuper fuit **[259r:]** cooperta. Et in hac platea res diverse et specialiter antiqua vestimenta et alia mulierum ornamenta vendebantur. Et semel in septimana diversarum rerum fuit in ista platea forum commune et specialiter lignorum.

Et in ipso loco, qui ita fuit in fine unius platee, in quo quondam stetit et fuit domus David et Isai patris sui, adhuc remansit tugurium ante unam speluncam in rupe factam in modo parvi cellarii formatam. Et in ipsa spelunca Isai pater et alii homines hujus loci et domus postmodo habitatores pre fervore solis aliqua necessaria reponebant. Et sciendum est quod in illis partibus antiquitus consuetudo fuit et adhuc est, quod sunt in ipsis domus speciales, que ibidem albani vocantur. Et in hiis domibus sunt muli, equi, asini et cameli. Dum aliquis peregrinus, mercator vel viator tendit ad aliquem locum longe vel prope, si indiget aliquo equo vel animali pro nuncio per se vel pro suis rebus vel mercemoniis portandum, iste vadit ad talem domum et precio conducit quodcunque animal sibi placuerit. Et hujusmodi domus quondam ante nativitatem Christi fuit in loco, ubi Deus et homo fuit natus.

Sed tempore nativitatis Christi ipsa domus fuit totaliter destructa, ita quod ipso loco penitus nil remansit nisi parvum et vile tugurium ante ipsam speluncam. Sed parietes fictiles et muri lapidei adhuc ibidem steterunt. Cum autem, ut predictum est, omnis populus utriusque sexus propter edictum cesaris ad proficiendum quivis ad civitatem et villam, de quacunque natus erat, edisset et venisset, extunc Joseph cum Maria ad Bethlehem venerunt tarde in crepusculo. Et quia tarde erat, et omnia loca et hospicia essent occupata et hominibus extraneis essent plena, et quia pauperes erant, totam civitatem circuibant, et nullus eos hospitare vellet et specialiter cum homines vidissent Mariam juvenculam super asinum in itinere lassam, gementem et suspirantem ac gravidam partuque vicinam, in tota civitate nullus eam in tectum vel hospicium vel domum recipere vellet. Unde Joseph Mariam in illud **[259v:]** tugurium vel speluncam duxit. De quibus nullus homo tunc curavit, et in eadem spelunca in ipsa nocte Deus pro nobis in tanta paupertate de Maria virgine absque dolore partus, prout decuit, homo fuit natus, circa unius ulne longitudinem longus. Et in eodem loco ante speluncam adhuc parvum presepe in medio muri muratum ibidem ab antiquo remansit, ad quod bos pauperis, qui eciam numquam hospitari poterat, fuit ligatus. Juxta quem eciam Joseph asinum suum alligavit. Sed in illud presepe beata Maria parvulum suum vagientem pannis involutum, [inter] asinum et bovem prout melius potuit, posuit et reclinavit.

Ceterum locus ubi angelus pastoribus cum luce et claritate magna Deum hominem nunciavit natum, distat a Bethlehem ad 1/2 miliare illius patrie, et in eodem loco David eciam boves pascebat et a faucibus ursi et leonis eripiebat eos. Unde quidam libri continent, quod pastores regionis illius bis in anno solent in solsticio vernali et hiemali vigilias super greges suos custodire consuevere. Et sciendum est quod terra Bethlehem et terra promissionis et tota terra Orientis mirabiliter est disposita, quia pro majori parte in montanis sita. Et in aliquibus locis hiems vix ab estate discernitur et distinguitur, et in aliquibus locis secundum suum tempus est hiems et estas, sicut in partibus istis secundum situacionem locorum in vallibus planicie vel montanis. Sed juxta Bethlehem plus quam in aliis locis sunt multa uberrima pascuosa, sed circa festum nativitatis Christi ibidem hordeum habuit spicas in agris, ita quod ex aliis locis homines illuc mittant equos suos et mulos ad pinguescendos. Et quia tempore nativitatis Christi erat summa pax in mundo, et inter Bethlehem [et agrum] quo angelus Domini pastoribus apparuit, erat dimidium miliare in via aliquantulum longa, nec eciam erat ibi frigus aliquod, de quo vis esset. Extunc pastores

ibidem die noctuque de loco ad locum cum gregibus suis simul in pascuis permanserunt, prout adhuc ibidem faciunt in presenti die.

Temporibus autem illis, dum edictum exiit a cesare Augusto, erat Herodes rex Indie [Judee!] a cesare et romanis constitutus, et non judeus vel rex judeorum natus, sed idem cesar **[260r:]** Augustus et romani regnum Indie [Judee?] et quamplurimas alias terras et provincias usque ad finem Indie, Persidis et Caldee sue potestati subjugaverunt et potenter possederunt. Dum homines omnibus finibus Indie, Orientis, Persidis et Caldee optime sciverunt, quod Herodes alienigena a cesare et romanis rex Indie [Judee!] fuit constitutus, et non de semine regali vel judeorum natus, impleretur prophecia Danielis qui inter cetera sic ait [Daniel 9,24]: *Cum venerit sanctus sanctorum, cessabit unccio vestra.*

Cum itaque, ut jam dictum est, in Bethlehem in spelunca Deus homo esset natus, extunc idem omnipotens Deus, qui semper prope est omnibus invocantibus eum, illam stellam per Balaam prophetam, per longissima retroacta tempora per xii astrologos ab indis, persis et caldeis super montem Vaus ut dictum est, constitutos, remote et exanxie exspectatam et observatam, hanc stellam eadem hora qua ipse Deus homo fuit natus, tunc super montem eundem Vaus in modo solis radientis oriri fecit, et illuminavit universum celi firmamentum et paulatim in modo aquile super ipsum montem ascendit. Et per totam istam diem in primo instersticio aeris permansit immobilis, ita quod quando sol in meridie pertransivit, quasi nulla erat distancia in claritate inter illam stellam et solem.

Unde quidam libri continent, quod ipso die nativitatis Domini lapso hec stella ascendit sursum ad firmamentum celi, sed ipsa prout in ecclesia depingitur, fuit formata habens quamplurimos longinquos radios faculis ardentiores, et [sicut] aquila volitans vel aerem verberans sic radii stelle orte movebantur, et ipsa stella habuit in se formam infantuli et desuper signum crucis. Et audita est vox in stella dicens: Natus est hodie rex judeorum, qui est exspectacio gentium et dominator earum. Ite ad querendum eum et ad adorandum. Ad roborandum autem fidem gentium et ad confirmandam materiam et rem gestam omnipotens Deus, cujus providencia in sui disposicione non fallitur, qui prout ait Paulus [Rom. 4,17:] *vocat ea que non sunt, tamquam ea que sunt,* ex sui providencia **[260v:]** hoc agit et disponit ut, qui in veteri testamento vocem dederat asine Balaam hanc stellam prophetante, qui eciam inchoacione novi testamenti daretur vox ex stella per eundem prophetam gentilem.

Unde tunc conversi homines utriusque sexus omnium illarum partium et regionum Orientis, visa mirabili, rara et insolita stella et tali voce ab ipsa

audita, ultra modo fuerunt perterriti et admirati, et ipsam esse stellam per Balaam prophetatam et a longis retroactis temporibus desideratam et exspectatam esse non dubitaverunt. Et tunc tres reges qui in partibus et terris Indie, Caldee et Persidis regnabant et de ipsa stella informati et de ipsa per astrologos, doctores et prophetas instructi, multum sunt gavisi, quod ipsorum temporibus ipsam stellam tam longe ante prophetatam videre meruerunt, quam tam longinquis temporibus omnes populi tam anxie exspectaverunt. Unde hii tres reges gloriosi per nimiam et maximam eorum distanciam regnorum separati, et quivis de alio ignarus, sed uno tempore de ipsa stella informati, cum ditissimis muneribus et bonis misticis et nobilibus ornamentis ac variis et diversis vestimentis et ornatu regio cum equis, mulis et camelis et choris infinitis et maximo ingenti comitatu, prout nobilius potuerunt, ad inquirendum Dominum regem judeorum natum et ipsum ad adorandum se preparaverunt, prout vox de stella dixit, precepit et predicavit.

Sed tanto nobilius et honestius se preparaverunt, quanto super se regem altiorem cognoverunt natum, quem inquirere et adorare proposuerunt. Et omnem eorum expedicionem in bobus, gregibus et ornamentis cum aliis eorum lectisterniis et utensilibus et ditissimis preparamentis et omnibus necessariis, que ipsis et ipsorum exercitibus et comitatui sufficere possent, copiose preparare fecerunt in multitudine quamplurimorum camelorum et jumentorum.

Et est sciendum quod tres sunt Indie, quarum omnes terre et regiones sunt pro majori parte insule, et omnes hee tres regiones sunt aquis, desertis, serpentibus maximis et aliis animalibus periculosissimis et paludibus horribilissimis plene, in quibus crescunt arundines tam grosse et alte, quod hiis partibus domus et naves construuntur. Sunt divise et aliquando separate, sed [in] unaquaque istarum regionum terris et insulis nascuntur et crescunt herbe et **[261r:]** animalia et bestie pre aliis speciales, ut patet ultra modo periculose et laboriose de una terra, regione vel insula ad aliam pervenire. Unde legitur quod Assuerus regnavit super centum quinque provincias ab India usque ad Ethiopiam. In prima ergo India fuit regnum Nubie, in quo temporibus nativitatis Christi regnavit Melchior rex, cujus armatura erat septem stelle, qui Domino aurum optulit. Cujus eciam inter alias terras fuit regnum Arabie, in quo mons Sion est situs, et mare rubrum, et propter illud mare rubrum de Syria et Egypto ad Indiam feliciter navigatur.

Sed mercatores et alii homines nati de partibus transmarinis transire non permittantur, quia soldanus ab istis partibus maris rubri et insulis habet

castra fortissima, in quibus captivi nobiles detinentur. Et ab illis castris cavetur, ne aliquis homo de partibus transmarinis natus ad partes et terras Indie transeat, ne aliquis presbitero Johanni domino indorum vel aliis regibus in India et Oriente aliquas literas de regibus christianis deferat, sed omnes incole de partibus ultramarinis nati et noti transire permittuntur, Sed ante de negociis eorum, quare transeant, diligenter examinantur. Et econtrario presbiter Johannes, dominus judex [indorum?], ex alia parte maris rubri habet castra fortissima, de quibus eodem modo cavetur ne aliquis de partibus illis transeat ad dominum soldanum in sui detrimentum.

In 2[a] India fuit regnum Godolie, in quo temporibus nativitatis Christi regnavit Balthazar rex, cujus armatura erat stella cum dimidia luna. Cujus eciam inter alias terras fuit illud antiquum regnum Saba, in quo plurima nobilissima aromata plus ibi specialiter crescunt quam in aliis partibus mundi, et ibidem crescit thus et stillat ex specialibus arboribus ad modum gumi, quod in aliis terris parum vel nil reperitur. In 3[a] India fuit regnum Tharsis, in quo tempore tunc regnavit Jaspar rex, cujus armatura erat quasi ethiops, qui Domino mirram optulit.

Cujus eciam inter alias terras diversas fuit ista famosissima insula Grisolla vocata, in qua corpus beati Thome nunc quiescit. **[261v:]** In qua eciam plusquam in alia terra crescit mirra, et crescit super herbas in modo spicarum adustarum formatas. Quapropter ex magna predestinacione divino nomine fore factum, quod hii tres reges gloriosi Melchior, Balthazar et Jaspar ex tribus terris illis, in quibus munera crescebant que Domino offerre debebant, in antiquo presagio prophetico plusquam de eorum muneribus et regnis debent reges appellari. Unde ait propheta David [Ps. 71,10]: *Reges Tharsis etc.*

Postquam, ut dictum est, hii tres reges gloriosi cum thesauris, pompa, ornamentis et comitatu et diversa expedicione se nobiliter in omnibus et per omnia preparassent, et exeuntes fines regionum suarum, et deposito alterius quis penitus ignarus propter nimiam distanciam et longam viam [inter] eos et terras eorum. Tamen unumquemque regem, suum exercitum, comitatum et expedicionem stella eque bene precedebat, et stella cum euntibus ibat et cum stantibus stabat, et de nocte non ut luna vel stella, sed ut sol radians in sua virtute omnia ipsorum itinera illuminavit. Et in omnibus civitatibus et villis, que tunc temporis propter pacem die noctuque in universo mundo non claudebantur, per quas transierunt, et de nocte videbatur eis esse dies. Unde homines et habitatores omnium illarum civitatum et locorum, per quas et que ita de nocte transierunt, ultra modo fuerunt perterriti et admirati. Nam viderunt reges et maximos exercitus et

comitatus cum maxima ambicione et expedicione per eos transire, quibus per omnem eorum viam de nocte erat dies. Nescientes unde venirent aut quo tenderent, et viderunt terram in locis eorum vestigiis equorum et jumentorum conculcatam. Unde omnes homines et habitatores, per quos itaque transierunt, facti sunt sicut in extasi, et maxima commocio de hiis fuit in universis populis temporibus longis.

Et postquam hii tres reges gloriosi fines regnorum suorum fuerunt egressi et ad alias terras et regiones ignotas pervenerunt, extunc per omnes aquas, montes, deserta, planicies, valles et paludes horribilissimas absque ullo impedimento transierunt. Sed erant eis plana indirecta et aspera in vias planas, et nusquam de die et nocte quiescebant, **[262r:]** nec hospicia capiebant. Et tam ipsi quam ipsorum exercitus et expedicio et eorum equi et omnia eorum animalia et jumenta absque cibo et potu et pabulo, quousque Bethlehem pervenerunt, permanserunt.

Cum hii tres reges quivis ex itinere cum exercitu et sua expedicione et comitatu civitatem Jherusalem appropinquaverunt, extunc nebula densa et caligo tenebrosa universam cooperuit terram, et in ipsa nebula et caligine stellam amiserunt. Unde ait Isaias [60,1-2]: *Surge et illuminare, Jherusalem, quia venit lumen tuum et gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebre operient terram et caligo populos.* Tunc Melchior rex Nubie et Arabie cum exercitu suo primus juxta Jherusalem venit et juxta montem Calvarie, super quem primus crucifixus est Dominus, in nebula et caligine recedit nutu Domini. Et erat tunc temporis mons Calvarie rupis per se circa xii gradus altus, super quem zelerati plectebantur et interficiebantur.

Cum autem rex Melchior ita cum suo exercitu juxta montem Calvarie in nebula et tenebris recedisset, extunc in eadem nebula et caligine Balthazar, rex Saba et Godolie, cum exercitu suo venit in itinere specialiter et juxta montem Oliveti in villa parva, que ibidem Galilea vocabatur, resedit in tenebris et remansit. Et de eadem villa multum loquitur evangelista in sacra scriptura. Nam in ea discipuli ante resurreccionem Domini et post propter metum judeorum extra civitatem Jherusalem semper secreto convenire consueverunt. Et in eadem parva villa Dominus post resurreccionem suam suis discipulis sepe apparuit. Unde dicit scriptura [Mat. 28,7]: *Precedit vos in Galileam, ibi eum videbitis.* Et plura alia de hac villa scriptura narrat. Sed est alia terra, que est principatus, que eciam vocatur Galilea et distat a Jherusalem per tres dietas.

Cum autem hii duo reges sc. Melchior et Balthazar in locis supradictis in nebula et caligine et tenebris subsistebant, extunc paulatim

nebula cum caligine sursum ascendit, et tunc stella apparuit. Unde se prope civitatem esse vidissent, extunc quivis rex adhuc de **[262v:]** alio ignarus cum exercitu suo viam versus civitatem arripuerunt. Et cum venissent ad tramitem juxta montem Calvarie, extunc Jaspar, rex Tharsis et insule Grisolle, cum exercitu perveniens ita quod hii tres reges gloriosi cum omnibus eorum exercitibus et expedicionibus, quivis de terris et regnis suis, ex via speciali in hoc termino convenerunt.

Et licet unus numquam personam alterius vidisset, tamen in osculo et amplexibus insimul pre gaudio irruebant. Et quamvis diversorum ideomatum et linguarum essent, tamen unicuique videbatur quod alter linguam suam loqueretur. Et cum unusquisque ab alteri causam itineris sui exposuisset, et in hiis per viam concordassent et tamen multum letiores et cadentiores in eorum negociis sunt effecti, extunc nebula et caligo totaliter recessit, et itaque ex inopinato et improviso, orto jam sole, civitatem Jherusalem intraverunt. Et cum ipsi reges cognovissent quod ista esset civitas regalis Jherusalem, quod quam antea eorum olim predecessores et caldei sepius obsederunt et destruxerunt, multum tamen sunt gavisi sperantes in ea natum regem judeorum invenire. Sed de tam forti, valido, inopinato et improviso ipsorum introitu Herodes et universa civitas turbata et commota est. Nam tantus erat eorum exercitus, quod eos intus civitas capere non poterat, sed pro majori parte extra civitatem permanserunt, et eam quasi obsidione circumvallaverunt et totaliter circumdederunt. Unde inter alia ait Isaias [60,5-6]: *Fortitudo gentium venerit tibi. Inundacio camelorum operiet te, dromedarii Madian et Epha, omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes et laudem Deo annunciantes.*

Queritur quare isti tres reges prius in Jherusalem quam in Bethlehem venerunt. Multi libri diversimode declarant et exponunt, inter quos major cura fuit quia civitas fuit regalis Jherusalem, et reges semper in ea habitaverunt, et doctores in legibus, scribe, prophete et scriptores semper in ea fuerunt presentes, ut ipsi judei et scribi nativitatem Domini, qui nativitatis locum prescientes nullam **[263r:]** deinceps pretendere et habere excusacionem ad eorum perfidiam in omnibus detestandis, et fidem gentium roborandam, quia nimirum judei spiritu erant pleni sed tamen ceci, quia eum de quo multa in futurum dixerunt, tunc in presepe positum non recognoverunt. Nam Christum natum despexerunt, quem ante nasciturum longe presciverunt. Sed ejus locum ubi nasceretur, Herodi demonstraverunt, ut ipse eorum suum ipsius fieret testimonium dampnacionis, et nobis in adjutorium est credulitatis.

Cum autem isti tres reges Jherusalem intraverunt, tunc Herodes erat ibi presens et erat a cesare et romanis rex judeorum constitutus et etate annosus. Tunc hii tres reges de rege judeorum nuper nato ab omnibus in civitate querebant et interrogabant. Unde ait evangelista [Mat. 2,1]: *Cum natus esset Jhesus in Bethlehem etc.*, et sic convenienter legendo evangelium illud. Cum autem predicti reges per Herodem plenius essent informati, tunc cum exercitu et expedicione ab Herode de Jherusalem recessissent. Cum autem civitatem essent egressi, tunc more solito et priore modo[?] eis stella apparuit et eos sicut prius in Bethlehem antecedit, que distat a Jherusalem ad duo parva miliaria illius patrie, et in ipso itinere juxta eundem locum eisdem pastoribus, quibus angelus Domini cum multitudine celestis milicie in magna claritate nativitatem Domini nunciavit, juxta hos pastores hii tres reges cum exercitu eorum transierunt. Unde ipsi pastores cum vidissent stellam, statim occurrerunt et dixerunt, quod in tali claritate et fulgore angelus Domini apparuit ipsis, qui eis nativitatem Domini nunciavit, et omnia que ipsis ab angelo sunt dicta, per omnia narraverunt, que reges et exercitus eorum avide et libentissime audierunt et verba diligenter consideraverunt.

**[263v:]** Et hiis verbis et testimonio pastorum multum sunt gavisi et de allocucione stelle et voce ex ea audita, jam penitus nihil hesitabant, et sic cum comitatu et exercitu eorum a pastoribus datis eis muneribus recesserunt. Et cum juxta Bethlehem se esse cognovissent, extunc sibi regalibus vestimentis et ornamentis, prout nobilius et honorabilius poterant, se diligenter preparabant, et iterum stella eos precedebat. Et quanto magis Bethlehem appropinquabant, tanto magis stella in sua virtute fulgebat. Et hora prima eodem die hii tres reges a Jherusalem recedebant, extunc hora sexta vel quasi ad Bethlehem pervenerunt.

Et per plateam de qua supra dictum est, que ibidem platea cooperta vocabatur, transierunt sicut stella antecedebat eos, in fine cujus erat tugurium in spelunca in quo Christus natus fuit. Et ibi supra statim stella stetit immobilis, et infra muros lapideos et fictiles, qui adhuc ibidem ab antiquo permanserunt, per modicum intervallum stella cum tali et tanta claritate et fulgore se divisit, quod omnia in tugurio et spelunca fuerunt illuminata. Et iterum in aerem sursum ascendit et super illum locum immobilis stetit. Sed splendor ejus immensus in spelunca permansit. Et prout ait evangelista [Mat. 2,11]: *Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum. Et apertis thesauris suis optulerunt ei munera, aurum, thus et mirram.* Nota Fulgencius in suo sermone inter alia sic narrat, quod per istorum trium

regum munera in uno eodemque Christo divina majestas est et regia potestas et humana mortalitas intimata et designata. Thus pertinet ad sacrificium, aurum ad tributum, mirra autem ad sepulturam mortuorum. Et omnia hec facta sunt, ut fides offerre non desinit, dum unum eundemque verum Deum verumque regem verumque hominem credit.

Et ipse Deus qui sibi in veteri testamento primicias offerre precepit, idem Deus homo natus **[264r:]** primicias gentium cum suo vultu dedicavit. Cum autem hii tres reges in Bethlehem Dominum quesierunt et adoraverunt et sibi munera optulerunt, erat Jhesus in humanitate infantulus et etate xiii dierum, et persona erat aliquantulum pinguis et pauperculus, pannis usque ad brachia involutus fuit. In presepio et feno jacuit, et Maria mater ejus, ut in aliis libris invenitur, erat in persona carnosa et aliquantulum fusca et in conspectu ipsorum trium regum tunc pallio glauco et pauperculo fuit cooperta, quod ante se tenebat manu sinistra. Et ejus caput excepta facie panno lineo fuit totaliter involutum, et supra presepe sedebat et manu dextra.[99]...

Pedes infantuli humiliter fuerunt osculati et tunc munera sua infantulo humiliter optulerunt et devote. Et ipsi munera juxta caput infantuli in presencia sue matris in presepe devote posuerunt. Et quid deinceps muneribus postmodo factum fuit, inferius audietur. Erat enim Melchior rex Arabie et Nubie, qui Domino aurum optulit, in persona junior. Et Balthazar rex Godolie et Saba, qui Domino thus optulit, in persona mediocris. Et Jasper rex Tharsis insule et Grisolle, qui Domino mirram optulit, erat in persona major et ethiops niger de nullo dubium. Nam inter alia ait propheta [Ps. 71,9]: *Coram illo procident ethiopes et inimici ejus terram lingent.* [Is. 60,14]: *Venient ad te, qui detrahebant tibi, et adorabunt vestigia pedum tuorum.*

Cum autem infantulum Jhesum in presepe et feno positum pauperem invenerunt, prout ipsis eciam pastores in via retulerunt, tunc hii tres reges de dromedariis et equis eorum multimode ornatis descendentes, tanto timore et tremore fuerunt perterriti et concussi, quod de omnibus ditissimis ornamentis, que secum ad confitendum Domino detulerunt, de **[264v:]** thesauris suis tunc apertis nil nisi quod unicuique primo ad manus pervenit, recepit. Unde Melchior rex Nubie et Arabie sumpsit xxx denarios aureos et pomum aureum parvum, sicut in manu includi potuit, et infantulo Jhesu devote optulit. Quem sequens Balthazar rex Godolie et Saba thus Domino optulit, sicut ad manus ejus devenit. Deinde Jaspar rex Tharsis insule et Grisolle optulit mirram lacrimose. Et tanto terrore erant hii tres reges

[99] Petrus Mathie must have skipped at least one line here

perterriti, tam devoti et ardentes in oblacione effecti quod de omnibus verbis, que tunc beata virgo protulerat, non considerabant. Sed ad unumquemque regem offerentem inclinato capite humiliter et devote Deo gracias dixit.

Nota de muneribus. Pomum aureum, quod rex Melchior cum xxx denariis aureis optulit, quondam fuit Alexandri Magni et non fuit majus quam totaliter manu includi potuit. Mundum significavit, quod ex nimis [minimis?] particulis auri omnium tributorum mundi et omnium provinciarum conflari fecit, et ipsum semper in manu portavit et velut sua potencia totum mundum in manu includit. Et ipsum pomum in India cum aliis ornamentis ditissimis permansit, quando de paradiso terrestri reversus fuit. Et quare Melchior pomum dimissum optulit, non reperitur ab aliquibus. Nam ipsius pomi rotunditas immensa significacio est ipsi soli nato, quia aliquod rotundum est absque principio et sine fine et speram mundi concludi valet et altitudinem celi et novissima inferni sue potencie volubilitate et in fines terre.

Ceterum de auro, thure et mirra, que ipsi tres reges Domino optulerunt, plures libri diversimode loquntur. Nam aliqui libri continent, quod aurum fuisset oblatum ad Marie et infantuli inopiam sublevandam, et thus propter fetorem stabuli, et mirram ad vermes infantuli depellandas.

Sed licet omnipotens Deus in nostra fragilitate [et] humanitate exinanivit semetipsum pauperius propter nos fuit natus, tamen hiis omnibus trium regum muneribus **[265r:]** non indiguit ad aliquam inopiam sublevandam, quia ipse dixit, et facta sunt. Nam pomum aureum oblatum per Alexandrum tam potenter congregatum et arroganter conflatum, dum Melchior infantulo Jhesu optulit, tunc statim in momento fuit in pulverem et favillam contritum et ad nihilum redactum. Nam sicut in typo lapis sine manibus conscidentium de monte abscissus est, et statuam horribilem, quam Nabuchodonosor vidit in sompniis, comminuit et in favillam contrivit et ad nihilum redegit, sic ad instar in facto lapis est Deus tunc de virgine natus sine manibus complectencium. Unde [Luc. 1,52]: *Deposuit potentes de sede et exaltavit humiles.*

Et postquam isti tres reges Dominum adorassent et sibi munera optulissent et propter omnia, que de Oriente Dominum quesivissent, gloriose perfecissent, extunc statim eorum exercitus, equi, animalia et alia eorum munera [jumenta?], que ibi ex remotissimis terris Orientis per omnem [viam] absque aliquo cibo, potu et pabulo pervenerunt, extunc more suo et mortalium in humano corpore esurire, sitire et dormire ceperunt, et per totam illam diem in Bethlehem et aliis locis quieti et

consolacioni se dederunt. Et omnibus causam, quare de finibus terre et extremis mundi partibus stella eos duxerat, humiliter exposuerunt et dixerunt, ut judeis major confusio et gentibus major credulitas exinde solacium oreretur. Et prout ait evangelista [Mat. 2,12]: *Et responso accepto in sompniis ne ad Herodem redirent, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.*

Tunc stella que prius eos precedebat, ultra non apparuit. Et revertentes ad terras et ad regna sua humano more hospicia sua die et nocte capiebant. Et ipsi reges, qui ex tribus viis **[265v:]** de longissimis suis regnis remotissime distantibus miraculose et ex inopinato convenerunt, tunc ad terras et ad regna sua insimul redierunt et per omnes terras, regiones et provincias, per quas Holofernes in suo exercitu et expedicione ab Orienti in Caldeam transivit et in Jherusalem pervenit, per has terras et vias ipsi tres reges cum eorum comitatu ex improviso transierunt. Ita quod omnes homines illarum partium et regionum secundum antiquum auditum et relatum putabant Holofernem iterato transire. Et ab omnibus civitatibus et villis in universis populis benignissime sunt recepti, in quibus omnia que viderunt et audierunt, et que ipsis acciderunt post egressum terrarum suarum, omnibus humiliter predicabant. Et ad quecunque loca pervenerunt, omnibus populis more regio benigni fuerunt et beneficii.

Unde eorum virtutum et humilitatis et meritorum fama a judeis omnibus ipsis terris et provinciis postmodo numquam adolevit, et de omnibus cibariis et necessariis, que de terris et regnis suis secum sumpserunt tam ipsis quam eorum exercitui, eorum equis, animalibus et equis et jumentis, quousque ad predictum montem et ad terras et ad regna sua pervenerunt, penitus nil defecit. Sed seni et incolumes cum omnibus suis ad propria sunt reversi. Sed viam quam de omnibus regnis eorum in xiii diebus stella duce profecerunt, in ipsa via per biennium in reditu per ductores et interpretes laboriose permanserunt. Et ipsi et alii homines distanciam inter divinam operacionem et humanam intellexerunt.

Tunc Herodes, seniores ac scribe per viam multum fuerunt secuti eos et universam terram, per quam transierunt, et specialiter tharsenses destruxerunt. Et Herodes ipsis tharsensibus ex invidia culpam **[266r:]** imposuit et ipsos flumen Syber transire non permisit et eorum naves combussit et totam terram, per quam transierat, multum destruxit. Sed postquam ipsi tres reges ad montem Vaus victorialem post biennium pervenerunt, tunc capellam in honore regis judeorum nati, quem itaque quesierunt et munera optulerunt, laboriosissime et ditissime fieri fecerunt et multimode more regio ornaverunt. Et in oppido, quod subtus factum

fuerat, a laboribus itineris quieverunt et more regio per aliquod tempus solacio se dederunt. Et ibi locum sepulture concorditer elegerunt, et deinde singulis annis cum aliis eorum regibus et principibus ibidem convenire condixerunt et firmiter promiserunt.

Unde post modicum tempus omnium terrarum et regionum illorum principes, nobiles honorati et universi populi ipsis ibidem obviaverunt et ad eos uanimiter confluxerunt et ipsos, prout decuit, solempnissime receperunt, et de adventu eorum glorificantes et audientes, que et qualia et quanta per eos Dominus omnipotens esset operatus mirabilia, timore ac amore obstupuerunt. Et in majore reverencia, honore et timore eos habere ceperunt. Et sic ipsi tres reges eorum testamentis dispositis ornatis et ordinatis Deo gracias agentes, quivis cum omnibus suis ad terras et ad regna sua sani cum gaudio sunt reversi, et corporibus non cordibus invicem sunt separati. Et omnibus populis que viderunt et audierunt et que ipsis acciderunt, humiliter predicabant, et in omnium eorum terris et templis stellam cum infantulo desuper signum crucis, prout ipsis apparuit, mirifice sculpi fecerunt. Ex quibus quamplurimi gentiles relictis suis erroribus et idolis **[266v:]** infanti, cui ipsi tres reges devote munera optulerunt, crediderunt, et capellam super montem Vaus factam ex longissimis partibus diversorum hominum devotissime visitaverunt. Nam postquam ipsi tres reges ad propria sunt reversi, tunc omnibus hominibus humiliores et devotiores sunt effecti, et universam terram et regionem et naciones de eorum virtutibus, humilitate et devocione non plene sufficiebant enarrare. Et sic in laudabili vita et honesta conversacione usque post ascensionem Domini et adventum beati Thome apostoli laudabiliter permanserunt.

Sed post reversum eorum de Bethlehem quando Domino munera optulerunt, extunc Maria virgo cum infantulo Jhesu in tugurio et spelunca, in qua natus fuit Deus et homo, per modicum tempus permansit. Sed crescente de ipso et de tribus regibus fama tam mirabili, tunc de ipso tugurio et spelunca in aliam speluncam subterraneam in rupe factam cum infantulo suo Jhesu metu judeorum intravit, et ibi usque in diem purificacionis sue permansit et latitavit. Et ut decuit, utriusque sexus homines, senes et juvenes beatam Mariam diligebant, et ipsam et suum infantulum Jhesum in quantum potuerunt, diligenter colebant, et ipsis necessaria quibus indigebant ministrabant. Et ex spelunca, in qua virgo Maria mater Jhesu latitavit, postmodo crescente fide christiana facta est capella in honore trium regum et beati Nicolai consecrata. Et videtur per ipsam capellam communis transitus fuisse et quondam duas januas

habuisse, sed una janua lapidibus nunc est obstructa. Et in capella adhuc lapis super quem beata virgo sedere consueverat, quando infantulum suum lactavit

Et quadam vice ex casu modicum lactis de sua maxilla super ipsum lapidem cecidit, cujus species lactis super eundem lapidem in presentem diem permansit. Et quanto plus abraditur de tanto plus crescit, et in plurimis ecclesiis demonstratur et a peregrinis undique deportatur. Et postquam beata virgo cum infantulo suo Jhesu **[267r:]** de spelunca, in qua natus fuit Jhesus, metu judeorum celeriter et festinanter exivit, tunc camisiam suam et pannos, quibus Jhesus involutus fuit, [reliquit, que] usque ad adventum Helene matris Constantini prout Deo placuit, recentes et integri in eodem loco in presepio permanserunt, que sancta Helena post in presepio invenit.

Cum autem beata virgo in sua purificacione infantulum suum Jhesum secundum legem Moisi in templo cum turturibus optulit, et ipsum Simeon recepit dicens [Luc. 2,29-30]: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum* etc., prout dicit scriptura. Et in eodem loco tam ipse Simeon quam ancilla Anna de ipso infantulo pluribus judeis et eorum sacerdotibus presentibus et scribis astantibus plura prophetavit, prout dicunt evangelia. Extunc de relacionibus judeorum, qui itaque tunc aderant in templo, fama Marie et infantuli Jhesu denuo tantum accrevit, quod pre judeis et Herode in spelunca vel in aliquo alio loco beata virgo cum infantulo Jhesu diutius non poterat latitare. Sed prout ait evangelista [Mat. 2,13-15]: *Angelus Domini apparuit in sompniis Joseph etc. Qui surgens accepit puerum et matrem ejus, secessit nocte in Egyptum et erat ibi usque ad obitum Herodis.*

Et quomodo et qualiter Maria virgo cum infantulo Jhesu pervenerant, et quomodo redierant, in libro de infancia salvatoris reperitur. Sed in plurima loca multum periculosa homini silvestrium et animalium periculosissimorum per deserta transierunt. Et inter signa in omnibus locis et viis, per quas in exitu et reditu beata virgo cum infantulo Jhesu transivit, adhuc crescunt rose aride, que rose de Jherico vocantur, et hiis mulieres multum libenter utuntur in partu. Et locis in quo beata virgo ambulavit, crescunt iste rose de Jherico in memoriale sempiternum. Et ipsas rosas colligunt homines, qui vocantur bediani, **[267v:]** qui de loco de loco in deserto cum pecoribus vagantur, et pro pane ipsas vendunt in multitudine et quantitate hominibus incolis, qui per desertum et peregrinis ulterius venduntur et per mundum portantur.

Ceterum locus ubi beata virgo Maria cum infantulo Jhesu in Egyptum per septennium usque ad obitum Herodis, hec Mopilis vocatur et fuit juxta civitates Babiloniam novam et Alkaire, que nunc est habitacio soldani, et iste civitates modicum distant et sunt maxime civitates. Sed Alkaire est maxima civitas et reputatur major quam vii ville parisienses. Et in loco isto utique [ubi?] beata virgo per septennium cum infantulo Jhesu habitavit, nunc vero est hortus balsami, qui non est ad jactum lapidis magni. Et in ipso horto sunt vii fontes aquarum, in quibus beata virgo infantulum Jhesum lavare et balneare et sua vestimenta et infantuli solebat. Et propter ipsos fontes hortus est disperse situs, et crescit et effluit balsamus ex virgis. Rubus est modicum altior ulne et est in modo rubi rosarum formatus, et folia ejus quasi trifolia sunt formata. Et unusquisque rubus habet specialem custodem christianum de captivis soldani, qui ipsum rubum quasi corpus suum custodit, irrigat et mundat. Et in mense martii continuo est presens personaliter soldanus in hoc horto, et virge balsami in vitis modo scinduntur et vulnerantur, et ipse scissure bombice circumligantur, et subtus bombicem et scissuras parva vascula argentea tunc penduntur, in quibus balsamus per scissuras et bombices sicut aqua ex vite stillat et effluit. Et ex illis vasculis funditur in amphoram argenteam, qui ibi zorra vocatur, que modicum est major sextario, que tamen ex balsamo vix repletur, et tunc soldanus recipit balsamum totum.

Et cum legatus alicujus regis ad eum mittitur, ipsi dat parvum victriolum in modo digiti balsamo plenum. Et itaque omni balsamo exstillato soldanus recedit. Et uniuscujusque rubi custos fuit regulans de suo rubo scissas et ipsos in mundissima olla bulit. Et balsamus, que tunc effluit ex virgis ebulit sicut pinguedo supernatat, et talis balsamus est spissus ut braxina **[268r:]** coloratus. Et dum aliquis homo ab equo vel altitudine ignoranter cadit et intus rumpitur et quassatur, et quando cum isto balsamo locus perungitur, statim consolidatur, et cicatrices vulnerum sunt coaptate. Dum enim tali balsamo perungitur modicum tunc decetero non apparent, sed sunt alterius carnis et pellis speciei. Et talem balsamum custodes ruborum vendunt hominibus et peregrinis, et undique per mundum deportatur. Sed in nulla comparacione tante est virtutis et nobilitatis balsamus, qui naturaliter stillat ex rubo. Nam talis balsamus, si gutta in manu ponitur, ipsam penetrat et ab altera parte resudat, et locus iste incorruptibilis permanet in eternum, et est quasi vinum viride tenue aliquantulum turbidum coloratus, et vocatur idem balsamus crudus, et alter balsamus bulitus vocatur balsamus coctus.

De aliis virtutibus et nobilitatibus balsami longum est enarrare. Et creditur firmiter in Oriente quod iste locus habet talem virtutem, quod ibi balsamus crescit, in quo beata virgo Maria cum suo infantulo per septennium habitavit. Et ad majus signum ipsum hortum nullum genus hominum, nisi sit christianus colere potest vel custodire, quod sepius est expertum. Sed si alii homines sc. gentiles ipsum colerent, tunc rubi balsami et ejus balsami virge statim arescant et perirent.

Nota de muneribus que ipsi tres reges Domino optulerunt, ut in aliis libris continetur, quod Melchior rex Nubie et Arabie optulit Domino parvum pomum aureum, quod in oblacione in favillam et in nihilum est redactum. Idem Melchior optulit xxx denarios aureos, quos Abraham de Hur caldeorum in peregrinacione secum sumpsit.[100] Hur est idem quod ignis secundum glosas, sed secundum textum sumitur pro loco vel parva villa Hebron, que tunc Arabia vocabatur, et cum ipsis agrum et sepulturam suam et Sare et filiorum suorum Isaach et Jacob comparavit. Et horum denariorum monetam legitur fecisse Thare, pater Abrahe, ex parte regis Mesopothamie nomine Niris.

Et deinde temporibus Jacob **[268v:]** per eosdem xxx denarios ismahelitis filiis ejus, a quo Abraham agrum in sepulturam vendidit, hiis Joseph a fratribus suis fuit venditus in Egyptum. Et post hoc hujusmodi xxx denarii a predictis fratribus [filiis?] Jacob in Egyptum pro frumento ipsi Joseph fuerunt reportati. Et deinde post obitum Jacob hujusmodi xxx denarii ad regnum Saba pro aromatibus ad sepulturam Jacob fuerunt missi et in thesauros regios repositi. Et post hoc temporibus Salomonis hujusmodi xxx denarii cum quampluribus ornamentis aliis in templo Domini in Jherusalem a regina Saba fuerunt oblati.

Et deinde temporibus Roboam filii Salomonis in captione Jherusalem et templi Domini depredacione ad manus regis Arabie, qui tunc temporis in adjutorium egypticorum fuit, pervenerunt, et cum aliis ornamentis templi spoliatis in thesauros regios reponebantur. Et post hoc novo testamento inchoante nato Domino in Bethlehem, Melchior rex Nubie et Arabie cum quampluribus ornamentis aureis et vasis templi et aliis variis ditissimis muneribus, que secum sumpserat, hos xxx denarios ex auro arabico purissimo, et nobilius aurum in thesauris suis non reperit, hos Domino cum aliis predictis ornamentis offerre proposuit, et solummodo hos optulit et alia ornamenta pre timore pretermisit. Cum autem beata virgo Maria metu judeorum et Herodis fugit in Egyptum, tunc hos xxx denarios cum aliis muneribus sc. thure et mirra, sicut sibi fuerunt oblata, in

[100] The 30 denars also mentioned f. 264v, their history described f. 53v[1]

panno lineo ligavit et in deserto amisit. Quos quidam pastor, unus ex hominibus, qui vadebini vocantur, degens et in ipso deserto, qui cum gregibus suis de loco ad locum vagabatur, reperit et modicum ante passionem Domini apud se retinuit.

Extunc idem pastor cecidit in incurabilem infirmitatem. Et cum de fama Jhesu audivit, quod diversas infirmitates et varios languores solo verbo curaret, tunc idem versus Jherusalem se transtulit, et per fidem suam a Domino **[269r:]** sanitatem mox consecutus est et conversus. Et tunc hos xxx denarios aureos cum aliis muneribus sc. thure et mirra, prout prius Domino in sua infancia in Bethlehem per tres reges fuerunt oblata, idem pastor prout in deserto reperit, denuo tunc Domino in Jherusalem optulit cum devocione. Quos Dominus cognoscens jussit pastorem ut ipsa munera poneret super altare in templo. Unde sacerdos Domini, qui tunc sorte exiit, in signum tam honorabilis oblacionis thus super altare incendit. Et quia munera essent gloriosa et rara, hos xxx denarios cum mirra in gazophilacio misit. Et post hoc post modicum tempus 3[a] die ante passionem Domini principes sacerdotum et omnes judei, qui participati essent in passione Domini et ejus morte, hos xxx denarios ex communi bursa de gazophilacio ex templo Domini sumpserunt, et ipsos Jude Iscarioti discipulo Domini, ut eum traderet, tradiderunt. Postquam Judas hos xxx denarios retulit [et] ad judeorum voluntatem in templo projecit, et tunc judei dederunt xv denarios militibus, qui sepulchrum Domini custodirent, et cum reliquis xv denariis emerunt agrum figuli in sepulturam peregrinorum. Et partem mirre unio acetoso, quod optulerunt in cruce ori Domini miscuerunt, et reliquam partem mirre Nichodemus princeps judeorum cum aloe et cum aliis aromatibus condidit ad Domini sepulturam.

Cum autem elapso tempore quando beata virgo Maria cum infantulo Jhesu ex Egypto revocabatur, defuncto Herode, ut ait evangelista [Mat. 2,19-23]: *Ecce angelus Domini apparuit in sompniis Joseph. Qui consurgens accepit puerum et matrem ejus et venit in terram Israel. Audiens quod Archelaus regnaret pro Herode in Judea, noluit illuc ire et ammonitus est in sompniis,* **[269v:]** *secessit in partes Galilee et habitavit in civitate Nazareth, ut impleretur quod dictum est per prophetam dicentem: Quoniam nazarenus vocabitur.* Qualia et quanta in hiis partibus Dominus in sua divinitate et humanitate fecit vel passus fuit usque ad ejus passionem et resurreccionem et ascensionem, in evangeliis plenius reperitur. Cum autem Dominus post suam gloriosam ascensionem Thomam suum apostolum ad partes indorum specialiter in sorte predicacionis miserit, in quibus ipsi tres reges gloriosi, qui Domino in sua infancia munera

optulerunt, habitabant et regnabant, ut ipsis fidem Christi instrueret, predicaret et annunciaret.

Et cum universas provincias et insulas circuisset et in partibus indorum evangelium predicasset, et demones signo crucis effugasset, diversos languores et infirmitates curasset, et Deus ibidem per eum plurima mirabilia fecisset, et in omnibus reperiens idolorum templis stellam cum infantulo et super signo crucis, prout ipsi tres reges in omnibus eorum regnis et terris et ipsorum templis fieri et sculpi fecerunt, quando de Bethlehem fuerunt reversi. Unde cum Thomas a pontificibus templorum et idolorum dedicisset, quod talis stella cum talibus signis longis et retroactis temporibus in monte Vaus in signum nati regis judeorum, prout ex stella fuerat auditum, apparuisse.

Et propter hoc ipsi tres reges ipsum puerum natum se ad adorandum quesierunt et miraculose in xiii diebus in Bethlehem levissime pervenerunt, sed multum laboriose ad terras et regna sua redierunt. Et de omnibus que ipsis tribus regibus acciderant, et que ipsi tres reges viderant et audierant et egerant, idem pontifices templorum et idolorum Thomam per omnia informaverunt. Que cum Thomas per omnia audisset, extunc ingenti gaudio et spiritu sancto repletus ipsis pontificibus, omnibus populis et gentibus ardenti animo Domini nostri Jhesu Christi infanciam, divinitatem, humanitatem, passionem et resurreccionem, quem digitis palpavit incredulus et exploravit, fideliter et ardenter nunciavit. Et predicavit et gracia spiritus sancti factis et prodigiis et doctrinis omnes templorum et idolorum pontifices et quamplurimas **[270r]** gentes ad fidem convertit et baptizavit.

In significacionem et interpretacionem hujus signi crucis et stelle ac infantuli, quem ipsi tres reges quesierunt et muneribus adoraverunt, devote et humiliter Thomas exposuit et declamavit. Et ex omnibus templis simulacris et idolis abjectis, ipsa templa in honore infantis, quem ipsi reges quesierunt et muneribus adoraverunt, devote consecravit. Unde omnium terrarum et provinciarum gentes quas Thomas pertransivit, ad fidem convertit et baptizavit et in ipsis episcopos et ministros Dei ordinavit et constituit. Tandem ad vera ipsorum trium regum regna, qui Domino in sua infancia [munera] optulerunt, nutu Dei se transtulit et pervenit, quos adhuc carne viventes et provecta etate et decrepitu senes reperit, exspectacione justi Simeonis exspectantes prout dudum fuerunt decrepitati, et hoc responso accepto in spiritu mortem videre vel gustare non poterant, nisi prius aqua essent renati, et de ipso infante Jhesu, quem itaque quesierunt et muneribus adoraverunt, plenius essent informati.

Unde cum itaque hii tres reges ab hominibus audirent, quod quidam homo nomine Thomas ad ipsas terras et regna pervenisset, qui ipsum infantem, quem in sua infancia quondam quesierunt et adoraverunt, publice predicaret, licet essent in decrepitu ex improviso se iterum preparabant et cum omnibus eorum regibus, principibus et nobilibus, ipsorum regnorum populis ad beatum Thomam pervenerunt. Quos beatus Thomas cum ingenti gaudio suscepit et de omnibus, que Dominus in sua infancia, divinitate et humanitate gessit, docuit et singularite predicavit et explicavit. Et ejus passionem et resurreccionem, quem digitis suis incredulus palpavit, et per scripturas et prophetas docuit et monstravit, et specialiter de baptismate sancti Johannis, sine quo nullus regnum celorum ingredi poterat, eos plenius informavit.

Et hii tres reges **[270v:]** cum omnibus eorum gracia spiritus sancti sunt repleti et Thome in verbo Dei ad predicandum jam sunt conjuncti. Nam omnibus populis, qui ibidem tunc aderant et convenerant a principio usque ad finem omnia, que viderunt et ipsis acciderunt, quando Jhesum in sua infancia in Bethlehem cum muneribus quesierunt et adoraverunt, humiliter et fideliter exposuerunt et aperte predicaverunt. Et omnem istorum trium regum sermonem Thomas per exposicionem et interpretacionem significavit, exposuit et declamavit.

Et modo omnia, que Thomas de passione, resurreccione et ascensione populis declamavit, ipsi tres reges, prout viderant et audierant de infancia ipsius, confirmabant. Deinde tres reges gloriosi cum omni exercitu eorum et comitatu et aliis quamplurimis populis ad montem Vaus cum beato Thoma se transtulerunt. Et per hunc montem capellam cum stella et signo factam in honore ipsius infantis, cujus stella super eundem montem apparuit, Thomas consecravit. Et omnibus populis, qualiter idem infans in tali signo crucis prout supra stellam apparuit, pro humana salute voluntarie et spontanee fuerat passus et suspensus, denuo totaliter per ordinem exposuit Thomas et predicavit. Et facta est leticia magna in populis, itaque quod utriusque sexus homines, parvi et magni, qui tunc presentes in comitatu non fuerunt, de longissimis partibus ad hunc montem Vaus et capellam devotissime pervenerunt. Et in tali et tanta devocione ipsi tres reges nobilissimam et maximam civitatem in pede hujus montis construxerunt et fecerunt et ipsam Syrillam vocaverunt, que adhuc nunc est major civitas et ditior omnibus partibus Indie et Orientis in presenti die.

Et in hac civitate est habitacio indorum et Thome, indorum patriarche, qui presbiter Johannes vocabatur, et est princeps et dominus eorum. Postquam Thomas in omnibus partibus ipsis et regnis populos ad

Dominum convertisset et baptizavisset, extunc eciam ipsos tres reges in archiepiscopos consecravit et omnia idolorum templa in honore Dei et sue genetricis consecravit, quibus omnibus et aliis Dei ministeriis dona et possessiones large donaverunt. Unde beatus Thomas ipsis tribus regibus archiepiscopis, episcopis et presbiteris **[271r:]** ordines missas celebrandi et verba, que Dominus in cena in sui corporis et sanguinis consecracione expressit, et dominicam oracionem tradidit. Et in omnibus hiis eos fideliter instruxit et informavit et specialiter ordinem baptismatis ipsis dedit, et ipse baptisma nullo modo unquam oblivisci debere monuit, hortabatur et precepit omnibus populis ad Deum conversis et baptizatis ad cultum Dei. Et sic ad superiores partes Indie ad predicandum Dei verbum se transtulit. Et ibidem variis miraculis operatis vitam martyris, sicut in passione ejus legitur, laudabiliter consummavit.

Post recessum beati Thome apostoli tunc ipsi tres reges in archiepiscopos ordinati omnes gentes et villas circuibant, in quibus quamplurimas ecclesias fundaverunt. Et in ipsas multos episcopos, presbiteros et Dei ministros ordinaverunt, quibus possessiones et alia dona large contulerunt. Et relicta hujus mundi vanitate in civitate Syrilla, quam fundaverunt, perpetuam mansionem elegerunt. Et cum adjutorio Dei et aliorum presbiterorum et episcoporum regna et terras suas in spiritualibus et temporalibus gubernaverunt et rexerunt. Quibus omnes gentes cum timore et amore ut dominis et patribus in omnibus et per omnia obedierunt, et caritate non ficta eos dilexerunt.

Anno vero 2$^{o}$ ante felicem eorum resolucionem, tunc ipsi tres reges archiepiscopi ordinati omnes alios reges et principes, nobiles atque majores de terris et regnis eorum et omnes alios episcopos, presbiteros et Dei ministros in unum locum convenire et convocare fecerunt. Et erant jam longo senio et decrepitu fessi. Nec habebant aliquos liberos vel heredes nec, ut communis est omnium illarum partium consuetudines, umquam habuerunt reginas et concubinas. Et firmiter creditur ab omnibus libris in Oriente eos virgines fuisse et usque ad mortem permansisse. Et asserunt quidam libri quod sicut fuerunt primicie gentium in virginitatis dignitate, **[271v:]** quia Domino ex gentibus primo optulerunt virginalem dignitatem, prout quidam libri de muneribus eorum, que Domino optulerunt, inter cetera superflue exponunt, sc. Domino aurum optulerunt in signum virginalis dignitatis et castitatis. Thus in signum virginalis devocionis, mirram in signum mortificacionis carnis, quam natura negavit, juxta dictum sapientis: In carne vivere sine carne est vita angelica et non humana.

Cum itaque hii tres, ut dictum est, omnes reges, episcopos et nobiles et omnes populos in unum fecerunt convenire, extunc omnes ipsos hortabantur ut in fide, quam ipsis Thomas predicavit, stabiles et fideles permanerent. Et coram ipsis omnibus, qui ibidem in unum congregati fuerunt, unum virum idoneum et in fide catholica expertum ex omnibus ibidem congregatis unanimi consensu elegerunt, qui loco beati Thome apostoli in spiritualibus omnibus populis perpetue preesset, et cui omnes populi unanimiter et humiliter obedierunt. Qui eciam in honore beati Thome apostoli in memoriale sempiternum patriarcha Thomas ab omnibus deberet appellari perpetue et in omnibus venerari. Et post decessum unius talis patriarche sic electi extunc omnes episcopi et presbiteri deberent in unum locum convenire et alium in loco defuncti secundum consuetudinem concorditer eligere, cui universi populi per omnia deberent obedire.

Et ipsi tres reges tunc tali patriarche decimas omnium terrarum suarum et regionum perpetue dabant. Unde ipsi tres reges et omnes alii episcopi et presbiteri et universi populi tunc concorditer elegerunt Jacobum Durboricem, qui ad ipsas partes beatum Thomam fuit secutus, in primum eorum patriarcham, cui nomine mutato Thomas imposuerunt. Et post hoc indi tali patriarche obedierunt et obediunt in presentem diem. Ceterum predicti reges, cum liberos et heredes non habuerunt, extunc eciam de communi consilio et unanimi consensu omnium populorum ibidem congregatorum tunc unum nobilem et illustrem elegerunt, qui omnibus terris et regnis suis in temporalibus perpetue **[272r:]** preesset. Et si aliqui malevoli vel malefici patriarcham, episcopos vel presbiteros non curarent vel eis rebellarent seu a fide apostarent, tunc per brachium seculare ad viam rectam possent cogi et compelli, et illud dominium debet perpetue succedere per heredes.

Et talis non rex vel imperator debet vocari, sed ab omnibus populis Johannes presbiter appellari. Nam presbiter Johannes ex eo sic vocari deberet, quod presbitero nullus in mundo status dignior. Eciam deberet vocari Johannes a duobus videlicet a Johanne evangelista, qui fuit presbiter et a Domino magis ceteris dilectus. Eciam a Johanne Baptista, qui Dominum baptizavit, quo eciam major non fuit neque surrexit inter natos mulierum, qui pro Thoma per omnia ipsos informavit. Et hii tres reges omnibus principibus, regibus, nobilibus, episcopis, presbiteris et omnibus populis Thomam patriarcham et presbiterum Johannem in eorum dominos in spiritualibus et temporalibus pepetue assignabant. Quibus tunc universi reges, principes, nobiles et universi populi obedienciam et homagium fecerunt et se eorum potestati subjacebant et leti et gaudentes super omnia,

que viderunt et eis acciderunt, ad propria sunt reversi. Et tunc aliis principibus et consanguineis eorum quamplurimas ad alias terras et insulas dederunt. Qui principes de Vaus in perpetuum deberent appellari. Et adhuc ista progenies, que de Vaus vocatur, major, potentior et nobilior omni progenie in India in presentem diem.

Cum itaque[101] omnia per ipsos tres reges laudabiliter essent disposita, tunc ad civitatem Syrillam ad perpetue manendum se transtulerunt et diebus tribus supervixerunt. Extunc modicum ante festum nativitatis Domini quedam stella nova et insolita super istam Syrillam civitatem apparuit, per quam ipsorum felicem resolucionem instare intellexerunt, et quod a Domino vocabantur omnibus intimabant. Unde ibidem in ecclesia per ipsos factum tumulum sub more regio **[272v:]** preparare fecerunt, et per illud instans nativitatis Domini festum divinum officium solempniter peregerunt.

Et octava nativitatis Domini tunc Melchior rex Nubie et Arabie divino officio celebrato anno etatis sue centesimo decimo sexto coram omni populo inclinato capite absque omni dolore dulciter in Deo obdormuit. Cujus corpus alii duo reges, principes et universi populi vestimentis pontificalibus et eciam regalibus cum aromatibus more regali, prout decuit, in tumulo posuerunt. Extunc Balthazar rex Godolie et Saba anno etatis sue centesimo duodecimo celebrata solempniter missa coram omni populo absque omni dolore ibidem in Deo requievit, quem 3us rex, omnes populi et nobiles juxta prioris regis defuncti corpus eodem modo in cultu regio honorifice in tumulum posuerunt. Et non multum post sc. sexto die sequenti extunc Jaspar 3us rex Tharsis et insule Grisolle anno etatis sue centesimo nono divino officio devote peracto coram omnibus astantibus sine dolore alios duos reges sequebatur, qui dum more regio, prout decuit, juxta corpora duorum priorum regum in sepulchro posita locari deberet, quodlibet in partem suam cessit et corpus 3ii regis in medium eorum receperunt.

Et sicut hii gloriosi principes in vita dilexerunt se, ita in morte non sunt separati. Et stella rara et insolita, que ante eorum obitum apparuit, quousque eorum corpora Colonie transferentur, super civitatem Syrillam permansit.

Deus eciam omnipotens post obitum ipsorum diversos utriusque homines sexus quacunque infirmitate, dolore aut angustia, captivos longe vel prope, in terra vel in mari positos, qui auxilium ipsorum trium regum implorabant et devote invocabant, per eorum merita evidenter liberavit. Ita

[101] The same story of the three kings' death f.97r

quod ex longissimis partibus per terram et mare populi maxima multitudine ad eorum reliquias confluebant. Et fidem, quam cum beato Thoma in vita predicabant, eciam moribus, virtutibus **[273r:]** et signis in morte et post mortem confirmabant. Et ipsorum corpora vestimentis regalibus et pontificalibus in sepulchro posita non quasi mortua, sed ut dormientia et melius quam in vita colorata omnibus populis apparuerunt. In quibus Deum benedixerunt et laudaverunt.

Post multum vero temporis cum fides christiana in nobili civitate Syrilla in universis populis et regnis Orientis ita floreret, extunc inimicus omnium beatorum sevit inter triticum et zizaniam sc. inter fidem catholicam et diversarum specierum heresim opiniones. Propter quod tunc corpora et reliquie ipsorum trium regum ceperunt ab omnibus negligentius haberi in reverencia et minus venerari. Nam terre et regna eorum in fide dividebantur odiose. Et tunc statim ipsorum trium regum corpora, que usque ad illud tempus quasi dormientia et incorrupta permanserunt, et tunc carnis materia de ossibus eorum solvebatur et more suo in pulverem revertebatur. Unde homines de regnis Arabie, Nubie, Saba, Godolie, Tharsis insule et Grisolle nati, in quibus ipsi tres reges regnabant, eciam fide sunt divisi.

Cum autem horum trium regum regna essent ita corrupta et in heresi odiose divisa et propter nimiam multitudinem, distanciam, discordiam et potenciam a patriarcha Thomas et presbitero Johanne ab erroribus non possunt revocari, extunc eciam in terris et regnis illis in hac dissensione cepit gentilitas reverti et idolatria repullulari. Unde in tali miseria homines de regnis istorum trium regum beatorum nati, qui in civitate Syrilla potenter habitabant, in fide odiose sunt divisi. Extunc quevis pars tam ex reverencia quam invidia corpus sui regis sumpsit de sepulchro, quia cum parte adversa esse et requiescere noluit, et ad loca majora sue partis reduxit, prout quando viventes prius ad Bethlehem pervenerunt, cum hympnis, laudibus **[273v:]** et reverenciis maximis sunt recepta et in loculis diversimode ornatis reverenter sunt inclusa. Et in hiis per longa tempora permanserunt.

Cum autem placuit Deo, quod triticum et semen fidei ita longo tempore laboratum in quadam zizania fuerunt seminatum, quod ab ipsis et aliis persecucionibus et impedimentis latitabat in terra, ut in talibus variis frigoribus et tempestatibus translatis eciam appareret in germine. Unde circa annos Domini cccxxxiiii, dum gloriosus Constantinus imperator in Occidente per sanctum Silvestrem gracia Dei signis et prodigiis ad fidem esset conversus et a lepra gentilitatis et idolatrie esset mundatus, et in

novum hominem vita et moribus in melius esset mutatus. Eodem tempore venerabilis Helena, mater perfidia in fidem catholicam conversa ipsius, inter perfidos judeos in Oriente revertebatur, et in judaica perfidia quasi esset infinita et corrupta, prout hec omnia de invencione sancte crucis plenius invenitur.[102]

Extunc venerabilis Helena quanto magis prius in veteri testamento et judaica perfidia sistebat, tanto magis postmodo novo testamento in evangeliis studiosius estuebat, et omnia loca sancta, que in illis et in aliis partibus Jhesus sua humanitate et divinitate ac potencia consecravit, que prius ex suggestione judeorum [ab] ipsa Helena prophanata odiosa contaminata fuerunt. Hec omnia loca Helena postmodo ad laudem Dei et confusiuonem judeorum humiliter visitavit et devotissime honoravit, ditavit et amplificavit. Unde postquam ipsa Helena crucem Christi et claves [clanos?] nutu Dei invenit et in omnibus locis, videlicet Jherusalem, Bethlehem et Nazareth, que Dominus in sua humanitate signis et prodigiis consecravit et illustravit, in ipsis venerabilis Helena monasteria et ecclesias fundavit. Et in hiis patriarchas, archiepiscopos, episcopos et Dei ministros instituit et ordinavit. Et in Bethlehem in spelunca et tugurio, in qua Deus homo natus fuit, in presepio ipsos pannos, quibus Christus ibidem fuit involutus, fenum et camisiam beate Marie in presepio recentes **[274r:]** invenit, prout beata virgo Maria ibidem oblata dimisit. Et omnia secum Constantinopolim transtulit.

Et omnia ibidem in ecclesia sancte Sophie reverenter collocavit et ibidem usque ad tempus Karoli permanserunt, qui Jherusalem et alias civitates christianorum, Zachariam patriarcham et alios christianos de manibus saracenorum eripuisset. Et post Constantinopolim in reditu cum suis exercitibus transisset, extunc beate Marie fenum et pannos, in quibus Christus infantulus fuit involutus, petiit et optavit, que cum aliis reliquiis, que ibidem et alibi fuerunt, honoranter secum sumpsit et in Aquisgravi in ecclesia beate Marie, quam fundavit, honorifice collocavit, que ibidem a fidelibus de longissimis partibus visitantur et honorantur in presentem diem.

Cumque venerabilis Helena in hiis et omnibus locis, qui ei expedire videbatur, archiepiscopos, episcopos, abbates, presbiteros et alios Dei ministros instituisset et ordinasset, et omnia ad laudem et honorem Dei recte, perfecte et laudabiliter perfecisset, extunc de corporibus et reliquiis trium regum, qui Dominum adoraverunt et munera optulerunt, cepit diutius cogitare, et ad terras et provincias circa Indiam cum nobili et maximo

[102] f..316r sermo de exaltacione crucis

comitatu regali imperio se transtulit. In quibus eciam templa et aras idolorum invenit et gentilitatem potenter destruxit. Et pro hiis in laudem et honorem Dei ecclesias et monasteria fundavit, in quibus archiepiscopos, episcopos, abbates et alios Dei ministros instituit et ordinavit et cultum Dei in omnibus partibus illis per omnia reparavit et amplificavit.

Et fidem christianam que prius in illis partibus detestabatur, Helena multum honoravit, exaltavit et glorificavit. Ad quam tunc omnes christiani catholici unanimiter confluxerunt. Nam audierunt quanta mirabilia et magnalia Deus in invencione sancte crucis, **[274v:]** clanorum, camisie beate Marie virginis, feni et pannorum, quibus Deus in sua infancia fuit involutus, per ipsam Helenam Dominus fuerat operatus. In quibus venerabili Helene unanimiter gratulabantur et in fide confortabantur. Et inde gentes idolatrie et heretici de hiis multum dolebant et confundebantur. Ipsis eciam in superioribus partibus Indie quamplurimis ecclesiis et monasteriis fundatis et undique reparatis et in hiis Dei ministris de novo constitutis et omnibus christicolis in fide confortatis, tunc venerabilis Helena de corporibus trium regum beatorum cepit inquirere.

Et cum de ipsorum trium regum regnis et ipsorum in vita gestis per ipsos reges factis et ordinatis fuit instructa et informata, tunc de ipsorum corporibus studiosius cepit cogitare. Cujus desiderium omnipotens Deus implens et prope est omnibus invocantibus eum in veritate, et quia prius crucem suam et clanos sub terra profundissime absconsa revelavit, ipsi eciam corpora et reliquias trium regum beatorum demonstravit. Quorum duo corpora sc. Melchior et Balthazar a patriarcha Thoma et domino indorum presbitero Johanne et aliis terrarum partiumque principibus ad amplificandum Dei honorem studiose impetravit.

Et quia tunc pro parte romano imperio pertinebant, et omnes unanimiter audierunt, quanta mirabilia et magnalia Deus per eam esset operatus, tunc ei duorum regum corpora benignissime tradiderunt et dimiserunt. Corpus vero 3$^{ii}$ regis sc. Jaspar nestrioni heretici de regno ipsius Jaspar regis nati, sub eorum potestate habuerunt in sua nequicia perdurantes. Nam illud corpus de Grisolla et [ad?] regnum insule transtulerunt et absconderunt. Venerabilis Helena habitis itaque duo regum corporibus volens [nolens?] eos separare divisos per multos legatos precibus, motivis [votivis?] et muneribus multis apud potentiores regni insule et ipsorum nestrionorum ordinavit et optinuit, quod corpus beati Thome apostoli, quod impetraverat, pro corpore 3$^{ii}$ regis Jaspar dedit et optinuit et permutavit. Et ibidem corpus Thome **[275r:]** apostoli ipsis nestrionis bis est ablatum et ex certis causis ipsis totidem restitutum. Sed in

presentem diem adhuc est commune vaticinium in omnibus illis partibus, ut adhuc corpus beati Thome ei 3[a] vice debeat auferri, et Colonie apud trium regum corpora transferri et ibidem permanere.

Cum itaque corpus Jaspar ethiopis 3[ii] regis de regno insule portaretur et aliis duobus corporibus jungeretur, extunc talis et tanta fragrancia odoris et suavitatis ex eis exiit, quod omnes a longinquo suavitate odoris replebantur et reficiebantur. Tunc venerabilis Helena trium regum corpora in loculo ditissimo in majorem et nobiliorem filii sui civitatem, quam fundaverat, Constantinopolim transportavit, que est caput Grecie, cum maxima exultacione et reverencia cum aliis diversis reliquiis, quas hinc et impetraverat, omnibus populis ad hoc ibidem congregatis et invocatis cum laudibus et hympnis, prout decuit, honorifice sunt recepta. Et in ecclesia sancte Sophie Constantinopolim reverenter sunt collocata et ab omnibus venerata. Et est sciendum quod ecclesia sancte Sophie in Constantinopoli est ultra modo pre aliis ecclesiis in mundo multum magna et lata, ita quod naves magne omnibus velis suis explicatis et extensis in se commode possent vertere et girare. Et ipsa ecclesia ibidem vocatur ecclesia sancte Sophie, que in greco dicitur verbigene.

In hac ecclesia magna stat columpna marmorea, super quam habetur imago imperatoris equestris erea et deaurata, et habet pomum rotundum more imperiali in manu sinistra et contra Orientem rebellibus saracenis quasi minans dextera et subtus juxta hanc columpnam venerabilis Helena ipsorum trium regum corpora in loculis diversimode ornatis honorifice collocavit. Et a longinquis partibus terre ab omnibus populis **[275v:]** devotissime sunt visitata et longo tempore venerata. In populis ad eorum reliquias confluentibus Dominus dona misericordie sue multimode est largitus. Nam omnes, qui in fide aut devocione eorum auxilium implorabant a quacunque tribulacione in terra vel in mari detinebatur, eorum meritis Deus eos misericorditer liberavit.

Post obitum vero gloriose Helene et gloriosi Constantini, Juliano apostata regnante, tunc idolatra gentilitas repugnavit et gravissima persecucione gladii in christianos longis temporibus, prout in passione diversorum martyrum plenius continetur. Ipsa vero persecucio cum cessavit, tunc cepit in universo mundo alia de novo persecucio hereticorum et errorum diversorum scismatorum contra catholicos et fideles. Et ipsa persecucio fertur durior fuisse persecucione gladii anteriore, ita ut fides christiana tamquam triticum crebraretur. Et in hac tribulacione greci, licet habuissent quamplurimos egregios doctores et romanos principes de Grecia natos, tamen ab ecclesia romana recesserunt et proprium

patriarcham fecerunt, cui ab illo tempore in omnibus ut domino pape in presentem diem obedierunt. Et in hac tempestate corpora et reliquie ipsorum trium regum beatorum absque reverencia et cura permanserunt.

Dum Dominus Greciam et Hermeniam tradidit in manus saracenorum et persarum, qui has terras multum destruxerunt, quas Mauricius, primus imperator romanorum ex grecis, cum auxilio mediolanensium, prout fertur, ejusdem imperatoris consilio ipsorum trium regum corpora cum aliis reliquiis postmodo fuerunt translata. Et legitur quod Manuel, grecorum imperator, Eustorgium virum religiosum et prudentem nacione et legacione grecorum Mediolanum misit, qui prudens erat et apud imperatorem potens. Ipsum in archiepiscopum mediolanensem elegerunt, et ipsius precibus ipsorum trium regum corpora, de quibus tunc nullus multum curavit, ab imperatore impetravit et secum Mediolanum reverenter transportavit. In ecclesia speciali, que modo est fratrum predicatorum, cum hympnis, laudibus **[276r:]** et omni populo honorifice collocavit. Ubi eciam Dominus ob ipsorum meritis, locis et temporibus, prout in locis prioribus multa mirabilia et virtutes operatus est.

Anno vero Domini mclxiiii civitatem mediolanensem Fredericus imperator, quam imperator destruere proposuit, circumvallavit. Unde majores et nobiliores in civitate, paucis scientibus, ipsa trium regum corpora certissime absconderunt. Et cum imperator auxilio Regnoldi archiepiscopi coloniensis, aliorum principum et dominorum Mediolanum obsedit et expugnavit, tunc Regnoldus archiepiscopus coloniensis palacium domini Assonis et turrim, quem imperator pre omnibus aliis exosum habuit, cepit et intravit et ad manus suas optinuit. Quem idem dominus Asso per accessum ad Regnaldum archiepiscopum coloniensem petiit, ut sibi graciam apud imperatorem posset et vellet impetrare, tunc sibi trium regum corpora cum aliis reliquiis vellet demonstrare et abscondite dare. Quod idem Regnaldus fecit.

Tunc ipsas reliquias ei dedit, quas cum idem Regnaldus habuisset, per suos fideliores nuncios statim ad Coloniam destinavit. Quod postea imperatori indicavit, et tunc primum ipsas reliquias ab imperatore petiit et impetravit et distulit ei prius indicare. Nam ipsas reliquias venerandas dubitavit se posse impetrare. Tunc archiepiscopus ista trium regum corpora cum aliis reliquis sc. Felice et Nabore martyribus inclitis Mediolano, qui ibidem sub imperatore pertulerunt, Colonie honorifice transtulit, cum hymnis in ecclesia sancti Petri ibidem reverenter collocavit.

Post quod Deus plura mirabilia et virtutes operatur in presentem diem, et a principibus, nobilibus et a longissime terre partibus visitantur et venerantur adhuc in presentem diem.

Arma trium regum beatorum. Melchior optavit stellam et desuper crucem. Balthazar coronam desuper stellam. Jaspar brachium desuper stellam. *Tu autem, Domine, miserere*. [Ps. 40,11].

**De judicio ultimo**

Nota. Concomitancia autem judicium erunt plura. Primum est disceptacio judicis. Judex enim in vallem Josaphat descendet et bonos a dextris et malos a sinistris statuet. Et credendum est in loco eminenti eum futurum, unde ceteri poterint eum videre. Nec intelligendum est quod omnes intra istam valliculam concludantur, quia hoc est puerile, ut dicit Jheronimus, sed quod erunt ibi et in locis circum adjacentibus. In parva autem terra innumerabilia hominum milia esse possunt, maxime quando constringuntur. Et si necesse fuerit, electi erunt in aere corporum agilitate, dampnati agilitate eciam esse in aere poterunt divina suspendenti virtute.

Et tunc judex cum malis disceptabit et eos pro operibus misericordie, que non habuerunt, objurgabit, et tunc omnes super se plangent, secundum quod ostendit Chrisostemus dicens: Primo plangent se judei videntes viventem et vivifican tem, quem quasi hominem mortuum existimabant, et connicientes se corpore vulnerato scelus suum denegare non poterint. Plangent se et gentiles, qui variis disputacionibus philosophorum decepti irracionabilem stulticiam putaverunt esse Deum dolore crucifixum. Plangent se christiani peccatores, qui magis dilexerunt mundum quam Christum. Plangent se heretici, qui purum hominem esse crucifixum dixerunt, et videant ipsum esse judicem, in quem conspuerunt judei. Plangent se omnes tribus terre, quia nec resistendi virtus est contra eum, nec fugiendi facultas ante faciem ejus, nec penitencie locus, nec satisfaccionis tempus. Ex angustia omnium rerum nihilque eis remanet preter luctum.

Item insignia passionis Christi, crux, clani, cicatrices in corpore, erunt in judicio multiplici de causa. Prima in ostensione sue gloriose victorie, et ideo in excellencia glorie apparebunt. Unde dicit Chrisostemus super Mat. quod crux et cicatrices radiis solis erunt lucidiores. Considera quanta sit

virtus crucis: Sol obscuratur, et luna non dabit lumen suum, ut discas quantum crux et luna lucidior et sole preclarior est. 2$^{o}$ in ostensione sue misericordie ut ex hoc ostendatur, quam misericorditer boni sint salvati. 3$^{o}$ in ostensione sue justicie ut ex hoc ostendatur, quod justissime reprobi sint dampnati, quia sc. tantum precium sui sanguinis **[277r:]** contempserunt.

Unde in hec verba eis exprobrat, ut dicit Chrisostemus super Mat.: Ego propter vos homo factus sum, propter vos alligatus, delusus et cesus et crucifixus. Ubi est tantarum injuriarum mearum fructus? Ecce precium sanguinis mei, quem dedi pro redempcione animarum vestrarum. Ubi est servitus vestra, quam mihi pro precio sanguinis mei dedistis? Ego super gloriam meam vos habui, cum essem Deus apparens homo, et viliorem me omnibus rebus vestris fecistis. Nam omnem rem vilissimam terre amplius dilexistis quam justiciam meam et fidem. Hec Chrisostemus.

De sentencia judicis. Non enim flectetur timore quia omnipotens est. Nec flectetur munere quia justissimus est. Bernardus: Veniet dies illa in qua plus valebunt pura corda quam astuta verba, et consciencia bona quam marsubia plena. Ille enim est qui non falletur verbis, nec flectetur donis. Augustinus: Exspectetur dies judicii, et aderit iste equissimus judex, qui nullius potentis personam accipit, cujus palacium auro et argento nullus episcopus vel comes vel abbas corrumpere potuerunt, nec odio quia optimus est. Ps. [Sap. 11,25]: *Nihil odisti eorum, que fecisti.* Nec amore, quia justissimus est. Unde eciam fratres suos sc. christianos non liberabit. Nec flectetur errore, quia sapientissimus est. Unde Leo papa: Ista est sciencia summi judicis, iste tremendus aspectus, cui est parvum omne solidum et apertum omne secretum. Cui obscura clarent, muta respondent, silencium confitetur, et sine voce mens loquitur.

Item ista sentencia judicis erit irrevocabilis. Illa enim sentencia numquam poterit revocari nec ab illa poterit appellari. Triplici enim de causa appellacio in causis judiciabilibus non recipitur. Primo propter judicis excellenciam. Unde a rege ferente sentenciam appellari in regno suo non potest, quia in regno suo nullum supra se habet. Similiter nec ab imperatore, nec a papa potest appellari. 2$^{o}$ propter criminis evidenciam, quia quando crimen notum est, appellari non potest. 3$^{o}$ propter rem non differendam, quia si res reciperet dilacionem, quia forsitan ex dilacione detrimentum pateretur, similiter non appellatur. Propter hanc triplicem racionem ab illa sentencia non poterit appellari. Primo propter judicis excellenciam, quia judex ille **[277v:]** nullum supra se habet. Sed ipse omnes excellit eternitate, dignitate et divinitate. Unde ab imperatore vel papa possit aliquo modo appellari ad Deum, a Deo autem ad nullum, quia

supra se nullum habet. 2° propter criminis evidenciam. Omnia enim scelera et crimina reproborum ibidem nota erunt et manifesta. Jheronimus: Aderit dies illa in qua facta nostra quasi in quadam tabula picta demonstrabuntur. 3° propter rem non differendam. Nihil enim, quod ibi agitur, dilacionem patitur sed omnia in momento in ictu oculi peraguntur.

Tres enim accusatores contra peccatores stabunt. Primus est diabolus. Augustinus: Presto tunc erit diabolus recitans verba professionis nostre et objiciens nobis quecunque fecerimus et in quo loco et in qua hora peccavimus, et quid boni tunc temporis facere debuimus. Dicturus est ille adversarius: Equissime judex, judica istum meum esse ob culpam, qui tuus noluit esse ob graciam. Tuus est per naturam, meus per miseriam. Tuus ob passionem, meus ob suasionem, tibi inobediens, mihi obediens. A te accepit immortalitatis stolam, a me accipit hanc pannosam, qua indutus est, tunicam. Tuam vestem dimisit, cum mea huc venit. Equissime judex, judica istum meum esse et mecum esse condempnandum. Heu, heu, poterit ne talis aperire os, qui talis inveniretur, ut juste cum diabolo deputetur. Hec Augustinus.

2$^{us}$ accusator erit proprium scelus. Peccata enim propria ejus opera dicent: Tu nos egisti, opera tua sumus. Non te deserimus, sed semper tecum erimus et tecum ad judicium pergemus, multisque et multiplicibus criminibus eum accusabunt. 3$^{us}$ accusator erit totus mundus. Gregorius: Si queris quis te accusabit, dico: Totus mundus. Offenso enim creatore offendetur totus mundus. Chrisostemus: In illo die nihil erit, quod non respondemus, ubi celum et terra, aqua, sol et luna, dies et noctes et totus mundus stabunt adversus nos in testimonium peccatorum nostrorum. Et si omnia tacerent, ipse cogitaciones nostre et opera similiter stabunt adversum nos ante Deum nos fortiter accusantes.

## Miraculum bonum de Domina

Miles quidam potens valde et dives cum omnia bona sua indiscreta liberalitate dispergeret, ad tantam devenit inopiam, ut qui consueverat magis tribuere, jam inciperet minimis **[278r:]** indigere. Habebat autem quandam uxorem pudicissimam et beate Marie valde devotam. Appropinquante autem quadam solempnitate, in qua predictus miles multa donaria consueverat elargiri, cum jam quid tribueret non haberet, nimia confusione et verecundia ductus, quousque predicta transisset solempnitas, desertum locum meroris amictum expetiit, ut et fortune sue incommoda plangeret et verecundiam evitaret.

Et ecce subito quidam equus terribilis valde terribiliorem habens sessorem ad eum accessit. Cujus assessor eum alloquitur et causam tante tristicie sistitatur. Cui cum omnia, que sibi contigerant, per ordinem enarrasset, ille ait: Si mihi in modico obtemperare volueris, magis quam ante gloria et diviciis abundas. Spondet iste principi tenebrarum, se quidquid jusserit libenter facturum, dummodo ipse impleat quod promittit. Et ille: Ecce pergens in domum tuam in tali loco requires et ibidem tot auri totque argenti pondera, tot lapides preciosos invenies. Mihi autem hoc facies, ut tali die huc uxorem tuam ad me adducas. Sub tali promissione miles domum revertitur et in loco, de quo sibi dixerat, querens omnia reperit que predixit. Que inveniens mox emit palacia, largitur dona, redimit fundos, comparat servos.

Appropinquante autem die statuta uxorem suam vocavit et dixit: Equum ascendite, quia aliquo longius mecum pergere vos oportet. At illa tremens ac pavens et viri imperio contradicere non presumens beate Marie devote se commendavit et post virum abire cepit. Cum autem longius processissent et in via quandam ecclesiam invenissent, illa de equo descendens ecclesiam intravit, viro exterius exspectante. Dum vero beate Marie se devote commendaret, illa subito obdormuit, et virgo gloriosa predicte matrone et habitu et qualitate per omnia similis de altari processit et foras exiit, equum ascendit, matrona illa in ecclesia remanente.

Vir autem uxorem suam esse arbitrans **[278v:]** profectus est. Cum autem ad locum statutum venisset, ecce princeps tenebrarum veniebat cum impetu et ad locum festinabat. Et cum appropinquasset, statim iste infremuit et tremens ac pavens accedere non presumpsit. Dixitque militi: Infidelissimus hominum, cur mihi taliter illusisti et pro tantis beneficiis mihi talia contulisti? Ego enim tibi dixeram ut ad me adduceres tuam conjugem, et tu adduxisti Domini genitricem. Volebam uxorem tuam, et tu

adduxisti Mariam. Nam cum uxor tua multas mihi inferat injurias, de eadem volebam expetere ulcionem, et tu ad [me] istam adduxisti, ut me torqueat et ad infernum mittat.

Audiens hoc miles vehementer obstupuit et pre timore et admiracione nimia loqui non poterat. Beata autem Maria dixit: Quia temeritate nequa, spiritus, devote mee nocere presumpsisti, non eris impunitus, et nunc tibi hac complector sentencia, ut in infernum descendas et alicui me cum devocione invocanti nocere de cetero non presumas. Ille autem cum multo ejulato recessit. Et vir de equo exsiliens se ad ejus pedes prostravit, quem virgo increpans ad suam uxorem, que adhuc in ecclesia dormivit, jubet redire et omnes divicias demonis abjicere. Rediens igitur, cum adhuc uxorem suam dormientem inveniret, eam excitavit et sibi que acciderant enarravit. Cum autem domum redissent et omnes demonis divicias abjecissent, in laudes virginis devotissime permanserunt et multas postmodo divicias ipsa largiente virgine receperunt.

## De nativitate Domini

*Exiit edictum a cesare Augusti, ut describeretur universus orbis.* [Luc. 2,1]. Quando Dominus noster Jhesus Christus pro salute mundi nasci voluit, tunc appropinquavit salus nostra. In ipso tempore fuit unus cesar nomine Augustus, et in suis temporibus fuit maxima pax que unquam fieret, et hoc dignum fuit, quia tempore illo eterna pax in hunc mundum venit sc. Dominus noster Jhesus Christus, qui angelos et homines pacificavit. Augustus cesar precepit ut omnis mundus ad suum censum summaretur, et unusquisque reverteretur ad suam patriam, unde natus fuisset, ut sciret de qua tribu aut de qua familia esset.

Tunc enim venit Joseph cum sponsa sua Maria de Galilea de civitate Nazareth in Judeam in civitatem David regis, que vocatur Bethlehem, quia ambo erant de familia David. Et prope fuit tempus pariendi, in quo debuit inclita mater dilectum filium suum parere, et ipsa peperit primogenitum et unigenitum suum et involvit eum in pannis et posuit eum in presepio, quia alium locum non habuit.

Ad illud presepe stabat unus bos et unus asinus. Et dicunt quidam quod animalia non comederent postquam cibus angelorum ante illos positus est. In ipsa regione consuetudo fuit quod pastores vigilabant super

gregem tota nocte. Ipsis apparuit angelus Domini cum magna luce, et illi valde perterriti sunt. Et angelus dixit ad illos, quod non timerent, quia illis magnum gaudium dicere vellet, quod omni mundo contigisset. Luc. 2,11-14]: *Hodie,* ait, *natus est redemptor mundi, qui est Christus Dominus in civitate David* sc. Bethlehem, *et dico vobis indicium quod debetis invenire infantem jacentem in presepio et eum pannis involutum. Et cum dixisset hec angelus, tunc venit multitudo angelorum, qui laudabant Deum et dicebant et cantabant: Gloria in excelsis Deo,* qui honor Deo esset in celis, *et pax in terra esset omnibus, qui essent bone voluntatis.* Valde congruum fuit ut pax et requies esset in hoc mundo, quando creator celi et terre natus est, qui destruxit regnum diaboli et liberavit plasma suum de captivitate diaboli. Servi facti sumus serviendo diabolo, filii Dei facti sumus credendo in filium suum.

### In die pasche

*Hec est dies, quam fecit Dominus*. Ps. [117,24]. Nota quod post auram pluvialem sequitur serenitas et post tempestatem tranquillitas. Unde magna pluvia fuit in parasceve non solum lacrimarum, que fluxit de oculis Domini et matris sue, sed eciam sanguinis qui fluxit de diversis partibus Domini. Et magna fuit tempestas penarum, quando Christus in crucis patibulo suspensus fuit. Hodie vero Christo resurgente magna serenitas facta est, non solum quantum ad Christum qui surrexit, sed eciam quantum ad matrem ejus et omnes discipulos, qui de ejus resurreccione leti fuerunt, quorum exemplo omnes fideles spiritualiter letari deberent. Ideo dicit Ps.: Hec est dies quam etc.

Unde iste dies est laudabilis. Unde Dominus [Ez. 36,23?]: *Sanctificabo dominicam meam,* et qui non bene custodit eam, condempnabitur. Eciam est dies desiderabilis, quia sancti captivati in inferno multum desiderabant istum diem. Ps. [11,6]: *Propter miseriam inopum et gemitum pauperum etc.* Hodie resurgit Dominus spiritualiter et non carnaliter. Omnes fideles istum diem desiderant et mercedem accipiant pro jejuniis, oracionibus, eleemosynis et aliis beneficiis istis temporibus factis. Eciam est dies sacramentalis, non pro implecione corporis, sed quia

sancti in inferno hodie satiati fuerunt, quando Dominus eduxit eos et posuit eos in requiem suam. Ideo potest vocari dies quam fecit Dominus. Certe omnes dies fecit Dominus, sed tamen plus fecit in isto die quam aliis, quia innotuit se isto die esse Deum infernorum, vivorum, mortuorum et angelorum.

Primo infernorum quia claustrum inferni fregit et [Ps. 67,19] *captivam duxit captivitatem.* Unde legimus, quando Dominus percussit portas inferni, tunc perterriti sunt diaboli et quesierunt, quis esset ibi. Currunt ad principem eorum dicentes: Hic est unus qui vult frangere portas nostras. Numquam mundus misit nobis talem, quia omnes, qui veniebant huc, fuerunt timidi et dolentes. Sed iste non timet nos, sed nos magis timemus eum. Respondit princeps: Vere venerat, ut destruat regnum nostrum et spoliat nos. Statim **[280r:]** fracte sunt porte. Tunc exclamavit Adam dicens: Video manus, que me fecerunt. Et Adam exivit et sequebantur eum omnes anime juste. Tunc ligavit diabolum et privavit eum potestate, et adhuc ligatus est, nisi solvamus eum cum peccatis nostris. Ita ostendit se esse Deum infernorum.

2^o^ ostendit se esse Deum vivorum, quia legimus, dum Dominus mortuus fuit et sepultus, tunc judei posuerunt magnum lapidem et [ad] ostium monumenti ponentes milites, qui custodirent eum. Sed quando hora sua venit, surrexit de sepulchro, militibus videntibus, qui custodiebant sepulchrum, quasi mortui perterriti sunt facti, ita quod nullus potuit movere pedem vel palpebram. 3^o^ ostendit se esse Deum mortuorum, quia multa corpora mortuorum cum eo surrexerunt. 4^o^ ostendit se esse Deum angelorum, sicut hodie in evangelio legimus, quod tres Marie venerunt dilulculo ad monumentum, ut ungerent corpus Jhesu. Et cum venerunt, viderunt revolutum lapidem ab ostio sepulchri et angelos sedentes in vestibus albis in sepulchro, qui dixerunt eis [Marc. 16,6]: *Nolite expavescere. Jhesum queritis nazarenum.* Ita ostendit se esse Deum infernorum, vivorum, mortuorum et angelorum in sua resurreccione.

Et est notandum quod Christus resurrexit 4^or^ modis. Primo potentialiter quia magnus lapis suppositus erat, cum quo surrexit. Hoc ideo ut peccator magnitudinem peccati deponat. Sicut Christi passio fuit nobis in remedium, ita resurreccio ejus ponitur nobis in exemplum. 2^o^ integraliter. Non enim reliquit humanitatem nec divinitatem, sed surrexit Deus verus et homo. Hoc eciam fecit nobis in exemplum, quia debemus surgere totaliter de peccatis, quia consultum est omnibus sumentibus corpus Domini toto corde sua peccata confiteri, ut digne accipiant. Unde Paulus [1.Cor. 11,29]: *Qui manducat indigne etc.* 3^o^ velociter quia non

exspectavit ad ultimam resurreccionem, nec ad annum, sed surrexit 3[a] die sicut predixit. Et hoc notatur, **[280v:]** quando sumus in peccatis, tunc statim surgamus per veram confessionem, et non debemus exspectare ultimum diem.[103]

Nota quare non exspectavit cum aliis resurgere sc. quando fiet generalis resurreccio. Hoc fecit propter ii raciones. Primo propter corporis dignitatem. Cum enim illud erat dignissimum et deificatum, non fuit decens, ut tamdiu sub pulvere jaceret. Unde Ps. [15,10]: *Non dabis sanctum tuum* sc. corpus sanctificatum *videre corrupcionem.* 2[o] propter fidei firmitatem. Si enim tunc non resurrexisset, fides perisset, nec verum Deum aliquis eum credidisset, quod patet in passione ejus. Excepta beata virgine omnes fidem amiserunt, sed cognita resurreccione ipsam recuperaverunt. 4[o] eternaliter. Unde [Rom. 6,9:] *Mors illi ultra non dominabitur.* Tantum de illo.

**De passione Domini[104]**

*O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor similis sicut dolor meus*. Jer. i[o]. [Thren. 1,12]. Dicit Dominus ad omnes homines clamans, quod pro omnibus morior. Qui transitis per viam sc. in via hujus mundi, ubi est locus condolendi. In celo non dolent pre nimio gaudio, nec in inferno pre nimia obstinacione. Attendite diligenter ut defleatis, videte frequenter ut non obliviscamini, quid pro vobis patior. Et ideo dicit Ps. [24,16]: *Respice in me et miserere mei*. O creatura nobilis ad imaginem Dei facta, vide oculo consciencie quanta pro te triginta annis et tribus ultro sustinui. Attende ut compatiaris. Unde Bernardus: O bone Jhesu, quam dulciter cum hominibus conversatus es, et magna eis largitus es sc. corpus et animam et spiritum. Quam dura et aspera pro eis passus es, dura verba, duriora verbera, durissima crucis tormenta. Augustinus: Omnis creatura Christo morituro compatitur. Sol obscuratur, terra movetur, lapides colliduntur, solus miser homo non compatitur, pro quo Christus patitur.

Pensemus quam amarius sit mors Christi filii Dei. Levemus caput et oculos et inspiciamus celum et queramus a sole de Christo: O sol, luna,

---

[103] The passage nota quare .... recuperaverunt also f. 315v
[104] very like the sermon f. 281r

stelle et omnes planete, quare obumbrate estis? Respondent: Quia ploramus eo modo, quo potuimus, mortem Domini nostri Jhesu Christi. Audivimus clamorem ejus et vidimus matrem ejus jacentem sub cruce, cujus lacrimas ferre non potuimus. Et ideo nostra luce judeos privamus in sue malicie detestacionem. Item a terra: Quia sanguinem creatoris mei calidum suscepi. Item a lapidibus: Quia vidimus corda judeorum duriora quam nos.

Notandum est quod passio Christi fuit amara, immo amarissima. Primo enim fuit turpis sive ignominosa racione loci, consorcii generis et supplicii. Primo racione loci, quia in turpissimo loco, ubi malefactores, fures et latrones occidebantur. Jo. ix [19,17-18]: *Exivit ad eum, qui dicitur Calvarie, locum ubi crucifixerunt eum.* Tam turpi loco sustinuit, ideo in tam turpi loco pati voluit, ut te ad locum glorie perduceret. Joh. i4 [14,2]: *Vado parare vobis locum.* 2°modo turpis fuit sive ignominosa racione consorcii, quia inter duos latrones. Luc. 23 [Mat. 27,38]: *Crucifixerunt eum et duos latrones, unum a dextris et unum a sinistris.* Isa. 53[,12]: *Tradiderunt in mortem animam ejus, et cum sceleratis reputatus est.*

O homo, refer hodie Christo grates, qui hodie fieri voluit socius **[281v:]** latronum, ut te faceret socium angelorum. Cogita, si potes, confusionem quam Christus hodie sustinuit, cum videret unum latronem a dextris et alium a sinistris et se suspensum in medio, quasi esset deterior utroque latrone, quorum uni dedit regnum, alteri supplicium. Ambrosius: Auctor pietatis in cruce pendens pietatis officia dividebat: Persecucionem apostolis, pacem discipulis, corpus judeis, patri spiritum, virgini paranymphum, latroni paradisum, peccatoribus infernum, crucem christianis penitentibus commendavit. 3° fuit ignominosa sive turpis racione generis supplicii, quia in ligno quasi in patibulo. Non enim fuit turpior mors in lege veteri quam suspendi in ligno. Deut. 21°[,23]: *Maledictus homo, qui pendebat in ligno.* Sed heu, quid tibi factum est hodie, o bone Jhesu. In die palmarum processerunt tibi obviam et clamaverunt [Mat. 21,9]: *Benedictus qui venit in nomine Domini,* rex Israel. Hodie te de Jherusalem ejecerunt et suspenderunt in patibulo, ac si esses maledictus inter omnes filios Jherusalem. Bernardus: Attende, o homo, quod numquam recedat de corde tuo lignum crucis, in quo Christus hodie suspensus fuit et propter te voluit reputari maledictus, ut te a malediccione eriperet et eternaliter benediceret.

3°modo passio Christi fuit dolorosa et amarissima. Primo quia captus fuit ut latro. Unde dicebat [Mat. 26,55]: *Tamquam ad latronem existis cum gladiis etc.* Verberatus ut malefactor, derisus ut fatuus, consputus ut

leprosus, crucifixus ut homicida. Per totam noctem vigilaverunt.[105] Consputus, alaphis cesus et postmodo flagellatus et coronatus. Ex hiis omnibus adeo debilitatus, quod crucem suam non poterat portare pre debilitate nimia ad locum passionis.

Multi hic moriuntur in multis diviciis, in culcitris preciosis, delicatis lectis, sed pauper Christus nec lectum nec straminam habuit, sed nudus in duro ligno suspenditur. Heu, quale speculum. Fures suspenduntur in vestibus, sed Christus nudus suspensus est. Unde potuit dicere [Job. 1,21]: *Nudus egressus sum de utero.* Multi eciam hic, quando moriuntur, habent multas consolaciones. Alii dant verba suavia, alii preparant cibaria delicata, alii ordinant lectisternia, sed heu, Christus in agonia sua omnibus caruit, consolacionem non habuit, **[282r:]** sed multa verba contumeliosa audivit. Ps. [68,21]: *Improperium exspectavit cor meum, et miseriam sustinui.* Delicatum cibum non habuit, cum sitiens in cruce non potuit impetrare unum haustum aque, sed fel et acetum quod, cum gustasset, non potuit bibere pre nimia amaritudine. Quid dicam de lecto, cum clamavit Luc. 9[,58]: *Vulpes foveas habent et volucres celi nidos, ubi reponant pullos suos, filius autem hominis non habuit, ubi caput suum reclinet,* tantam paupertatem sustinuit.

3°modo passio Christi fuit dolorosa et amarissima quia universalis, quia passus fuit in omnibus membris. Unde propheta [Is. 1,6]: *A planta pedis usque ad verticem non fuit in eo sanitas.* Passus enim fuit in omnibus 5ᵉ sensibus sc. primo in auditu, in quo passus est, [cum] audivit blasfemiam quantum ad duo sc. in nobilitate et potestate. Primo quoad nobilitatem. Mat. 13[,55]: *Nonne hic est filius fabri, nonne mater ejus dicitur Maria.* 2° quoad potestatem. Mat. 12 [9,34]: *In principe demoniorum ejicit demonia.* Item Mat. [27,42]: *Latro dixit: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.* Ecce dicunt eum impotentem esse, cum tamen adeo potens est, quod persecutores suos sola voce prostravit, nam cum ille interrogasset [Joh. 18,5-6]: *Quem queritis? Et illi respondissent: Jhesum nazarenum. Abierunt retrorsum et ceciderunt etc.*

Item in visu, quando velaverunt faciem ejus ut fur, et quando lacrimatus est in cruce pre nimia amaritudine. Bernardus: Ascendit in altum ut longius audiretur, fortiter clamavit ut nullus excusaretur, clamori lacrimas addidit ut homo compateretur. Item in odoratu, quia magnum fetorem sentit ex fetidis judeorum sputis et ex cadaveribus mortuorum in loco Calvarie. Item in gustu, quando dederunt ei acetum cum felle mixtum. Item in tactu. Unde Bernardus: Caput angelicis tremebundis densitate

---

[105] cf. fol. 343v

spinarum pungitur, facies speciosa pre filiis hominum sputis judeorum deturpatur, oculi sole lucidiores in morte caligantur. Aures que audierunt angelicos cantus, audiunt peccatorum insultus. Os quod docet angelos felle et aceto potatur, pedes quorum scabellum **[282v:]** adoratur quod sanctum est, cruci clano affiguntur. Manus que formaverunt celos, sunt in cruce extense et clanis affixe. Corpus flagellatur, latus lancea perforatur. Non remansit in eo nisi lingua, ut pro peccatoribus exoraret et spiritum patri commendaret. Et ideo in 5[e] sensibus pati voluit, ut Deo patri satisfaceret pro peccatis nostris, que quotidie committimus per 5[e] sensus nostros.

3[o] fuit dolorosa, quia corpus ejus erat delicatissimum et mundissimum, quia de mundissimo sanguine virginis Marie fuit natum. Augustinus: Nulla creatura Christo tenerior, ideo nullus dolor asperior. Si enim alius nostrum una acu semel pungeretur, magnum dolorem sentiret. Quanto magis Christus dolorem sustinuit, cum ejus delicatum corpus totiens et tam graviter dilaceratum fuit, hinc per flagella, hinc per spineam coronam et hinc per magnos et obtusos clanos, quia dicitur quod sustinuit pro nobis 5495 vulnera.

Nota: lx bis duo cc superaddita milia 5[e]. Tot fertur Christus pro nobis vulnera passus.

3[o] passio Christi fuit injusta. Judei inter alia accusabant eum precipue in tribus casibus, sc. quod tributum reddi prohibebat, 2[o] quia regem se dicebat, 3[o] quia filium Dei se faciebat. Contra has 3[s] accusaciones respondet in persona Christi sancta mater ecclesia, quando dicimus [Mich. 6,3]: *Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui? Responde mihi*. Ad primam accusacionem respondit Dominus: Accusas me de reddicione tributi. Potius gracias agere deberes, quia liberavi te de tributo egyptiorum. Accusas quia dixi me regem esse. Potius gracias agere deberes, quia te pavi manna quasi regem xl[a] annis in deserto. Accusas quia filium Dei me dixi. Potius gracias agere deberes, quia ego elegi te et plantavi te plus quam omnes gentes.

De hiis loquitur Bernardus in persona Christi dicens cuilibet nostrum: Popule meus, quid tibi potui plus facere et non feci? Ego creavi vos, ego redemi vos, non utique auro temporali vel argento, non sole, non luna, non saltem angelorum, sed proprio cruore redemi te, quasi diceret: Crudeliter et injuste agis contra me. Ego maxima beneficia contuli tibi, ideo immerito et injuste occidis me.

Sed posset aliquis querere, quare Christus voluit sustinere pro nobis miseris peccatoribus tam ignominosam, dolorosam et injustam mortem. Respondeo quod sancta trinitas hoc permisit propter maximum ardorem

caritatis, quam gerebat ad humanum genus. Magnum enim fuit incendium amoris, ut pater permitteret **[283r:]** filium mori ut redimeret servum. Magnum enim fuit incendium amoris, quod spiritus sanctus, qui est ipsemet amor patris et filii, consentiret in mortem illius, cujus ipse dicitur esse amor et est, ut hominem, qui per peccatum ab ipsius amore in mortem corporis irruerat, ad vitam suscitaret. Insuper maximum fuit incendium amoris filii Dei, ut carnem sumeret, in qua mortem reciperet ut hominem perditum recuperando solveret. Unde Joh. 3° [15,13]: *Majorem hanc dileccionem nemo habet, ut animam suam etc.*

De istius amoris magnitudine loquitur Bernardus in sermone de convivio crucifixi: Si filius Dei non plus dilexisset me quam se, non tam horribili morti tradidisset se pro me. Humana enim natura fuit sponsa filii Dei. Unde Osee 2°[,19]: *Sponsabo te mihi in fide.* Sed sponsi, ut sint suis sponsis acceptabiliores, portant in capite sertum roseum vel coronam auream, in manibus cyrothecas vel herbas odoriferas, in corpore vestes preciosas, in pedibus calceos rugatos. Sic Christus fecit hodie propter amorem dulcissime sponse sue. Portavit in capite non quoddam sertum rosarum, sed coronam spinarum. Ista corona fuit de juncis marinis etc[106]. Cantavit in ore dulcissimas odas, cantus vel cantilenas sc. 7 verba, que protulit ad nostram instruccionem.

Primo ad patrem pro crucifixoribus dicens [Luc. 23,34]: *Pater, dimitte illis, quia nesciunt etc.* Portavit in manibus suis non cyrothecas de serico nec odoriferas herbas, sed vulnera clanorum et magnos dolores. Non portavit in pedibus calceata rugata, immo tormenta multa in confixione pedum, qui fuerunt crudeliter perforati. In toto corpore suo, dum erat in cruce, non portavit vestimenta ornata, immo membra nuda et flagellata. [Is. 63,2:] *Quare rubrum est vestimentum tuum?* Item Bernardus in sermone de convivio crucifixi: Si non sufficiunt tibi ista tam vehementis [amoris] signa, adhuc do tibi alia, sc. fuit pro te flagellatus, ut castigaret tuam carnalem luxuriam. **[283v:]** Crucem portavit super humeros, ut a te tolleret tuam accidiam. [Mat. 16,24:] *Qui vult venire post me etc.* [Mat. 10,38:] *Qui non tollit crucem etc.*

Dum pependit in cruce, fuit aceto et felle potatus, ut a te refugeret gulam. Aperuit latus suum ut eciam cor scinderetur, ut a te tolleret omnem iram et invidiam. Condidit testamentum et dimisit omnia, que fuerunt in mundo, et non habuit nisi corpus perforatum et laceratum, ut a te resecaret totaliter avariciam. Insuper et caput suum sanctissimum inclinavit, ut a te tolleret superbiam. Ecce magna amoris signa.

---

[106] cf. fl. 152r

Maximus est enim amor matris ad filium, sed hunc excellit amor Christi. Unde Is. 49[,15-16]: *Numquid oblivisci potest mater infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui. Si illa oblita fuerit, ego non obliviscar tui. Ecce in manibus meis scripsi te, memoria tua coram oculis meis semper.* Numquam fuit aliqua mater, que filium suum tantum dilexit ut scribi faceret nomen suum in manibus suis. Christus autem scripsit nos in manibus suis, ut memoriam nostram jugiter et semper voluit habere. Pergamentum in quo scripsit, fuit caro manuum, penne clani, scriptores perversi judei. Et scripserunt non solum in manibus aut in pedibus, sed data est eis licencia flagellandi, illi maledicti clamantes quod esset dignus non solumn flagellari sed eciam crucifigi, dicentes [Mat. 26,66]: *Reus est mortis*. Et impudice accedentes conspuebant in faciem ejus et consputum velabant. Et percutiebant eum impiis alaphis cum manibus armatis dicentes [Mat. 26,68]: *Quis est, qui te percussit.* Alii capillos certatim trahebant, alii collum ejus percutiebant, ita ut Dominum Jhesum sine misericordia calcabant.

Anselmus: O Domine amantissime Jhesu Christe, quanta obprobria pertulisti a propria creatura et gente, dum immundorum labiorum sputa judeorum operuerunt vultum tuum honorabilem, in quem desiderant angeli prospicere, que omnes celos implevit leticia. O miserrimum spectaculum. Colophizabant te Deum et creatorem omnium tamquam servum contemptibilem. Ecce justicia sc. facies tua occultatur, lux obscuratur, et oculi qui sunt sole lucidiores sub vili panniculo clauduntur.

O quanto, karissimi, dolore, putatis, fuit benedicta mater ejus Maria, quando audivit **[284r:]** sentenciam mortis ferri contra eum. Certe potuit dicere cum David [2.Reg. 18,33]: *Quis mihi det, ut moriar pro te, fili mi.* Mater enim Maria avide rogavit filium suum, sicut legitur in libro de vita Christi, quem scripsit Jacobus frater Domini, ut faceret hanc graciam cum ea, ut moreretur ante martyrium filii. Alligando enim plures piissimas raciones dixitque ei: Unum scio, fili mi, quod una punctura in corpore tuo mihi duplicata erit in corde meo. Et inter alia mater Christi loquens ad filium ait: Novi, fili, quod carnem sumpsisti ut redimeres genus humanum, nec tendo impedire illam redempcionem. Sed unum peto, non deniges mihi, nam Salomon audivit preces matris sue Bersabee dicens [3.Reg. 2,20]: *Pete a me, quod vis, neque enim phas est, ut avertam faciam tuam.* Multo magis oportet te audire me, nam dicit de peccatoribus: Scriptum est, peccatores Deus non exaudit. Sed tu nosti quod peccatum numquam commisi. Non ergo, fili mi dulcissime, despicias me matrem tuam mestissimam. Ecce enim venter qui te portavit, ecce quod te lactavit. Non

permittas illud in toto verificari, quod scriptum est Threnorum 1°[,2]: *Non est qui consoletur eam ex omnibus caris* ejus, sc. fac humani generis redempcionem sic quod non sustineas matris tue dolorosam affliccionem.

Queso ergo unum de 4or. Facias quod sine morte tui redimas genus humanum. Vel si penitus omnimodo mori te oporteat, transeat mors tua sine dolore. Vel quod saltem me mori permittas vel me sic facias stupefactam, ut in me nulla sit cogitacio tue mortis. Nonne, fili mi, merui apud te quod unum istorum exaudias, cum quodlibet istorum sit possibile apud te. Respondit filius cum reverencia: Concedo tibi, mater, quodlibet istorum est mihi possibile. Sed, pia mater, turbari non debeas, quod nullum facere est mihi conveniens. Nam oportet mihi omnia pati, cum omnes scripture, que sunt infallibiles, hoc predixerunt. **[284v:]** Isa. 53[,7]: *Quasi ovis ad occisionem ducetur etc.* Nec 2am peticionem facere possum sc. quod mors mea transeat sine dolore, quia sicut omnes incipiendo ab Adam usque ad ultimum hominem peccaverunt preter me, sic ego qui veni omnes homines salvare, carnem traxi originaliter ab Adam, debeo in toto corpore flagellari. Nec 3am peticionem tibi concedere possum, quia oportet spiritum meum descendere in limbum cum patribus veteris testamenti in carcere limbi et exspectantibus adventum meum.

Absit a me, ut animam matris mee illuc venire permittam sub potestate demonum. Sed nec esset decens concedere tibi 4am peticionem, quia omnino oportet quod mater, que tantum diligit, compatiatur filio tempore sue passionis et mortis. Tunc Maria rogabat Deum patrem, ut sibi daret et mitteret archangelum Gabrielem ad consolacionem.

Cum autem judicatus esset mori, exuerunt eum pannis veteribus quibus indutus erat ad majorem confusionem, dederunt ei licenciam revestiendi propriis vestibus se. Qui humiliter se ad terram inclinavit, quia nudus flagellatus cum spinea corona stetit et magno pudore et timore se revestivit. Tunc posuerunt crucem in humeris ejus, lignum grossum et longum in pedibus multum grave. Ipse autem quasi agnus mitissimus suscepit et portavit. Tunc ducebatur per medium latronum in medio urbis. Anselmus: Memento et cerne, o christiane, oculis mentis et corporis ne superbias, quando Christus cernuus incedit sub cruce propter suam gravedinem. Dicitur autem quod Maria non potuit eum ante ea videre propter turbam magnam, ideo precurrens stetit in platea. Et suppresserunt eum in pariete, cujus corpori paries cessit et recepit in pressionem.

Cum autem sequeretur eum extra portam, cernens eum sic grandi ligno oneratum, semimortua effecta est propter angustiam, nec poterat ei loqui. Cum vero ulterius processissent, crucem propter fatigacionem ferre

non potuit, coegerunt quendam nomine Simeonem ut portaret crucem cum eo. Hora autem sexta cum magno vituperio ductus est Jhesus ad locum, qui dicitur Calvarie **[285r:]** locus. Qui dum spoliaretur [vestibus] coram omni multitudine, cum magno dolore renovantur fracture vulnerum propter pannos ad carnem applicatos et fortiter inherentes. Mater vero respiciens suum filium sic nudum, vulneratum et flagellatum dolore mortis affligitur et tristatur ultra quam credi potest. Appropinquans ergo filio velo capitis sui cinxit eum. O quanta amaritudine fuit anima utriusque. Credendum est quod non potuit verbum facere. Jhesus autem consolando eam dixit: O mater mea, non tantum contristeris. Sufficit quod ego patior. Consoleris ergo, quia pro mundi salute sum moriturus.

Cum sic loquerentur adinvicem, ecce violenter eripitur a manibus ejus et ducitur ad crucem. Cum autem crucifigi deberet, deponentes eum resupinum in terra super crucem, manum sinistram cruci cum clano obtuso affixerunt. Cum autem manum dextram foramini aptarent, et multum abinvicem distabant, et quia corpus ejus metu mortis et passionis contractum fuit, sicut legitur in libris nazarenorum, per cordas tractus fuit et extensus, ita quod omnia ossa dinumerari poterant. Et secundum Bernardum maximum dolorem habuit ex hoc, quod durante passione membra sic extensa remanserunt clanis tenentibus. Crux tandem in altum erigitur, et dum in fossam mittitur, fluunt tunc undique remi sanguinis ex illis magnis scissuris. Fit clamor variis judeorum gaudentium et amicorum Christi dolencium. Anselmus: O christiane, non te tediat in ejus servicio stare sanus et incolumis, qui pro tua salute cum magno dolore tribus clanis tenentibus stetit in cruce.

Videns autem Maria quod dinumerari possent omnia ossa unigeniti filii sui, et eum in medio duorum latronum vilius et multo crudelius crucifixum et in altum levatum, ita quod vix vocem ejus audire potuit, et sanguinem fluere **[285v:]** et caput versus terram inclinare, non est dubium quod semimortua facta sit. Sed sancte mulieres tenebant eam inter brachia. Tunc inquit mater: O fili mi dilectissime, fac ut unus istorum latronum cedit mihi et det mihi locum, ut tecum pariter moriar in cruce. O bone Jhesu, magna pateris exterius in corpore, sed majora interius in mente ex compassione matris omnia tecum participantis. Fugientibus amicis Jhesu omnibus  Maria stabat ante crucem et filii vulnera piis oculis inspiciebat, non avertens oculos a filio. Ignacius dicit quod ex magnitudine fletus Marie oculi sanguine rubebant, et lacrime sanguinee currebant.

Notandum autem quod Christus pendens in cruce dixit verba septem sc. primum verbum fuit [Luc. 23,34]: *Pater, dimitte illis, quia nesciunt*

*quid faciunt.* Orat pro inimicis et crucifixoribus, cum eciam alii tali tempore negligunt carissimos. Augustinus: Hoc verbum magne patiencie et mansuetudinis fuit indicium et magni amoris signum et bonitatis. Unde Bernardus: Non desperet ammodo quisquis penitens pensando copiam misericordie salvatoris, quoniam non negat misericordiam contritis, qui prestat misericordiam inimicis. In hoc verbo docemur, quod inimicis nostris indulgere debemus et non petere vindictam. Tunc unus latronum insultans contra eum dixit [Luc. 23,39]: *Si tu es Christus, salvum fac te et nos.* Respondit alter latro increpans eum dicens [Luc. 23,40-43]: *Neque tu times Deum? Nos digna factis recipimus.* Et ille conversus ad Jhesum dixit: *Memento mei, Domine etc.* Cui ille protulit 2^m^ verbum dicens: *Amen dico tibi, hodie mecum etc.*

Tunc mater ad filium: Quid feci tibi, fili? Ecce testeris crucifixoribus indulgenciam, latroni vero vitam eternam, et de matre tua nullam penitus facis mencionem. Ea itaque gemente et filium respiciente resumptis denuo viribus ait: Jam, fili, sermonis mei finis advenit, quia nec ego loqui nec tu mihi respondere poteris etc. Require illam particulam supra de passione in sermone 3^o^ sc. *Cum egressus fuero de urbe hac*, quasi in fine.[107]

**[286r:]** Bernardus dicit de primo verbo: O immensa benignitas, o bone Jhesu. Judei clamant: Crucifige, crucifige, et tu dixisti [Luc. 23,34]: *Pater, ignosce.* Magna est eorum nequicia, major est tua pietas. Unde legitur quod ex illa oracione conversi fuerunt ad fidem octingenti et novem. Notandum quod Dominus non oravit pro illis, qui certa sciencia vel mera malicia in eum peccaverunt sicut pro Pilato, Caipha, phariseis et multis aliis, sed oravit pro simplici populo judeorum, qui ignoranter peccaverunt et decepti a phariseis et judeis concitati contra Christum.

2^o^ loquebatur ad latronem dextrum, qui cum judei Christum deriderent, tunc latro a sinistris addidit obprobrium dicens [Luc. 23,39-40:] *Si tu es Christus, salvum fac temetipsum et nos.* Quod audiens alter increpavit eum dicens: *Neque tu times Deum? Nos quidem demeruimus, ipse autem nihil mali fecit.* Et statim eadem hora sol obscuratus est ab hora sexta usque ad horam nonam super universam terram. Cum igitur latro pendens a dextris Christi videret solis obscuracionem, conversus ad Jhesum dixit [Luc. 23,42-43]: *Memento mei, Domine etc.* Cui Christus protulit 3^m^ verbum: *Amen dico tibi, quod hodie mecum eris in paradiso.* O peccator, nunc surge ad penitenciam, vide quam misericors Deus, [Ez. 33,11] qui non *voluit mortem peccatoris*, sed ut convertatur et vivat. O quam solaciosum verbum et dulce et plenum misericordie: Hodie mecum

---

[107] f. 79v sqq..

eris in paradiso. Non dixit tantum vel tanta sustinebis penam, vel tot annis eris in purgatorio, sed: Hodie mecum eris in paradiso, et tamen 30 annis fuerat latro.

Notandum quod hoc non debet intelligi de paradiso terrestri, nec celesti. Non terrestri, quia ad illum nullus ascendit ante resurreccionem, ad celestem vero nullus ante ascensionem. Sed: Hodie mecum eris in paradiso sc. in requie, ubi sancti patres erant in limbo, ad quos liberandos hodie descendere volo. Vel: Hodie mecum eris etc., sc. in visione Dei clara, qua videtur ab angelis. Unde dicit Augustinus: Quis illum decebat sic cognoscere omnipotentem, quem sic cernebat patientem. Certe non alius nisi qui juxta eum pendebat.

3$^{o}$ locutus est ad beatam matrem suam et ad discipulum, qui stabant juxta crucem, flens et dicens secundum quendam doctorem: O amantissime fili, quid fecisti quod tuum corpus, quod in meis brachiis mecum duxi et meo labore nutrivi, hodie video totaliter laceratum et sanguinolentum? O fili, quid fecisti quod facies tua, in quam angeli desiderant **[286v:]** prospicere, hodie video sine specie et decore? O angele Gabriel, ubi est salutacio tua? Tu dixisti [Luc. 1,28]: *Gracia plena*. Non sum gracia plena, sed doloribus et passionibus plena. Tota enim salutacio tua mutata est in dolorem. O Gabriel, dixisti: *Dominus tecum*. Non mecum, sed cum judeis. Cum igitur Christus videret matrem circa crucem stantem et amarissime flentem, ait [Joh. 19,26-27]: *Mulier, ecce filius tuus*. Deinde dicit discipulo: *Ecce mater tua*. Et hec fuit 3$^{a}$ Christi locucio in cruce.

Cum autem Maria hoc audiret, secundum Bernardum cepit amarius flere et dicere: Ve mihi misere matri. O judei, tollite matrem, cum filio crucifigite. Dominus dixit mulier et non mater, ne eam magis turbaret. Jam enim scivit eam gladio compassionis perfossam, quia omnia que Christus corporaliter sustinuit, ipsa passa est in anima. Glosa: Si dixisset mater, pre dulcedine verbi cor virginis fuisset scissum. Tunc adimpletum est Ps. [44,11]: *Audi, filia, et vide et inclina aurem tuam etc.* Quasi diceret: Audi tria, vide tria, inclina aurem tuam ad tria. Audi primo sonitum malleorum, quomodo filius tuus cruci affigitur. Audi 2$^{o}$ voces judeorum et gentilium illudencium et blasfemancium. Audi 3$^{o}$ vocem filii tui clamantis [Mat. 27,46]: *Heli, heli.* Et nullus sibi compatitur

Vide eciam tria lamentabilia. Primo sanguinem ex omnibus membris fluentem. Vide 2$^{o}$ filium tuum quasi vermem non habentem speciem hominis. Vide 3$^{o}$ solem et elementa sibi compati et non homo. Inclina eciam aurem tuam ad tria. Primo sicut audisti filium tuum tibi per angelum nunciari, ita nunc audisti eum a Pilato ad mortem condempnari, et sicut

cum magno gaudio eum concepisti, ita cum magno dolore eum perdidisti. 2° inclina aurem tuam et perpende quod quando eum genuisti, magi eum de longinquo adoraverunt. Nunc vides discipulos de propinquo abire et negare. 3° inclina aurem tuam et perpende quod in die, qua eum genuisti, facta es mater Dei, nunc mater discipuli. Tunc domina mundi et regina celi, nunc facta es quasi ancilla hominum. Hora autem quasi ipsa cepit lux diei paulatim redire, et tunc Jhesus 4° locutus est et non solo locutus, sed alta voce clamavit [Mat. 27,46]: *Heli, sc. Deus meus, quare me dereliquisti?* Et sic nullum solacium habuit, sed totaliter corpus ejus derelictum fuit potestati judeorum. Cum autem ita valde clamaret: Heli etc., putaverunt quidam quod Heliam vocaret ut eum liberaret. Hii dixerunt [Mat. 27,49]: *Videamus, ne Helias veniet et liberet eum.*

5° Christus locutus est dicens [Joh. 19,28]: *Sitio*. Non **[287r:]** mirum quod sitivit, cum corpus esset desiccatum. Unde secundum Anselmum tot habuit vulnera, quod si quis quacunque die per annum diceret xv paternoster, revoluto anno vix cuilibet vulneri unum paternoster orasset. Sed dices, unde scivit illud Anselmus? Dicendem est quod ex revelacione. Similiter et Bernardus, cum dicit Christum recepisse mille vulnera ex spinea corona. Cum ergo dixit Christus: Sitio, porrexit sibi unus vas cum aceto et felle mixtum, qui cum gustasset, non potuit pre amaritudine bibere.

Cum ergo accepisset Christus potum, dixit [Joh. 19,30]: *Consummatum est.* Et hec erat sexta locucio. Dicens: Consummatum est sc. nunc mea passio terminata est, quia ante non erat punitus in lingua, et nunc impletum est omne scriptum propheticum de mea passione propter salutem hominis. Nam tunc consummatum est Isa. [1,6]: *A planta pedis etc.* Tunc erat illud Ps. [Sap. 2,10 et 20]: *Opprimamus pauperem justum, morte turpissima condempnemus eum etc.* Item Jer. 5° [11,19]: *Eradamus eum de terra viventium etc.* Item Ps. [21,7]: *Ego sum vermis et non homo etc.* Et illud [Ps. 21,8]: *Omnes videntes me deriserunt me,* et [Ps. 21,15] *sicut aqua effusus sum.* Item [Ps. 21,17:] *Foderunt manus meas.*

Sciendum autem quod quando Christus dixit illa verba, tunc homo fuit liberatus ab eterna morte, quia propter hominem fuit passus. Ideo tunc impletum fuit illud dictum [in] persona cujuslibet hominis David [Ps. 55,13]: *Eripuisti animam meam* ex inferno inferiori. Item [Ps. 115,16:] *Disrupisti, Domine, vincula mea etc.* Super quo dicit glosa quod hic versus a quibusdam tante virtutis creditur, ut peccata hominum dimittantur, si in sue vite trina confessione dicatur: Disrupisti, Domine, etc.

Hora autem ix[a] septimo locutus est Jhesus. Non solum dixit, sed alte clamavit [Luc. 23,46]: *In manus tuas, Domine.* Iste clamor secundum Jheronimum non fuit naturalis, sed miraculosus, quia erat in puncto mortis positus. Unde dicit quidam doctor quod quicunque omni die devote dixerit illa verba: In manus tuas, Domine, etc., numquam mala morte morietur. Post hec Christus inclinato capite emisit spiritum, et tunc velum templi scissum est, terra mota est, monumenta aperta sunt, petra in qua crux stetit, scissa est sibi compatiendo. O durum cor quod hodie **[287v:]** non scinditur, o durum cor quod hodie non plorat, o durum cor quod hodie non accenditur, amare compatitur, cum cuncta elementa hodie Christo compatiantur. Post hec centurio et qui cum eo erant custodientes Jhesum, viso terre motu et hiis miraculis, que fiebant in passione Christi, dicebant [Mat. 27,54]: *Vere filius Dei erat iste.*

Centurio dicitur a centum, quia preerat centum viris, et iste constitutus erat ad custodiendum Jhesum in cruce, et quia dies sabbati instabat, et tunc festum duplicatur propter octavam pasche concurrentem, licet enim fuerat crucifixus prima die pasche, quod erat solempnis apud judeos, tamen 2[a] dies protunc fuit solempnior racione sabbati. Dies enim sabbati concurrens infra octavam pasche erat solempnior, et sic festum duplicatur. Et ideo rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, ut sic citius morerentur et de cruce tollerentur, ne remanerent [in] cruce per sabbatum. Non fuit quia Deuteronomii 20[o] [21,22-23] dicitur, quod *adjudicatus morti et suspensus in patibulo non permanebit cadaver in ligno, sed eadem die sepelietur*. Cum ergo venissent ad Jhesum videntes eum mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum Longinus nomine, ut certificarentur de morte ejus, aperuit latus ejus, et exivit sanguis et aqua. Longinus autem secundum quosdam habuit caligatos oculos, et sanguis per lanceam descendens oculos suos tetigit, et claritatem visus recepit.

Hora autem vespertina Joseph ab Arimathia rogavit Pilatum ut tolleret corpus Jhesu de cruce, qui et annuit. Iste Joseph fuit nobilis et dives decurio credens in Christum et fuit ita justus, quod dicitur in historiis, quod aliqui putant quod iste Ps. [1,1]: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum etc.* Ipse enim [non] consenserat consilio et actibus eorum. Cum igitur secundum Anselmum Joseph corpus de cruce tolleret, stabat Maria respiciens sursum, ut corpore Christi soluto oscularetur. Cum autem esset depositus de cruce, tunc Maria accepit caput filii sui in sinu et deosculans dixit: Heu dulcissime fili, [Is. 63,2] *quare ita rubrum est indumentum tuum?* Quem consolantem modo habeo in te, quem mortuum jam video?

Cum autem eum sepelire vellent, ipsa posuit se super eum fortissime tenens eum dicens: Johannes dilectissime, dimitte mihi filium meum mortuum vel sepeli me cum ipso. Tandem invita permisit eum sepeliri. Et cum sepultus esset, projecit se Maria super sepulchrum et ita miserabiliter flevit, **[288r is blank. 288v:]** quod omnes qui audiverunt, secum fleverunt. Tandem Johannes quasi violenter eam introduxit in civitatem in domum matris sue accipiens eam in custodiam, prout Christus in cruce pendens sibi commiserat. Hec Anselmus.

Unde Ambrosius: Cum Christus esset depositus de cruce, et beata virgo tante tribulacionis articulo esset posita, quod oportuisset eam spiritum reddidisse, filius ejus claritatis dotem recipiens, et hoc nullus vidit preter beata virgo. Ipsa vero lux diu duravit, quod spiritualiter et corporaliter fuit fortificatus. Ipsa vero luce cessante cessavit omnis deformitas, que fuit corpori Christi inflicta preter 5$^{e}$ vulnera, que servabit in die judicii.

Hunc ergo Dei filium pro nobis passum et crucifixum debemus hodie cum Joseph de cruce deponere cum dolore et compassione et in monumentum novum sc. in cor mundum ab omni peccato purgatum et virtutibus innovatum, et ungere vulnera sua cum devocione et graciarum accione sue mortis. Et sicut Christus surrexit ab omni miseria, devicta potestate diabolica, numquam iterum moriturus, sic nos exemplo illius resurgamus ab omni peccatorum miseria, ut possimus post hanc vitam resurgere ad eternam, prestante Domino nostro, qui cum patre et filio et spiritu sancto etc.

## De ascensione Domini sermo 4$^{us}$

*Sic veniet, quemadmodum vidistis eum ascendentem in celum.* [Act. 1,11]. Nota. Legitur in Actibus Apostolorum, quando Dominus celos ascendere voluit, fecit prius sicut amici facere consuevunt adinvicem, quia quando aliquis vult peregrinari in longam viam, non recedit ab amicis suis, nisi prius facit eis invitacionem et consolatur eis de absencia sua. Sic fecit Christus, quando voluit ascendere ad patrem suum celestem. Noluit recedere ab amicis, nisi prius fecerit eis convivium, sicut legitur in Actibus Apostolorum [1,4]: *Et convescens precepit eis etc.*

Et circa horam nonam ascendit cum eis in montem Oliveti, qui distat ab Jherusalem ad spacium unius miliaris, quia ampliori spacio non licebat ei a judeis progredi vel de villa de qua erat. Ibique docebat eos de regno Dei: *Et precepit eis etc.* [Act. 1,9:] *Et videntibus illis elevatus est etc.,* quod non indiguisset, nisi quod per hoc ostenderet, quod omnis creatura debet prestare obsequium suo creatori. [Act. 1,10-11:] *Et cum ascendit, et apostoli starent aspicientes post eum in celum, ecce duo viri* sc. duo angeli in forma virorum *astiterunt juxta illos in vestibus albis, qui dixerunt: Viri galilei etc.*

Duplici de causa dicitur quod angeli apparuerunt. Primo sc. ut apostoli consolarentur, quia turbati fuerunt de recessu Domini. 2$^{o}$ ut vere eum in celum ascendisse mirarentur. Nota quod Dominus vi modis ascendit in celum, et eisdem vi modis revertitur in die judicii. Unde dicit: Sic veniet quemadmodum vidistis etc. Primo ascendit in voce tube. Glosa: Vox tube nihil aliud est nisi vox angelorum. Vidimus enim, quando reges vadunt in gloria sua, precedunt tubicines. Sic hic sancti angeli, qui sunt tubicines Christi, precesserunt eum et deduxerunt eum in gloriam patris sui. Sic eciam revertitur in voce tube. Unde Paulus [1.Cor. 15,52]: *Canet tuba, et mortui resurgunt.* Hec tuba ita horribilis erit, quod petras scindet, infernum aperiet et animas corporibus suis tradet. Vox ista talis erit: Surgite mortui et venite ad judicium Dei **[289v:]**. Unde Jheronimus: Sive comedo, sive bibo, vox ista sonet in auribus meis: Surgite, mortui etc.[108] Si tam sanctus homo timuit, quid tu miser qui plenus es peccatis, quomodo tu stabis ante creatorem tuum, quem tu fugere non poteris. O quam libenter ipsum fugere velles, si aliquo modo posses. Unde Ps. [18,7]: *Non est, qui se abscondit a calore ejus.*

2$^{o}$ ascendit elevatis manibus. Unde Act. [Luc. 24,50-51]: *Elevatis manibus ferebatur in celum.* Quare elevatis manibus Christus ascendit? Hoc immo ut patrem suum celestem pro nobis suppliciter petat elevatis manibus. Sic eciam in novissima die revertitur ad judicium elevatis manibus et hoc propter duo. Primo propter querimoniam movendam de injustis et malis dicens patri: Peto ut hunc peccatorem separes a facie tua et tradas eum diabolo, ut ammodo non videat faciem tuam. 2$^{o}$ veniet elevatis manibus peccatorem graviter percutiendo, quia percutit eum cum corpore et anima ad eternam dampnacionem. Eya quanta est tunc miseria, quia Christus tunc hominem, quem tam preciose emit et graviter redemit, condempnabit et separabit a facie sua.

---

[108] this quotation is attributed to Bernardus fl. 66v, to Augustinus f. 307r, to Jheronimus f. 177r

3$^{o}$ ascendit in benediccione. Unde Act. [Luc. 24,50]: *Et benedixit eis.* Unde quando cari amici separantur abinvicem, ob mutuam dileccionem benedicunt sibi. Sic Christus fecit quando separabatur ab amicis sc. apostolis, benedixit eis in signum dileccionis. Sic eciam revertitur in benediccione quantum ad electos et justos dicens [Mat. 25,34]: *Venite, benedicti patris etc.* Sed reprobis et injustis veniet ad malediccionem. Unde Ps. [9,18]: *Convertantur peccatores in infernum.* 4$^{o}$ ascendit in jubilacione. Unde Ps. [46,6]: *Ascendit Deus in jubilacione.* Pro simili sicut homo cum magno gaudio ad aliquem locum vadit, ubi diligitur et multum honoratur. Similiter eciamsi vadit de loco cum gaudio, ubi odio habebatur et confundebatur, non est mirum, sed numquam habitus est homo in mundo tanto odio, sicut Christus habebatur a judeis. Unde non fuit mirum si cum gaudio ascendit ad patrem suum celestem, ubi angeli sibi famulantur. Sic eciam revertitur in jubilacione quantum ad bonos, quia de adventu suo boni **[290r:]** ad judicium magnam habent leticiam, quia cum corpore et anima regnabunt cum eo in eternum.

5$^{o}$ ascendit in nube sc. [Act. 1,9] *nubes suscepit eum*. Sic eciam revertitur. Unde cantatur: Ut cum flamminosa nube reverteris. Et in evangelio [Luc. 21,27]: *Et videbitis filium hominum venientem in nube cum potestate magna*. Nota nubes tonat, pluit, obumbrat et coruscat. Sic Christus facit in novissima die. Primo tonabit et clamabit contra dampnatos. Unde Zacharie [Is. 42,14]: *Tacui semper et silui, nunc autem loquar.* Tunc ita tonabit, quod nec beata virgo nec sancti angeli tunc audebunt rogare pro dampnato. Unde Christus, qui tantum dilexerat homines, quod seipsum permittit [crucifigi, nunc permittit se] ridere de dampnato. Unde dicit [Prov. 1,16]: *Ego de interitu vestro ridebo.* Sancti eciam letabunt, quia contumeliam Christi videbunt vindicatam. 2$^{o}$ pluit super eos sulphur et ignis, et hec est pars calicis eorum sc. pene. Itam laqueo capiantur manus et pedes et projiciantur in ignem eternum. 3$^{o}$ obumbrat justis ab ira patris sui. 4$^{o}$ coruscat. Sic Christus ascendit et illuminabit electos vultu suo in tantum, ut clarebunt ut sol.

6$^{o}$ ascendit deferens secum vulnerum cicatrices. Ita quod inferiores angeli interrogant superiores dicentes [Is. 63,1]: *Quis est iste, qui venit de Edom* sc. de mundo etc. Dicit glosa quod quidem sunt angeli non cognoscentes misterium incarnacionis, passionis et resurreccionis Christi. Et dum viderunt eum ascendere cum multitudine angelorum, dixerunt verba predicta: Quis est iste, quasi dicerent: Quis est iste, qui venit ita sanguine aspersus de terra? Sic eciam veniet ad judicium deferens secum vulnerum cicatrices, sc. ut mali plenius confundantur et videant illum,

quem per peccata hic crucifixerunt. [Apoc. 1,16:] *Tunc exibit de ore ejus gladius ex utraque parte acutus,* et iste gladius acutus est sentencia irrevocabilis, qua dampnabit animam cum corpore, quando dicit [Mat. 25,41]: *Discedite a me, maligni, in ignem eternum.* A quo nos custodiet omnipotens pater eternus.

**[290v:] Nota ascensio Domini.**

Ascensio Domini xl$^{o}$ die a resurreccione facta est. Circa quod vi sunt notanda. Primo unde ascendit. 2$^{o}$ quare non statim post resurreccionem ascendit, sed ad tot dies exspectavit. 3$^{o}$ qualiter ascendit. 4$^{o}$ cum quibus ascendit. 5$^{o}$ quo ascendit. 6$^{o}$ quare ascendit. Circa primum notandum est quod de monte Oliveti versus Bethaniam in celos ascendit. In hunc montem Christus discipulos ire precepit, et elevatis manibus illis benedixit et coram eis celos ascendit, et in eodem monte ad judicium sit reversurus. Unde [Act. 1,11]: *Viri galilei*.

Circa secundum quare non statim ut resurrexit ascendit. Hoc fecit propter resurreccionis certificacionem. Difficilius enim erat probare veritatem resurreccionis quam passionis, quia a prima die usque ad 3$^{am}$ vere probari potuit. Sed ad veram resurreccionem probandam plures dies requiruntur, ideo majus tempus erat inter resurreccionem et ascensionem quam inter passionem et resurreccionem. Circa 3$^{m}$ qualiter ascendit, nota quod spiritualiter quadrupliciter ascendit. Primo potenter quia propriis viribus Joh. [3,13]: *Nemo ascendit in celum* propria virtute, *nisi qui de celo descendit sc. filius hominis, qui est in celo.* Ipse enim potencia sue divinitatis ascendit. 2$^{o}$ patenter quia videntibus discipulis ascendit et elevatus est. Et hoc ideo ut testes ascensionis existerent et naturam humanam [in] celum ferri gauderent, et ipsum sequi desiderabant. 3$^{o}$ letanter quia jubilantibus angelis elevatus est. 4$^{o}$ velociter quia tantum spacium quasi in momento percurrit. Circa 4$^{m}$ cum quibus ascendit sc. cum magna preda hominum et multitudine angelorum. Ps. [67,19]: *Ascendit in altum, captivam duxit captivitatem*. Circa 5$^{m}$ quo ascendit sc. super omnes celos, quia plures sunt celi. Circa 6$^{m}$ quare ascendit, ut spiritum sanctum mitteret apostolis. Joh. [16,7]: *Nisi ego abiero*. Item ut viam nobis eundi in celum demonstraret. Quod ipse prestare dignetur, qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat.

## De sacerdotibus honorandis

**[291r:]** Nota quod sacerdotes honorandi sunt propter tria. Primo racione tue utilitatis, quia te per absolucionem purificant et per sacramenta te in ecclesie gracia confirmant et regnum celorum per clavem sue lingue reserant. 2° racione dignitatis, quia tanta est quod suum creatorem mirabiliter creant et pro humana salute hostiam immortalem consecrant. 3° racione potestatis, quia iram Dei per oblacionem suam placant et manum Dei ad ulciscendum quodammodo immobilitant virtute oblacionis pro te facte, quia Deus dedit eis potestatem ligandi et solvendi. Unde Mat. xvi° [16,19]: *Quodcunque ligaveris super terram, erit solutum [ligatum] etc.*

Unde sacerdos est aliquomodo similis beate Marie virgini, et hoc ostenditur in 3^bus^. Primo sicut beata virgo per 5^e^ verba concepit Jhesum Christum, ut habetur Luc. 1°[,38]: *Fiat mihi secundum verbum tuum*, sic sacerdos conficit per quinque verba verum corpus Christi. Et sicut immediate post assensum Marie fuit totus Christus in utero ejus, sic immediate post prolacionem verborum consecracionis transsubstantiatur panis in verum corpus Christi. 2° sicut beata virgo post partum Christum portavit in manibus et in presepe collocavit, sic sacerdos post consecracionem levat Christum, locat, portat et tractat cum manibus suis. 3° sicut beata virgo fuit sanctificata in utero, antequam concepit Christum, sic sacerdos antea ordinatur, antequam consecrat, quia sine ordine nihil consecraret. Ergo laicus quantumcunque sanctus nihil ageret, eciamsi verba consecracionis proferret. Unde sciendum quod dignitas sacerdotum aliquomodo precellit dignitatem angelorum, quia nulli angelorum data est potestas conficiendi corpus Christi. Unde minimus sacerdos in terris potest hoc, quod non potest maximus et supremus angelus in celis. Unde Gregorius: O veneranda dignitas. Require in 2° folio sequenti.[109]

**[fol. 291v is blank]**

[109] Probably f. 293Ar, hvor the quotation O veneranda.. is attributed to Bernard

**Super meos sacerdotes queremonia Jhesu Christi.**[110]

Queremonia salvatoris Domini nostri Jhesu Christi super sacerdotes sc. [ad] sponsam suam beatam Birgittam. O amici mei, isti maledicti sacerdotes simulatores accedunt ad me quasi proditores. Attamen ego idem, qui sum Deus et Dominus vester et totius creature in celo et in terra, venio ad eos et jaceo ante eos in altari, verus Deus et verus homo, postquam dixerint ista verba: Hoc est corpus meum. Venio ad eos ut sponsus, ut voluntatem divinitatis mee habeam cum eis. Sed invenio in eis diabolum. Ideo cum applicant me ad os suum, recedo ab eis cum divinitate mea et humanitate. Diabolus, qui in presencia Domini sui fugit territus, letus redit.

Audite insuper, amici mei, qualem dignitatem contuli sacerdotibus pre omnibus angelis et hominibus. Dedi enim eis 5$^{e}$. Primo potestatem ligandi atque solvendi in celo et in terra. 2$^{o}$ ut de inimico pessimo facerent amicum sc. de diabolo angelum meum. 3$^{o}$ dedi eis potestatem predicandi verba mea. 4$^{o}$ potestatem consecrandi et sanctificandi corpus meum, quod nullus angelus potest facere. 5$^{o}$ tractare corpus meum, quod nullus vestrum, si jacerem ante vos, auderet contingere.

Nunc autem conqueror super eos 5$^{e}$ de causis. Primo quod infernum aperiunt et claudunt celum ingredientibus. 2$^{o}$ de amico faciunt inimicum et eum, qui accedit ad eos cum uno vulnere, vulnerant duobus, quia videns vitam confusam sacerdotis secum cogitat: Si ipse facit, magis ego faciam. 3$^{o}$ verba mea annihilant et mendacium suum affirmant, veritatem meam negant. 4$^{o}$ vendunt me ore suo, quem sanctificare deberent. 5$^{o}$ corpus meum amarius crucifigunt quam judei. Ecce, amici mei, quos elegi et sic dilexi, quomodo mihi impendunt. Ego conjunxi eos mihi cum corpore meo, **[292v:]** et ipsi dissolvunt vinculum nostrum. Ideo sicut proditores et non sicut sacerdotes judicabuntur.

Si se non emendaverint, ipsi sunt deteriores Juda, qui vendidit me pro solis denariis. Isti autem omni mercede et mercimonio vendunt me. Qui non accedunt ad me, nisi sperent sibi fructum, tractant me sicut judei. Quid fecerunt ipsi? Posuerunt me super lignum. Ipsi autem in prelo ponunt me et premunt fortiter. Sed potes querere quomodo, cum divinitas mea impassibilis est et humanitas. Certe dicam tibi: Divinitas mea et humanitas mea impassibilis est, nec in Deo aliquid contrarium vel dolor cadere potest, tamen propter voluntatem manendi in peccato quam habent sacerdotes, sic

[110] ex revelacionibus Birgitte lib. 41, cap. 133

mihi amarum et contrarium faciunt, ac si in prelo, si possibile esset, ponerer.

Ipsi denique sacerdotes duo peccata habent, luxuriam sc. et cupiditatem. Inter hec me ponunt. Sed forte peracta penitencia de hiis post peractum officium iterum firmam voluntatem habent peccandi. Pascunt enim maledictas mulieres et tuto loco ponunt, ut voluptatem suam perficiant et me repellant. Hiis blandiuntur et delectantur in eis, me autem, a quo sunt, nolunt videre. Ecce, amici mei, quales sacerdotes sunt. Ecce angeli mei, quibus servitis. Si jacerem ante vos, sicut in altari jaceo ante eos, in altari nullus vestrum auderet me contingere, sed terremini. Ipsi autem quasi proditores et fures produnt me, ipsi autem quasi meretrices contingunt me. Ipsi quoque immundiores pice non erubescunt appropinquare mihi, qui Deus sum et Dominus glorie. Propterea, sicut dictum est Israeli, septem plage venerunt super eos. Vere iste septem plage veniant super sacerdotes. Si culpa vel negligencia presbiteri moriatur infirmus sine confessione, presbiter reus erit anime ejus. Et iterum [Ez. 3,18]: *Sanguinem ejus de manu tua requiram etc.*

## Pro novo sacerdote[111]

*Vas eleccionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram regibus et principibus.* Act. ix$^{o}$ [9,15]. Sicut Dominus dixerat hec verba ad Ananiam, cum Paulum convertisset, potuit tamen ea dicere ad angelum sacerdotis, dum in utero matris conciperetur, sc. vade ad custodiam concepti, quia vas eleccionis est mihi. Et ad Jeremiam sacerdotem [Jer. 1,5]: *Priusquam te formarem in utero matris, novi te.* Quid enim balsamum in vas imperfectum et non provisum infuderet etc.

Sic Dominus Deus tantam graciam et magnum honorem numquam alicui homini concederet, nisi ipsum prius bene conspexisset. Nam Mariam matrem ejus, in qua ix mensibus latere voluit, providit et ordinavit, ut ipsa de se testatur dicens Prov. ix$^{o}$ [Eccli. 24,14]: *Ab inicio et ante secula creata sum* sc. in matrem Dei. Et iterum Eccli. xxiiii$^{o}$ [Prov. 8,23]: *Ab eterno*

[111] The whole sermon seems to be taken from Laurencius de Dacia: Stella clericorum fol. 1r seqq..

*ordinata sum et ex antiquis, antequam terra fieret.* Nulli ergo dubium quin sacerdotem, in quo aliquot annis vult latere, diligenter providit et prospexit.

Dico enim quod sacerdotem Dominus ad tantam dignitatem preordinavit, et antequam celos et angelos creavit, tunc benignitas sancti spiritus ipsum prepinxit. Deinde nobiles colores supra portavit. Sic eciam Dominus, priusquam nobilem colorem humanitatis sacerdoti suprapingeret, quadam prescripcione ipsum in tabulis divinitatis prepinxit. Dixit ergo: Vas eleccionis est mihi iste. Circa verba proposita notandum est quod Dominus pius et clemens sacerdoti, quem sic eligeret et preordinavit, triplex donum sue gracie contulit sc. dignitatem mirabilem, sanctitatem incomparabilem et potestatem inenarrabilem. Primo dico quod Dominus sacerdoti contulit dignitatem mirabilem sc. quod iste est habitaculum et receptaculum omnipotentis Dei. Exemplum: Si aliquis rex vel alius princeps veniret ad aliquam civitatem, et virum pre omnibus illius civitatis tamquam honestiorem et fideliorem eligeret, in cujus domo stare vel hospitari vellet, de tali viro magnus honor accresceret.

Certe magna dignitas est cuilibet sacerdoti in ipsum esse electum pre omni genere humano in laudem et honorem Dei, ut regem omnium regum in cordis **[293v:]** sui hospicio recipiat. Unde Bernardus: In ecclesia Dei requiescunt sancti et sancte, quorum anime sunt in celis. Sed ipse Deus requiescit in corde digni sacerdotis. Augustinus: Elegi et preelegi mihi cor sacerdotis dignum mansionis mee habitaculum tamquam in vase vitreo. Vitrum enim licet sit de vili materia, tamen clarius et splendidius est auro et argento. Sic bonus et devotus sacerdos dignior et major coram Deo est omnibus regibus et principibus mundi in sua dignitate. Unde merito honorandi sunt sacerdotes, quia de ipsis dicit Dominus in evangelio [Luc. 10,16]: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit.* Apostolus [Galat 5,10]: *Qui vos conturbat*. Glosa: Indebite, *judicium portabit,* quicunque est iste. Zacharie [2,8]: *Qui vos tangit,* sacerdotes, *tangit pupillam oculi mei.*

Hoc advertit magnus Alexander, de quo legitur quod venit ad expugnandum Jherusalem. Tunc occurrit ei sacerdos judaicus in ornatu suo. Alexander quesivit quis esset. Dictum est ei quod esset sacerdos judaicus, rex vero descendit de equo et honoravit eum humiliter inclinando. Sic judei per eum optinuerunt graciam regis. Quanto magis honorandi sunt sacerdotes hujus christianitatis, qui sucipiunt regem omnium regum et ipsum aliis ministrant suscipiendi. Et sic patet primum.

2$^{o}$ contulit Dominus sacerdoti sanctitatem incomparabilem sc. corpus suum conficere. Hoc est summa sanctitas, quia quantumcunque homo sit

bonus, justus et sanctus, tamen non potest conficere corpus Christi, nisi fuerit ad hoc officium ordinatus. Augustinus dicit: O sacrum et celeste ministerium, quod per vos pater et filius et spiritus sanctus operatur mirabiliter, uno eodemque momento idem Deus, qui presidet in celis in sinu patris, est in sacrificio in manibus vestris. Et hoc fit virtute quinque verborum. Sicut enim beata Maria virtute 5$^{e}$ verborum ipsum de celo in uterum virginalem attraxit, videlicet dicendo [Luc. 1,38]: *Fiat mihi secundum verbum tuum*, sic quilibet sacerdos ipsum de celo quinque verbis attrahit dicendo [Luc. 22,19]: *Hoc est enim corpus meum.*

Bernardus[112]: O veneranda sacerdotum dignitas, intra quorum manus velut in utero matris conficitur Christus. **[293Ar:]** Bernardus: Sacerdos, qui sine mortali peccato est et in bono proposito et non celebrat, cum copiam habet celebrandi, tunc quantum ad se privat sanctam trinitatem gloria, angelos in celesti Jherusalem leticia, homines in exilio laborantes beneficiis et gloria, animas in purgatorio patrimonio privat et venia, et seipsum seducit cum infelicibus hujus mundi ad eterna supplicia, quia missa est sicut firmamentum stellis et sicut empyreum celum angelis. Hec iste. [**293Av:]** Primo letantur existentes in purgatorio, quia ejus missa erit eis in refrigerium et pene liberacionem, pro quibus orat. 2$^{o}$ letantur qui sunt in mundo et primo parentes istius sacerdotis, quia eis est honor, quod de vili materia natus est et nunc factus est intercessor mundi et creator sui creatoris. Ideo de illo potest dici illud Luc. [11,27]: *Beatus venter, qui te portavit, et ubera que suxisti*, si sacerdotaliter vixeris.

3$^{o}$ gaudent de illo sacerdote, qui sunt in celo, quia agit Deo gracias pro eis, cum dicit: Gracias agimus tibi, Domine omnipotens eterne Deus, quasi diceret: Sicut illi gracias agunt et laudant in secula seculorum, ita facias nos te laudare mediante auxilio sanctorum tuorum. Item gaudent angeli, quia doctrina sua et oracione multos potest ad Dominum convertere, de quibus pro nunc gaudent. De tali gaudio dicitur Luc. 15[,10]: *Gaudium est angelis Dei super uno peccatore penitenciam agente*.

**[294r:]** Bernardus: Dignitas et sanctitas [nulli] nisi solis sacerdotibus est concessa. Ideo dicit Paulus [Eph. 1,4]: *Elegit eos ante mundi constitucionem, ut essent sancti et immaculati.* Quid dignius est angelis et Maria? Nihil. Sed Marie et angelis est impossibile facere, quod sacerdotes faciunt sc. Deum offerre pro vivorum atque mortuorum salute. Unde Gregorius: O quam dignum et mirificum donum de misericordia Dei, quod numquam celebrantur divina, quin ibi occurrunt duo opera virtuosa sc.

[112] cf. f.291r where this quotation ´O veneranda... is attributed to Gregorius

unius ad minus peccatoris conversio, et ad minus unius anime a penis purgatorii liberacio. Et sic est secundum.

3° contulit Dominus sacerdoti potestatem inenarrabilem, videlicet animas ligandi atque solvendi per vii sacramenta. Quod autem istam potestatem concesserat sacerdotibus, potest probari Luc. xvii in mundacione x leprosorum, quibus misericordiam petentibus Dominus dixit [Luc. 17,14]: *Ite, ostendite vos sacerdotibus. Qui dum irent, mundati sunt.* Per istos leprosos signantur peccatores. Nam sicut lepra est gravis infirmitas corporis, sic peccatum est gravis infirmitas anime. Lepra autem inter omnes infirmitates est gravior et periculosior, quia debilitat hominem in omnibus membris, aufert homini cor, aures, oculos, os, manus et pedes.

Sic peccatum tollit cor, ita quod homo raro laudat Deum. Aures, non enim sinit eum audire verbum Dei. Pedes, quia non sinit enim hominem ire ad ecclesiam. Manus, non enim permittit eum facere opera misericordie. Os ut non faciat confessionem. Oculos ne videant celestia. Si autem a tali lepra te cognoveris maculatum, non protrahas, non sedeas, non tardas sed vade per veram contricionem et ostende te sacerdoti per puram confessionem et mundaberis per Dei misericordiam et satisfaccionem.

Item 2° probatur. Cum Dominus Lazarum resuscitasset, discipulis dixit [Joh. 11,44]: *Solvite eum et sinite eum abire*. Solvite sc. a vinculis mortis. Quare **[294v:]** non jussit Martham, Mariam Magdalenam, sorores suas et cognatas, que ei appropinquiores fuerunt quam discipuli, solvere eum? Per hoc patet evidenter et probatur, quod solis sacerdotibus data est potestas ligandi et solvendi. Mat. xvi [16,19]: *Tibi dabo claves regni celorum, et quodcunque ligaveris super terram etc.*

Unde Mat. [Joh. 15,16]: *Ego vos elegi de mundo et posui vos* ad graciam, *ut eatis* volando et *fructum afferatis* portando, portatis afferando et fideliter operando, *et fructus vester maneat* in eternum congregando. Nullus fructus Deo carior quam fructus animarum, pro quibus filius Dei mortuus est, et quem fructum faciunt sacerdotes. Augustinus dicit: Quis in omnibus hominibus lucratur Deo animas nisi sacerdotes, qui eas per baptismum regenerant, qui eas per penitenciam et confessionem revocant a peccato et onere revocato eucaristia cibant. Sic immensam graciam sacerdos recognoscit dicens: Quid retribuam Deo pro omnibus, que retribuit mihi? Qui creavit me, dedit me creare se. Qui creavit sine me, nunc creat mediante me, hoc est datum optimum et donum perfectum. Dicit ergo: Quid retribuam Deo pro isto singulari et maximo dono sc. sacerdocio, ac si dicat: Nisi duo minuta sc. corpus et animam. Corpus ad servicium, animam ad laudem. Ps. [145,2]: *Lauda, anima mea, Dominum*.

Gaude, o homo, gaude, quia hodie sacerdos pater Jhesu Christi efficitur. Nam cum corpus Christi tractat, angeli clamant, sicut quedam mulier extollens vocem dixit ad Jhesum [Luc. 11,27]: *Beatus venter, qui te portavit*. Cum autem sanguinem levat, clamant angeli: *Et ubera que suxisti* sc. beata ista mater, que te generavit. Cum ergo sacerdos sit pater Jhesu Christi racione creacionis, impossibile est ipsum eternaliter punire vel dampnare. Impossibile est patrem filium occidere, impossibile est suo novo [sacerdoti] petenti quidquam denegare, ut qui cum honore in manus ejus venerit, nobis misereatur, ut numquam a nostro creatore separemur. Amen. Tantum de illo.

Unde regina Saba venit Jherusalem audire sapienciam Salomonis. Gregorius: Nemo dubitet fidelium in ipsa elevacione corporis Christi ad sacerdotis vocem celos aperiri, angelorum chorus adesse, imma summis junguntur. Sentiat mens nostra, Domine, dulcedinem presencie sanctissimeque matris tue et omnium sanctorum angelorum tuorum in circuitu tuo.

Nota diaconus facit tres cruces, quando legit evangelium. Primum super librum ut intelligat quid legit. $2^{m}$ super pectus ut credat quod legit. $3^{m}$ super frontem ut non erubescat evangelium Dei predicare.

## De spiritu sancto sermo

*Si quis diligit me.* Joh. $4^{o}$ [14,23]. In istis verbis tria occurrunt nobis consideranda. Primum est dileccionis constancia, cum dicitur: Si quis diligit me. $2^{m}$ est dileccionis observancia ibi: *Sermonem meum servat.* $3^{m}$ est totius trinitatis cohabitacio ibi: *Et ad eum veniemus.* Circa $1^{m}$ notandum est quod Dominus noster Jhesus Christus est diligendus specialiter propter vii. Primo quia humilis est et benignus, quia peccatorem cito recipit, cum se per penitenciam convertit. Unde Isa. [55,7]: *Derelinquat impius viam suam.* $2^{o}$ quia speciosus est, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur. Unde dixit quidam sanctus: Tam inestimabilis pulchritudinis est ut angeli, qui septuplo solem sua vincunt pulchritudine, et ideo angeli in eo jugiter desiderant prospicere. $3^{o}$ quia largus est, quia omnem creaturam visibilem et invisibilem nobis ministrare facit. $4^{o}$ quia diligentes se diligit. Unde

[1.Joh. 4,8]: *Deus caritas est*. 5° quia diligentes se ab omni malo custodit. Ps. [144,20]: *Custodit Dominus omnes diligentes se.* 6° quia peccata dimittit diligentibus se. Unde [Luc. 7,47]: *Dimissa sunt ei peccata multa.* 7mo quia dabit diligentibus se bona ineffabilia, que [1.Cor. 2,9] *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.*

Vii sunt signa dileccionis, per que cognoscitur si homo diligit Deum. Primum est si homo hoc odit, quod amicus ejus odio habet. Amicus sc. Christus dum in hac miseria fuit, nihil nisi peccatum odivit. Sap. xi [11,25]: *Nil eorum, que fecisti, odisti,* nisi peccatum, quasi diceret: Non fecisti. Item qui vere diligunt, odiunt peccatum et omne malum. Ps. [96,10]: *Qui diligitis Deum, odite malum.* 2m est quod homo hoc bonum diligit, quod amicus diligit sc. justiciam et veritatem. Unde Sap. 1°[1]: *Diligite justiciam, qui judicatis terram.* 3m est quod homo secundum posse suum faciat voluntatem amici sui, quia vera est dileccio idem velle et idem nolle. Sic est si homo manet in ejus dileccione sc. Christi. **[295v:]** Unde [Joh. 15,5]: *Qui manet in me et [ego] in eo, hic fert fructum multum.* 4m est quod homo omnia secreta sua et omnia consilia amico suo revelet, sc. qui Deum diligit tunc secreta sc. peccata sua per humilem confessionem ei revelet et perseveret in oracione. Bernardus: Magna est virtus pure oracionis, quia est quasi quidam nuncius celum intrans ad Deum.

5m est quod si homo vere diligit Deum et libenter ei servit in bonis operibus, quia dileccionis probacio est operis exhibicio. 6m est quia homo pro amore amici non timet sustinere paupertatem, tribulacionem temporalem, nec ipsam mortem. Joh. 4° [1.Joh. 4,18]: *Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem.* 7m est quod homo mandata Dei servet sive Domini sui, unde [Joh. 14,15]: *Si diligitis me, mandata mea servate.* Item [Joh. 15,14]: *Vos amici mei estis etc.*

Nota quod in quintuplici specie visibili spiritus sanctus missus est. Primo in specie columbe super Christum baptismatum. Luc. [3,22]: *Descendit spiritus corporali specie.* 2° in specie nubis lucide super Christum transfiguratum. Mat. [17,5]: *Adhuc eo loquente ecce nubes lucida.* 3° in specie flatus. Joh. [20,22]: *Insufflavit et dixit eis: Accipietis spiritum etc.* 4° in specie ignis, 5° in specie lingue, et ideo missus est hodie ad consolandum mestos, ad vivificandum mortuos, ad sanctificandum immundos, ad confirmandum amorem inter discordes, ad salvandum justos et ad docendum ignaros per predicatores.

Et nota quod triplex est ignis. Est enim ignis, qui cruciat et non purgat ut ignis jehennalis. Eciam est ignis, qui cruciat et purgat ut ignis purgatorii. Eciam est ignis qui purgat et non cruciat, ut hodie spiritus sanctus apparuit

in specie ignis discipulis suis. Item nota quod tria sunt, que preparant hominem ad suscipiendum spiritum sanctum. Primum est mentis purificacio, 2^m^ est profunda humiliacio, 3^m^ est mentis tranquilla vacacio.

Nota quod 4^or^ sunt adhuc, que preparant animam ad suscipiendum spiritum sanctum. Primum est evacuacio peccatorum per veram penitenciam et humilem confessionem, quia spiritus sanctus non habitat in corpore subjecto peccatis mortalibus, nec in corde immundo. Hoc figuratum est Numeri viii^o^ [Gen. 8,8-9], ubi *Noe emisit columbam de arca, que dum non invenisset, ubi pedes ejus requiesceret, reversa est ad arcam* propter inundacionem aque. Per Noe signatur Deus Pater, qui emisit columbam **[296r:]** sc. spiritum sanctum de arca sc. de celo, qui dum non invenisset ubi requiesceret propter peccata, reversus est etc. 2^m^ est oracio magne dignitatis apud Deum eo quod angeli eam Deo offerunt. 3^m^ est jejunium. Unde laudabilis consuetudo est abstinere se a crapula, que generat luxuriam.

4^m^ est auditus verbi Dei. Unde Act. [10,44]: *Adhuc loquente Petro cecidit spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum Dei.* Et ideo spiritus sanctus potest vocari consolator. Nam omnes consolatur spiritus sanctus, sed tamen non illos, qui habent hic bonam consolacionem. Istis potius malediccionem, sicut sunt divites, qui habent hic consolacionem per superbiam suam. Sicut dicitur Luc. [6,24]: *Ve vobis divitibus, qui hic habetis consolacionem.*

Modo nota hic de utilitate adventus spiritus sancti. Primo habemus magnam utilitatem, quia animam ligatam catenis et funibus diaboli solvit. Hoc figuratum habemus in Sampsone [Judic.] xv, ubi legitur quod quodam tempore venit visitare uxorem suam. Audiens pater ejus dedit uxori ejus alterum virum putans quod Sampson odiret eam. Ipse vero audiens [Judic. 15, 3-5]: *Non mea culpa contra philistiim, faciam vobis omnia mala. Et ivit et cepit trecentas vulpes et fauces eorum ligavit ad caudas eorum* et misit eas in segetes eorum. Auditis hec filiis Juda dixerunt ad Sampsonem: Nostis quod propter philistiim *venimus te ligare.* Quibus ille [Judic. 15,12-13] *Jurate mihi, quod me non occidatis. Non te occidamus, sed vinctum trademus* te in manibus eorum. Et ligaverunt eum duobus funibus novis. Quem cum tradidissent eis, voluerunt eum occidere. Irruit in eum spiritus Domini, et ruptis funibus occidit ex eis mille viros cum mandibula asini.

Per Sampsonem intelligitur quilibet peccator, qui habet philisteos sc. demones, quorum funibus sc. peccatis ligatur. Isti autem sunt funes, qui trahunt hominem in peccatum cogitandi, vinctum in consensum, de

consensu in locucionem, de locucione in operacionem, de operacione in consuetudinem, de consuetudine in desperacionem, de desperacione in contemptum. Sed cum jam peccator **[296v:]** ligatus est, tunc veniens spiritus sanctus solvit omnia ista, et sic evadit ex adjutorio spiritus sancti.

2° quia hominem fortem facit ad resistendum diabolo et malis temptacionibus. 3° quia fortificat hominem actibus suis, qui ante fuit debilis. Exemplum habemus in beato Petro. 4° facit hominem securum in tribulacionibus quasi leonem, ut patet de sancto Paulo. 5° spiritus sanctus est ductor animarum nostrarum ad regnum celorum. Exemplum: Ignis dura mollia facit sicut aurum, argentum et ferrum, sic spiritus sanctus dura corda mollia facit per dileccionem Dei et proximi et per veram contricionem.

Sequitur figura vel miraculum de spiritu sancto. Legitur quod in India est quidam piscis, qui habet talem naturam, quod de mane transit ad littus maris et ibi exspectat rorem celestem et calorem solis, et ex tali calore et rore celesti concipit et parit ex se unam gemmam preciosam. Mistice per piscem potest intelligi homo, qui in mare hujus mundi unda perturbacionis hinc et inde procellitur sicut piscis. Per Indiam potest intelligi illuminacio spiritus sancti, quia India interpretatur concessio illuminans.

Unde iste piscis sc. homo est in India, quando ex illuminacione spiritus sancti incipit cognoscere peccata sua necnon suam fragilitatem. Per littus sive terram potest intelligi beata virgo Maria, ad quam debet homo transire per devotam oracionem exspectando rorem celestem sc. graciam spiritus sancti et calorem solis sc. caritatem Dei, et ex tali rore sc. gracia spiritus sancti et calore solis sc. caritate Dei concipiat et pariat ex se unam gemmam valde preciosam sc. animam Deo devotam. Et tantum de illo sermone.

**De corpore Christi**

*Sanguis [Christi], qui per spiritum sanctum semetipsum optulit Deo patri, emundabit consciencias nostras ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi.* Ad Heb. [9,14]. In hiis verbis ostendit apostolus quod Christus Jhesus per sanguinem suum, quem in passione fudit, nos mundavit a peccatis, et propter hoc tenemur ei servire propter tria, que requirit unusquisque serviens domino suo, videlicet primo propter fortitudinem defendendi, 2$^{o}$ propter amiciciam alliciendi, 3$^{o}$ propter largitatem remunerandi. Ista requirit unusquisque serviens domino suo, ut libentius ei serviat. Debemus primo Deo servire, qui nos suo sanguine redemit et mundavit a peccatis, quia fortis est ad defendendum nos.

Unde David [Ps. 23,8]: *Dominus fortis et potens in prelio.* Fortitudo sua apparuit, cum esset in terris in humanitate, quia sua fortitudine et virtute infirmos curavit, leprosos mundavit et demones effugavit. Fortitudo eciam sua apparuit in morte sua, quia tunc infernum spoliavit, diabolum ligavit et celum nobis aperuit. Eciam apparuit fortitudo sua in divinitate, quia per justiciam suam justis dat regnum, impiis supplicium eternum. Augustinus: Justum Dei judicium est, ut qui peccato mortali perfrui volunt, eternam penam inveniant. Idem: Si Dominum presentem et omnia videntem et judicantem cogitaremus, vix aut numquam peccaremus.

Isti autem tam forti Domino libenter possumus servire, quia potencia sua et omnipotencia ubique est et semper. Unde dicit [Mat. 28,18]: *Data est mihi omnis potestas in celo et in terra.* Unde Ps. [61,12-13]: *Semel locutus est Deus, duo hec audivi: Quia potestas Dei est et tibi, Domine, misericordia, quia reddes unicuique etc.* 2$^{o}$ debemus ei servire, quia ipse est multum amicabilis in alliciendo et familiaris. Hoc patet in eo quod tantam habet familiaritatem ad servos suos, quod cum eum offendunt et revertuntur, ita letanter et benigne recipit eos, ac si numquam offendissent eum.

Exemplum habemus in beato Petro apostolo, qui negasset et penitencia motus et suum peccatum deflevisset, majorem eum fecit post peccatum quam ante fuit. Si tu centum peccata mortalia fecisses, si solem et lunam tuis peccatis obumbrasses, si mare et omnes aquas in sanguinem convertisses, si peccata totius mundi commisisses, et si vere penitens ad ipsum reverteris, libentissime te reciperet et totum tibi dimitteret. Insuper te magna gloria sublimaret. Unde Ezech. prophete [33,11]: *Nolo mortem peccatorum.* Et iterum [Ez. 18,21]: *Quacunque hora peccator etc.* **[297v:]**

Item 3° debemus ei servire, quia largissimus est remunerator. Patet hoc ex eo, quod servos delicatissimo cibo pascit in hac mortali vita sc. cibo corporis et sanguinis sui, de quo omnes infideles et infelices peccatores, qui sibi non serviunt, manent jejuni et in perpetuum esurient. Is. [65,13]: *Servi mei comedunt, et vos esuritis.* Magnum enim esset donum, si aliquis dominus servo suo bona sua daret. Majus si daret seipsum ei in servum. Maximum si daret ei seipsum in cibum. Karissimi, illud totum fecit Dominus. Sibi servientibus dat enim bona temporalia et vult dare eterna. Factus est servorum suorum servus, et quotidie dat eis in cibum semetipsum. Ideo libenter facite, sicut dicit propheta [Ps. 99,2]: *Servite Domino in leticia et exultacione.*

Sequitur bonum miraculum[113]. Cum duo in maxima devocione vixerunt, quadam die inter se cum gaudio pactum fecerunt, ut quicunque primus moreretur, alteri infra mensem appareret. Post modicum vero tempus unus eorum mortuus est, qui alteri apparuit sexto decimo die. Tunc vivens interrogavit eum dicens: Quomodo habet anima tua? Anima respondit: Numquam bene habui sicut modo, quia sum in regno celorum. Jam evasi omnia pericula, nec mortem, nec penas inferni timeo. Vivens socius dixit: Quomodo hoc meruisti, quod ita cito ad gaudia eterna pervenias? Respondit anima: Quia me semper ad corpus Christi sumendum fideliter cum devocione preparavi.

Sed hoc dico tibi: Dum de mundo per mortem recessi, tunc quinque milia hominum moriebantur ista hora, et nullus fuit salvatus nisi ego et alii tres. Et non mireris, quia multi sunt heretici, qui Deum non honorant. Multi sunt judei, qui Christum non credunt. Multi sunt falsi christiani, qui corpus Christi in mortalibus peccatis sumunt, et ideo dampnabantur. Age ergo penitenciam pro peccatis, sic ut reverenter accedas ad altare Dei. Et tantum de illo sermone.

---

[113] The same story of only 3 saved souls f. 23r$^2$,293Av

**De assumpcione beate virginis**

*Signum magnum hodie apparuit in celo, [mulier]* beata Maria *amicta sole et luna sub pedibus, et in capite ejus corona stellarum.* [Apoc. 12,1]. In istis verbis Johannes evangelista nobis tria de sancta Maria describit. Primo ejus gloriam quia splendida erat sicut sol. 2$^{o}$ ejus dignitatem, quia tantam dignitatem habuit, quod luna fuit sub pedibus ejus. 3$^{o}$ ejus misericordiam et potestatem, quia habuit coronam cum stellis ornatam. Karissimi, virgo Maria fuit amicta sole, quia genuit filium sine semine viri, et quia hodie fuit assumpta ab angelis cum corpore et anima, tunc ita splendida fuit sicut sol.

2$^{o}$ assimilatur lune, quia pulchra fuit sicut luna, in quo notatur ejus progressus, quia sicut luna crescit et decrescit, sic sancta Maria crescit in divinitate ut ibi [Luc. 1,28]: *Ave Maria, gracia plena etc.* Et sicut luna minuitur, sc. peccatorum scelera minuuntur per ejus preces misericordes. Et sicut luna propinquior est terra omnibus aliis planetis, sic beata Maria propinquior est peccatoribus omnibus aliis sanctis. Unde invitat peccatores dicens [Eccli. 24,26]: *Transite ad me omnes etc.* sc. ubi nun habito, *et a generacionibus meis adimplemini* sc. eternis gaudiis a me genitis implemini.

Ipsa autem eterna genuit, quando eternorum gaudiorum conditorem et dispositorem genuit. Unde Bernardus: Christus matrem virginem elegit, ut ipsa esset omnibus exemplum castitatis, in qua quasi in speculo effulsit forma virtutum. Item sicut luna sequitur solem, sic virgo Maria sequitur Christum. Sicut luna accipit lumen a sole, sic beata Maria sumit graciam et lumen a Christo. Item vere sicut sole recedente luna lucet totum mundum, sic beata virgo illuminat mundum Christo in cruce moriente.

Item sicut sol est altior celo omnibus aliis planetis, sic beata Maria dilectior est in conversacione Dei pre omnibus aliis sanctis, quia mater et virgo est ante partum, in partu, post partum. Mater Dei fuit sine dolore prolis, et martyr tamen fuit in corpore, quando vidit passionem sui cari filii. Unde nota, exaltata est in celo super omnes angelos et sanctos eorum gloriam transcendendo, in mundo super bonos sanctis exemplis prefulgendo, super peccatores sua misericordia precellendo, in inferno super demones eorum potenciis prevalendo. Tantum de illo.

**[298v:]** Bernardus: Celum ridet, angeli gaudent, mundus exultat, demones fugiunt, infernus contremiscit, dum dico: Ave Maria.

Sequens ipsam sc. beatam virginem Mariam non devias

ipsam rogans non desperas
ipsam cogitans non erras
ipsam tenens non corruis
ipsa protegente non metuis
ipsa propicia pervenis ad gloriam.

Item cantatur de beata virgo: Electa ut sol. Fuit enim tripliciter electa sc. a patre, filio et spiritu sancto. A patre propter castitatem, a filio propter humilitatem, a spiritu sancto propter caritatem. Pater elegit eam in sponsam, filius in matrem, spritus in tabernaculum sive in templum. Et sicut electa fuit ipsa, sic electus fuit angelus, qui ei annunciavit, quia archangelus. Electus fuit apostolus, qui eam custodivit, quia virgo electus a Christo fuit. Et quia omnes electi fuerunt, qui eam sequebantur, electus eciam deberet esse, qui eam laudare deberet. Sed quia recognosco me valde indignum eam digne laudare meis exigentibus peccatis, ideo omnibus vobis humiliter supplico, ut pro me indigno ad Dominum intercedere valetis dicendo: Ave Maria, gracia plena etc.

## De nativitate Marie

*Orietur stella ex Jacob, exurgat virga de Israel et percutiet duces Moab.* [Num. 24,17]. Unde sicut adventus regis magni vel regine prenunciatur, quando debet venire ad aliquam civitatem de novo, non solum a magnis et nobilibus sicut ab officialibus et militibus, verum eciam a vilibus precursoribus sc. coquinariis et aliis personis vilibus. Sic adventus beate Marie virginis prenunciatus fuit non solum a beatis prophetis, sed eciam a malis, sicut probari potest per verba predicta. Ista autem verba loco thematis assumpta, eciam prophete Balaam, qui fuit malus propheta, ut legitur de eo, et loquebatur ista verba de nativitate beate Marie virginis multis annis ante nativitatem ejus et dixit: Orietur stella etc. Non decuit, nec debuit regine celi reprobus propheta expresso nomine eam nominare, quam angelus in principio salutacionis non fuit ausus nominare. Sed postea quando eam turbatam vidit in sermone suo, tunc primo ait [Luc. 1,30]: *Ne timeas, Maria.*

In istis verbis duo notantur. Primo describitur Dei matris nativitas, 2$^{o}$ hostium per ipsam prostrata potestas. Unde nota quod beata Maria

comparatur stelle propter 5[e], que reperiuntur in stella. Primo habet in se stella puritatem, sic beata Maria habet in se mentis puritatem. Jheronimus: Quidquid in Maria gestum est totum puritas, totum simplicitas, totum veritas, totum et gracia fuit. 2[o] stella habet in forma speciositatem, sic beata Maria speciositatem et sanctissimam conversacionem.

Unde cantamus de ea: Cujus vita gloriosa cunctas illustret ecclesias. Invenis in ea cumulum omnium virtutum. Unde ejus pulchritudinem Salomon miratur dicens [Cant. 4,1]: *Quam pulchra es, amica mea.* Nec mirum. Habuit enim in se filium Dei, qui est speculum sine macula et claritas angelorum et speculum totius trinitatis. Quod autem beata virgo pulchra fuit, patet quia spiritus sanctus pulchrioribus rebus eam procuravit, que in celo nobis non note sunt. Unde legitur [Cant. 6,9]: *Que est ista, que progreditur quasi aurora consurgens?*

3[o] stella habet in apparencia parvitatem sc. modicitatem, sic beata virgo Maria magna fuerit per excellenciam meritorum, tamen nihilominus facta est parva per humilitatem. **[299v:]** Unde [Luc. 1,48]: *Humilitatem Dominus respexit ancille sue.* Non dixit castitatem, quia per humilitatem traxit Christum de celo in uterum suum. Bernardus: Que ex virginitate placuit, humilitate tamen concepit. Item ejus humilitas notatur in verbis, quando angelus eam salutavit et dixit ei matrem Dei. Quando enim audivit quod esset exaltata, fecit secundum consilium spiritus sancti, qui dixit [Eccli. 3,20]: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Unde se humiliavit dicens [Luc. 1,38]: *Ecce ancilla Domini.* Non dixit: Ecce mater Domini vel Christi vel ecce regina celi vel domina mundi, cum tamen hec dixisse potuisset. Et quia ceteris sanctis humilior fuit, ergo gracia plenior. Vas enim vacuum plus recipit de liquore quam plenum. Ita et nos, si volumus repleri gracia spiritus sancti, oportet ut cor humile habeamus, nec timidum, nec repletum superbia, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat graciam. Si eternam vitam volumus habere, oportet nos hic humiliari, quia [Mat. 23,12] *qui se humiliat, exaltabitur.*

4[o] stella habet in se communitatem, sic beata Maria lucet pauperi et diviti sua gracia et misericordia. Augustinus: Cur non loquar, Domina, tuis beneficiis plenus est mundus. 5[o] stella habet in effectu virtutem attractivam, sicut patet in maris stella, cujus virtus est quod res tactas ab adamante ad se trahit. Sic beata virgo Maria cor durum et ponderosum ad se trahit, dum per veram confessionem homo peccata dimittit. Et ideo nota quod nativitas ista gavisa fuit angelis, qui erant in celo, quia fabricata est domus in qua habitabit magister angelice reparacionis. Unde [Prov. 9,1]: *Sapiencia edificavit sibi domum.* Ita gavisa fuit hominibus, qui erant in

mundo, quia fabricata est arca, in qua repositum est precium humane reparacionis. Gen. 7mo [6,14]: *Fac tibi arcam de lignis etc.* Item gavisa erat sanctis patribus, qui erant in limbo, quia nata est ista, que portabit pugilem eorum liberacionis. Luc. 1o[,68]: *Visitavit et fecit redempcionem plebis sue.*

Et ideo dicit Bernardus de ea: Angelis leticiam, justis graciam et peccatoribus veniam impetret. Nota in omni necessitate et in omni infirmitate ipsa beata **[300r:]** virgo usque ad diem novissimam potest juvare. Unde Augustinus: Ecce alii sancti post mortem suam aliqua miracula diu fecerunt, beate vere virginis suffragia usque ad diem novissimam invocantibus adjuvant et subveniunt universis. Quis enim precatus est umquam, cujus graciam et clemenciam non est adjutus. Theophilus: Scio, Domina, continuo quia tu maxima proteccio es et adjutrix hominum. Bernardus: Mariam totam repleverat spiritus sanctus gracia, totam impleverat divinus amor. Ista rosa pulcherrima est omnium florum, sic beata virgo pulcherrima est omnium mulierum.

Miraculum de Domina. Maria officium servorum suorum implet eis absentibus. Sanctimonialis quedam nomine Beatrix formosa valde monasterii sui sacrista et beate virgini multum devota post multos insultus cujusdam clerici ei tandem consensit, ut ad locum post completorium cum eo peccando conveniret. Accedens ergo ad altare beate virginis ait: Domina, quanto devotius potui, servivi tibi. Ecce claves tibi resigno. Temptaciones carnis diutius sustinere non valeo. Positisque super altare clavibus secuta est clericum, quam cum corrupuisset iste post paucos dies a se rejecit.

Ista vero non habens unde viveret et ad claustrum redire erubescens, facta est meretrix, in quo vicio cum xv annis vixisset, die quadam ad portam monasterii venit. Que cum portatori diceret: Nosti Beatricem quondam hujus monasterii custodem? Respondit: Optime novi. Est enim proba et sancta ab infancia usque ad hanc diem in monasterio conversata sine querela. Ista verba hominis non intelligens, dum abire vellet, mater misericordie ei apparens ait: Ego per xv annos officium tuum implevi. Revertere nunc in locum tuum et penitenciam age, quia nullus hominum novit excessum tuum. In forma siquidem tua et habitu tuo vices tuas egi. Que mox ingressa gracias egit per confessionem circa se gestantem manifestans. Tantum de illo.

**De omnibus sanctis sermo 4us**

*Beati qui habitant in domo tua, Domine, in spiritu* sancto *laudabunt te*. Ps. [83,5]. In istis verbis propheta spiritu sancto repletus facit mencionem de duobus. Primo vocat habitatores in domo Domini beatos ibi: Beati qui habitant in domo tua, Domine. 2o ostendit officium beatorum ibi: In spiritu sancto laudabunt te. Primo vocat hujus habitatores beatos. Sunt autem vii genera hominum beatorum de quibus per ordinem agit in hodierno evangelio. Primi sunt angeli quos vocat pauperes spiritu sc. humiles. Qui Lucifero et sociis ejus cadentibus per superbiam per debitam humilitatem et subjeccionem sui creatoris ista beatitudine perstiterunt. 2i sunt patriarche quos vocat mites, quia fuerunt mites et misericordes, quia opera misericordie exercuerunt. Unde Moises dicitur fuisse mitissimus hominum. 3ii fuerunt prophete quos vocat lugentes, quia propter peccata populi et propter dilatacionem Christi, quem ardenter exspectabant, lacrimas frequenter fundebant. Jer. [9,18]: *Deduxerunt lacrimas oculi mei.*

4i sunt apostoli qui dicuntur esurientes et sitientes justiciam, quia ardenter populo predicabant et per eorum predicacionem multos ad justiciam reducebant. Ps. [Dan. 12,3]: *Qui ad justiciam erudiunt multos*. 5i sunt martyres qui dicuntur misericordes ibi [Mat. 5,7]: *Beati misericordes* sc. martyres, quia pro suis occisoribus orabant, sicut patet in beato Stephano et aliis pluribus. Mat. v [5,44]: *Orate pro prosequentibus*. 6i sunt confessores qui dicuntur mundi corde, quia mundicia cordis et affliccionibus carnis corpora sua et animas suas purificabant. [1.] Petri io [1,22]: *Castigatis animas vestras.* 7mi sunt virgines que dicuntur pacifice ibi [Mat. 5,9]: *Beati pacifici* sc. virgines, que angelorum vitam in terra ducentes pacem in semetipsis habuerunt. Hebr. xii [12,14]: *Pacem persequemini.*

2o ostendit officium beatorum, quia eorum officium est laudare Deum creatorem suum propter vii beneficia, que a Deo receperunt. Primum est quod omnem debilitatem corporis sc. famem, esuriem, frigus, estus, infirmitatem, tristiciam, laborem et multa alia incommoda superaverunt. Apoc. vio [7,16]: *Non esurient neque* **[301r:]** *sitient.* 2m est quod debitum amare mortis exsolverunt. O quam amara fuit illorum mors, quia amando moriuntur et ultra mori non debent. Luc. xx [20,36]: *Neque enim ultra mori potuerunt.* 3m est quod insidias demonum evaserunt. Demones enim nobis multum insidiantur omnibus diebus vite nostre, sed illas ammodo non patientur. Unde possunt dicere per Ps. [123,7]: *Anima nostra sicut passer erepta est.* 4m est quod ad penas inferni non venerunt, que sunt

perpetue et non habent finem. Unde possunt dicere illud Eccli. 2º [51,7]: *Liberasti me de altitudine ventris inferni.* 5m est quod locum gaudii invenerunt et intraverunt, ubi sine fine gaudebunt. Mat. xxvº [25,21]: *Intra in gaudium Domini tui.* 6m quod Dominum vel regem in suo decore videbunt, quod est eis maximum gaudium. Joh. xxxiiiº [Apoc. 22,4]: *Videbis faciem ejus in jubilo.* 7m est omnium horum predictorum eternitas. Joh. xvº [16,22]: *Et gaudium vestrum nemo tollat a vobis.* Quod nobis prestare dignetur, qui cum patre et filio et spiritu sancto.

## In die animarum sermo 3us[114]

*Misereminі mei, misereminі mei, saltem vos, amici mei.* [Job 19,21]. Verba ista sunt Job, qui in sua affliccione dixit. Possunt tamen bene dici de animabus, que in affliccione et penis purgatorii posite sunt, ut hodie miseriam eorum intueamur. Habent enim vii indigencias, de quibus hodie petunt ut ipsis adjutorium impendamus. Prima indigencia est quod infirme sunt et quedam earum diu in pena jacuerunt. Ideo nos pro eis orare debemus, ut eo citius sanentur sc. cito liberentur. Jac. [5,14]: *Infirmatur quis ex vobis, inducunt presbiteros.*

2a est quod [sitiunt et ideo] debemus eas potare fonte lacrimarum et pro eis flere, ut Dominus eas hodie liberare dignetur a penis earum. Salomon [Eccli. 22,10]: *Plora super mortuos.* 3a est quod esuriunt. Unde a Domino pro eis rogare debemus cibum sc. panem sanctissimum et sanguinem suum, **[301v:]** quia panis iste devote sumptus multum confortat animas in purgatorio. 4a est quod adhuc posite sunt in carcere et in penis. Ideo nos rogare debemus pro eis ut Dominus deducat eas de carcere, et confiteantur nomini sancto ejus. 5a est quod nudi sunt, quia de hoc seculo nihil portaverunt secum, et ideo nos pro eis hodie rogemus Deum ut eas Dominus vestiat stola immortalitatis. 6a est quod adhuc hospites sunt et in penis commorantur. Ideo nos debemus Deum rogare ut tegat eorum peccata sua misericordia, ne judicentur in die judicii. Unde Ps. [31,1]: *Beati quorum remisse sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.*

Nota Salomon dicit quoddam verbum valde lacrimabile [Eccli. 22,10]: *Plora super mortuum. Defecit enim lux ejus.* In quibus nos monet esse memores mortuorum, quia dies est hodie omnium animarum. Nota quod debemus flere propter triplices mortuos. Primo pro illis qui sunt in

[114] From Peregrinus Polonus

inferno, sicut legitur, de quibus [Eccli. 41,7?:] *nulla est redempcio.* Et ideo supplicare debemus Deo ut eorum penis numquam sociemur. Luc. [16,22]: *Mortuus est dives et sepultus est in inferno.* 2° debemus flere propter illos mortuos, qui mortui sunt in mortalibus peccatis. Quia quicunque cum peccato mortali discederit sine confessione et contricione, in eternam mittetur dampnacionem. Rogemus igitur Dominum ut nos propter suam misericordiam a peccatis mortalibus custodiat. 3° flere debemus propter mortuos, qui sunt in purgatorio, et ideo rogemus hodie Dominum ut eas a vinculis penarum absolvat et propter misericordiam suam eas ad vitam eternam perducat.

Versus: Peccatum, mors tua, mors Christi, pena jehenne, judicium, patria, hec sex tibi sunt memoranda. Quociens temporalia amamus tamquam nostra et non tamquam a Deo accommodata peccamus.

**[301Ar:] Nota**

Nota de suffragiis mortuorum faciendis. Ecclesia consuevit tripliciter numerum dierum maxime observare sc. septenarium, tricenarium et anniversarium, et racio horum sic observatur: Observatur septenarius ut anime ad eterne quietis sabbatum perveniant, vel ut eis omnia peccata remittantur, que in vita egerunt. Que per vii dies ducuntur. Vel ut remittantur eis peccata, que egerunt cum corpore, quod consistit ex $4^{or}$ humoribus, et cum anima, in qua sunt $3^{s}$ vires. Observatur tricenarius, qui constat ex tribus denariis[?], ut purgetur in eis quidquid in fide trinitatis et transgressione decalogi deliquerunt. Observatur anniversarium, ut de annis calamitatis perveniant ad annos eternitatis. Sicut enim anniversarium sanctorum celebramus ad ipsorum honorem et nostram utilitatem, sic et anniversarium defunctorum ad ipsarum utilitatem et nostram devocionem. Tantum de illo.

**[301Av:] Nota**

Nota de hiis, qui in fine penitent. Audi, quid Augustinus sentit: Baptizatus ad horam securus hinc exit, fides bene vivens securus hinc exit, agens penitenciam et reconsiliatus, cum sanus est, securus hinc exit. Agens penitenciam ad ultimum et reconsiliatus, si securus hinc exit, dubito. Ego non sum securus, ergo tene certum et dimitte incertum. Hec autem ideo dicit Augustinus, quia tales consueverunt potius penitere ex necessitate quam ex voluntate, potius timore pene quam amore glorie.

**De eodem**[115]

*Dispone domui tue, cras enim morieris tu et non vives.* [Is. 38,1]. Penis obligati sumus Domino sc. morti. **[302r:]** Ideo recordamur minime. Et propterea periculosum est nobis dimittere, ne ammonemur de morte, et periculosum est nobis mortem ammonitam non timere. Unde tunc precipue dicendum est de morte, cum delectabilissimum sit vivere. Sed in omnibus verbis prophetarum vel apostolorum non invenitur aliquod aptius ad ammonicionem mortis quam illud Isaie predictum sc.: Dispone domui tue.

Unde rex quidam Ezechias nomine laboravit in extremis, ad quem missus est Isaias propheta dicens: Dispone etc. Ex quibus verbis perterritus flevit amare. Ex cujus fletu motus est Dominus, addidit ei xv annos. Karissimi, sicut iste rex laboravit in extremis, ita et nos. Novissima enim hora nunc est, ut dicit Paulus [1.Cor. 10,11]: *Nos sumus, in quos seculorum fines devenerunt.* Sed ubi finis fuerit, novit iste qui novit omnia. Ad ipsum regem missus fuit Isaias propheta, qui dixit ei: Dispone domui etc. Non solum ad eum, immo ad totum mundum, ad quamlibet provinciam, ad quamlibet civitatem et ad quamlibet domum missus est idem propheta, ut dicat idem: Dispone etc.

Nos vero, quid faciamus, cum illud idem audimus? Certe ridemus ludimus et quod dicitur nobis non credimus. Juvenes confidunt in hoc quod vident seniores supervivere. Senes vero confidunt in hoc et dicunt in quolibet anno: Adhuc possum vivere per annum. Et errant. Ergo emenda conversacionem tuam, cras enim morieris. Unde [Apoc. 14,13]: *Beati mortui, qui etc.* Hoc est qui in tali opere moriuntur, quod ad Dominum venire mereantur. Qui enim in peccato sine penitencia moritur, immo ad diabolum descendit. Et hoc habemus expressum in Ezech. [2,9], qui *librum ostendit, in quo tria scripta erant* sc. Ve, lamentum et carmen. Per Ve intelliguntur illi, qui in peccatis mortui sunt. Illis debetur Ve sc. eterna dampnacio.

Per lamentum intelliguntur illi qui a peccatis egressi in penitencia moriuntur. Quia penitencia est peccata deflere etc. Per carmen illi dantur intelligi qui sunt in terra promissionis sc. in eterna beatitudine, in qua Deum laudant dicentes [Apoc. 4,8]: *Sanctus, sanctus, sanctus*. Beati ergo qui in Domino moriuntur, quia absque **[302v:]** pena anime eorum egresse

[115] About Ezechias see f. 257v- Almost the same sermonf. 220r except from the story of St. Paul and the archangel Michael. St. Paul's vision probably from Jacobus de Voragine:Legenda aurea

statim ad celum volant. Et hoc habemus in vitis patrum de quodam sancto viro, qui oravit Deum, ut ostenderet ei qualiter anima de corpore sine angustia duceretur. Quadam die cum exiret de cella sua, vidit pauperem jacentem juxta viam in extremis laborantem. Vidit quoque circa illum angelos stantes et exspectantes animam ejus, ut istam ad celum deportarent. Cumque illi moram facerent, sonuit vox de celo dicens: Ut quid ibi diu moramini? Et dixerunt angeli: Precepit Dominus ut sine Ve et angustia corporis animam ipsius educeremus, quod non possumus.

Et hoc dicto statim multitudo angelorum et prophetarum descendit modulacione, et anima egressa est a corpore absque omni angustia cum illo sancto comitatu. Dispone ergo domui tue, ut morieris tali comitatu et ad celum transeas. Provide ergo anime que eterna est, quam carni que nihil est. Noli illam animam perdere, pro qua mortuus est Christus, ut esset sua. Creavit enim nos Deus et recreavit, creavit nos de nihilo et recreavit nos proprio sanguine.

Nunc sciatis quod Paulus apostolus et Michael archangelus, quando exierunt ad infernum, tunc videbat Paulus ante portas inferni arbores igneas cruciatas et peccatores suspensos in eis. Alii pendunt per pedes, alii per manus, alii per capillos, alii per colla, alii per linguas et alii per brachia.

Tunc interrogavit Michaelem dicens: Qui [sunt illi, qui pendunt] per pedes? Hii sunt qui visitabant choreas, dum visitarent ecclesiam. Qui per manus? Sunt hii qui suspenderunt res alienas cum manibus, videlicet fures, latrones. Qui per capillos? Hii sunt qui crispabant crines suos in die dominico. Qui per linguas? Sunt hii, qui loquebantur vana et murmuraverunt sub missa in die dominico.

Et iterum vidit fornacem igneum et animas in ea punientes. Et in circuitu fornacis erant vii pene sc. ignis, glacies, nix, sanguis, serpens, pix et fetor. Et in ipsa fornace punientur anime peccatorum, qui non **[303r:]** egerunt penitenciam pro peccatis commissis in hoc seculo. Alii flent, alii ululant, alii ardent in flamma, alii desiderant mortem, sed non moriuntur. Ideo nobis consultum est in hoc seculo, ut provideamus nobis in bonis operibus, ut possimus penas inferni evitare, quia ibi est stridor dentium, labor sempiternus, gemitus.

Et vidit postea fluvium nigrum et igneum, in quo erant severi leones, super quod fluvium erat pons dictus Geldebro, et ibi erant puelle nigre et vestite in vestibus nigris cum sulphure et pice igneo, et comederunt serpentes et viperas et habuerunt coronas igneas in capitibus earum. Et interrogavit Paulus angelum Dei dicens: Que sunt iste? Hee sunt, que non servaverunt virginitatem et castitatem usque ad nupcias, et tenuerunt se pro

virginibus et necaverunt pueros suos sine baptismo et dederunt porcis et canibus.

Post hec vidit viros et mulieres in alio loco in glacie punientes et igne. Una pars frigebat, altera autem urebat. Et hii erant qui viduis et orphanis nocuerunt. Post hec vidit camelos et alias severas feras comedentes animas peccatorum, et hii sunt qui non compleverunt eorum jejunia eis pro penitencia imposita. Et vidit unum senem inter 4$^{or}$ diabolos ululantem et dicentem: Ve, Ve, Ve mihi. Et erat iste, qui audivit verba Dei et neglexit ea et non affirmavit. Non fuit castus corde, opere et intencione, sed magis fuit avarus, segnis ad divina et superbus.

Et flevit Paulus et dixit ei angelus: Quare ploras, Paule, super humanum genus? Adhuc videbis majores penas inferni. Et ostendit ei puteum profundum et nigrum et ait illi: Sta longius, ut non sumas fetorem de ore putei. Et surrexit fetor malus superans omnes penas, et dixit angelus ei: Si quis mittatur in hoc puteo, non est commemoracio **[303v:]** ejus in conspectu Dei. Et dixit Paulus: Qui sunt hii? Hii sunt qui non crediderunt Christum natum de virgine Maria, et qui non baptizantur, et qui sumunt corpus Christi indigne. Et vidit in alio loco viros ac mulieres comedentes igneos vermes, et erat una super alteram et volabant de terra ad celum et sic econtrario, et dederunt gemitum quasi tonitrum.

Et sunt illi, qui habuerunt malum conjugium. Et suspiravit Paulus. Et post hec vidit vii demones deducentes unam animam ex corpore ad puteum, et iste non celebravit diem dominicum. Post hoc vidit in uno momento, quod angeli Dei deduxerunt unam animam de corpore, et audivit vocem milium angelorum dicentium: O anima felicissima, gaude quia fecisti voluntatem Dei et celebrasti diem dominicum. Tantum de illo sermone.

## In dedicacione ecclesie sermo 4[us]

*Hodie oportet me manere in domo tua.* Luc. xix [19,5]. Verba ista dixit Dominus ad Zacheum. Unde Zacheus fuit unus princeps publicanorum et dives valde et desiderabat Christum videre, quis esset. Dominus semel perambulabat Jherico. Hoc intelligens Zacheus precucurrit et ascendit in arborem sicamorum, utinam pre turba videre posset, quia statura pusillus erat. Quando autem Christus veniebat ad illam arborem, clamavit ad Zacheum ut descenderet, quia hodie oportet me manere in domo tua. Tunc Zacheus descendens cum magno gaudio suscepit eum et statim promisit, quod vellet statum suum mutare, cum dixit [Luc. 19,8]: *Ecce dimidium bonorum meorum etc.*

Evangelium istud duo tangit. Primum est Dei misericordia, 2[m] est Zachei conversio. Misericordia Domini fuit in hoc, quod voluit manere in domo istius magni peccatoris. Zachei conversio fuit in hoc, quando dixit: Ecce dimidium etc. Nota quod quadruplex est domus in sacra scriptura, quam homo debet intrare. Prima domus est corpus, in qua inhabitat anima. Et de ista domo dicit Job [4,19]: *Inhabitat domos luteas, qui terrenum habent fundamentum.* Homo qui inhabitat in domo de luto **[304r:]** facta, non diu potest stare nisi cadat, quia de luto.

Unde Paulus [2.Cor. 4,7]: *Habemus thesaurum preciosum in vasis de terra factis.* Unde portamus preciosam animam in vasis de terra factis, et ergo timendum est ne vas frangatur et thesaurus amittitur. Istam domum debet homo semper intrare et statum suum mutare in bonum. Mat. xxix [9,6]: *Vade in domum tuam* considerando novissima tua. Unde Salomon: *Memorare novissima tua etc.*

2[a] domus est ecclesia Dei, de qua dicitur [Mat. 21,13]: *Domus mea etc.* Ad hanc domum frequenter est eundum, quia oraciones ibi exaudiantur. Unde Salomon [3.Reg. 8,30]: *Quicunque oraverit in loco isto, tu exaudies eum de celo.* Sic petivit Salomon. Ideo Dominus quandocunque in Jherusalem venit, semper ivit ad domum Dei sc. ad templum vel ecclesiam. Unde Chrisostemus: Proprium est boni filii visitare domum patris sui. Si vero volumus esse filii Dei, debemus sepius visitare ecclesiam Dei sc. domum patris Domini nostri. Unde Augustinus: In domo Dei nemo aliquod agat, nisi quod orat, quia facta est ad orandum. Ergo libenter debemus visitare templum Domini, quia Dominus ibi invenitur. Unde in evangelio [Luc. 2,46]: *Invenerunt eum in templo.*

3[a] domus est consciencia cujuslibet hominis. Unde Ps. [92,5]: *Domum tuam, Domine, decet sanctitudo.* Ad hanc domum debemus

frequenter ire ipsam inspiciendo et peccata abjiciendo, ne inveniremur in peccato mortali. Exemplum de latrone, qui furtum ejecit, antequam judex venit etc. Sap. [Eccli. 18,20]: *Ante judicium interroga autem temetipsum* sc. qualis sis, et abjicias peccata a te, antequam judex venit sc. Christus. Gregorius: Si aliquis potens vel dives vellet domum tuam intrare, cum omni festinacione tota domus mundaretur. Multo magis terge sordes mali operis et purga domum mentis tue. Zacheus mundavit domum suam in hoc quod dixit: Ecce dimidium bonorum etc. Dominus tunc respondit [Luc. 19,9]: *Hodie salus huic domui* sc. anime *facta est.*

4[a] domus **[304v:]** est celestis patria. Unde Ps. [83,5]: *Beati qui habitant in domo tua etc.* Item Jac. [Ez. 43,5?]: *Domus ista est repleta bono.* Ps. [64,5]: *Replebimur in bonis domus tue.* Istam domum commendat Dominus in evangelio, cum dicit [Joh. 14,2]: *In domo patris mei mansiones multe sunt.* Ideo dicit Augustinus de illis qui sunt in ista domo: Beati qui habent omnia, que volunt habere. Tales sunt, qui sunt in regno celorum. Augustinus: Festinemus ingredi in illam domum, ubi nihil malum adest et nihil bonum deest. Ad quam nos perducat Jhesus Christus.

## In annunciacione Marie virginis sermo 4[us]

*Ave gracia plena.* [Luc. 1,28--35]. In hoc evangelio hodierno tria facit [angelus] per ordinem. Primo enim commendat virginem sive salutat: Ave gracia plena. 2[o] commendatam virginem confortat ibi: *Ne timeas, Maria.* 3[o] indicat modum, quomodo fieri debet ibi: *Spiritus sanctus superveniet in te.* Nota tria intendebat angelus, primo preparare virginem, 2[o] explere suam legacionem, 3[o] glorificare mittentem. Circa primum notandum est quod ad salutandum gloriosam virginem Mariam tria nos inducunt, sc. exemplum Gabrielis, lucrum resalutacionis et debitum materne dileccionis.

De 1[o] Luc.: *Ave gracia plena etc.* Attende, homo, quam reverenter angelus salutavit virginem dicens: Ave. Quam incomparabiliter honoravit eam dicens: *Dominus tecum.* Quam excellenter eam commendavit dicens: *Benedicta tu in mulieribus*. Quam diligenter confortavit eam dicens: *Ne timeas,* Maria. Quam dulciter eam confortavit dicens: *Ecce concipies in utero.* Et quam eleganter exposuit modum dicens *Spiritus sanctus superveniet in te.*

O homo, saluta hanc virginem dicens: Ave gracia plena. Ave propter prerogativam nature, gracia plena propter prerogativam gracie, Dominus tecum propter prerogativam glorie. O homo, saluta eam dulciter, amabiliter et reverenter. Dulciter quia ipsa est apotheca, in qua reconditur manna celestis dulcedinis. Amabiliter quia puella tenera est et delicata. Reverenter quia regina est in celis et in terris. Si autem attendere volumus quanta nobis Dominus per eam fecit, tunc salutamus eam libentius, honorabilius et frequentius. Festum enim hodiernum est principium et origo omnium festivitatum.

**[305r:]** Circa 2$^{m}$ sc. lucrum resalutacionis carissima enim domina est, et ideo non potest salutari sine resalutacione. Eccli. [24,26]: *Transite ad me omnes*. Ipsa enim est mater gracie, que peccatorem filio suo representat et veniam impetrat. Ipsa est mater misericordie, que aversum a Deo revocat et igne divini amoris vel ardoris inflammat. Bernardus: Si cupis invenire graciam, ut supra. Et hec est causa, quare beata virgo pingitur quasi inclinans caput et amplectens filium.

Item salutate Mariam, quia multum pro nobis laboravit filium suum lactando, portando, pro nobis orando, in Egyptum fugiendo et multam paupertatem pro nobis sustinendo, et hodie pro nobis laboravit illuminando. Maria interpretatur stella, domina et mare. Stella quia in nocte presentis vite servos suos irradiat et eis viam veritatis ostendit. Domina quia nos ubique protegat, si nos impugnat diabolus ut occidat, si arridet mundus ut nos decipiat, si blanditur caro ut lascivire faciat, respiciamus tunc hanc stellam lucidam. Item salutemus Mariam mundi Dominam, ut sine timore inimicorum illi serviamus.

3$^{o}$ vero Gabriel angelus confortans virginem nunciat ei, propter quod venerat: *Ne timeas*, inquit, Maria. Nullus homo dignus fuit nunciare ei nisi angelus, nec quilibet angelus sed Gabriel archangelus, et hoc propter dignitatem pueri et eciam propter convenienciam, ut sicut Eva seducta fuit per diabolum, ita Maria edocta fuit per angelum. Sicut enim diabolus temptavit mulierem, ut eam protraheret ad deciduum. Bernardus: O beata virgo, misericordie tue longitudinem, latitudinem, sublimitatem et profunditatem, quis queat invenire. Nam longitudo tua vsque ad diem novissimam invocantibus subvenit universis. Latitudo tua replet orbem terrarum, ut tua misericordia plena sit omnis terra, sublimitas tua superbe civitatis invenit restauracionem, profunditas tua sedentibus in tenebris et in umbra mortis redempcionem optinuit. Et tantum de illo sermone.

## Item de annunciacione

*Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem etc.* [Luc. 1,26]. Cum primi nostri parentes in paradiso deliciis affluissent et diabolo propinante poculum mortis hausissent, ac tota posteritas per quinque milia annorum huic sentencie succubuisset, misertus Dominus, quod ille malignus predo gloriabatur quod totum genus humanum quasi jure possedisset hereditario, contra mortis poculum per feminam diabolo instigante porrectum, fecit medicinam et vitam omnibus attulit. Misit ergo Dominus angelum suum ministrum eterne salutis virgini Marie nunciare quod vellet sibi mundum reconsiliare, et omnia, que sunt in celo et in terra, restaurare.

Gabriel namque archangelus venerabiliter virginem Mariam salutavit, quam matrem Dei atque reginam angelorum predicavit dicens [Luc. 1,28 et 31-33]: *Ave gracia plena. Ecce concipies et paries filium, et vocabitur altissimi filius. Hic in Israel rex erit, et regni ejus non erit finis.* Notandum autem quod rex regum et Dominus dominantium filius Dei veniens in hunc mundum nuncium magnum premisit sc. Gabrielem archangelum, qui sibi hospicium congruum prepararet sc. virginem Mariam. Sed nota quod quilibet potens consuevit querere in suo hospicio vii, sc. in beate Maria virgine.

Unde nota quod vii sunt in domo potentis necessaria, sc. pulchritudo domus et mundicia, debita domus clausura, multitudo et abundancia rerum, diligens domus custodia, discrecio et sapiencia, quod domus sit firma et tuta, et obediencia in familia. Unde ista vii fuerunt in beata virgine. Primum est pulchritudo domus et mundicia, per quod intelligitur virtuosa ejus castitas. Fuit enim virgo ante partum, in partu et post partum. Ipsam enim pulchritudinem domus propter suam mundiciam commendat in Cant. [4,7]: *Tota pulchra es etc.* Vere tota pulchra est, quia mundo corde et corpore.

2m est quod quilibet potens consuevit requirere in suo hospicio est debita domus clausura, quod significat tantam custodiam, quam beata virgo habuit. Non enim vagabatur ut Dina, sed in domo clausa manebat et orabat. 3m est multitudo et abundancia rerum, quod significat copiam graciarum, que fuit in ea. Unde dixit angelus: Ave gracia plena, vere plena, immo eciam plenissima. Bernardus: In ventre gracia divinitatis, **[306r:]** in corde gracia castitatis, in ore gracia affabilitatis, in manibus gracia misericordie et veritatis.

Item Bernardus: De plenitudine ejus accipiunt universi captivi redempcionem, tristes consolacionem, peccatores veniam, justi graciam,

angeli leticiam, tota trinitas gloriam, et persona filii carnis substanciam. Dominus tecum, Dominus pater tecum, Dominus spiritus sanctus tecum cujus gracia concipies. Dominus filius tecum quem concipies in utero. Benedicta tu in mulieribus sc. super omnes mulieres, quia eris mater Dei.

Nota. Multe mulieres inveniuntur benedicte in veteri lege. Super omnes has tu es benedicta. Sara legitur fuisse fidelis, sed Maria fidelior quam Sara, quia ista sterilis genuit et de promisso dubitavit. Sed Maria virgo peperit et plene credidit. Item Rebecca fuit speciosa, Maria autem speciosior, ipsa enim speciosissima. Numquam enim fuit natus tam pulcher sicut ipsa. Unde licet pulchra esset, tamen numquam aliquis immundus eam inspicere potuit, qui eam in malum inspiceret, sed potius accensi sunt ad devocionem specialem.

Item Rachel fuit amabilis, sed Maria amabilior, quia dilecta a Domino. Item Lia fuit fecunda, sed Maria fecundior. Item Debora spiritu sancto fuit plena, quia prophetavit et totum populum judicavit, ut legitur Judic. 4$^{o}$. Sed Maria sapientior vel plenior, quia spiritu sancto fuit plenissima. Concepit enim filium Dei spiritus sancti gracia. Item Esther fuit humilis, Maria autem humilior. Unde ipsa dixit [Luc. 1,38]: *Ecce ancilla etc.* In hoc apparet ejus humilitas. Item Judith fuit fortis, sed Maria fortior, quia ista abscidit caput Holofernis, sed Maria contrivit caput antiqui serpentis sc. diaboli. Diabolus enim instigavit judeos ut crucifigerent filium Dei, per quem caput sc. potestas diaboli amputatum est, et sic patet quod est benedicta inter omnes mulieres.

4$^{m}$ quod quilibet potens requirit in suo hospicio est diligens domus custodia, et significat verecundiam Marie, quam habebat. Unde **[306v:]** dicitur in evangelio que cum audisset, turbata est in sermone angeli. Verecundebatur autem et conturbata fuit promissione angeli, quem in forma viri videbat, et pro salutacione insolita, quam ipsa audiebat, dixit angelus: Ave gracia plena. Ista salutacio numquam prius audita fuit, et propterea fuit turbata. 5$^{m}$ est discrecio et sapiencia, que in domo potentis debet esse, et significat deliberacionem et prudenciam Marie quam habebat. Non enim statim respondit sed cogitavit. Quid cogitavit, qualis esset ista salutacio. Cognovit ipsum esse angelum bonum et non malum, sed quia angelus de gloria loquebatur, cepit contristari et conturbari, et tunc angelus confortans eam dixit [Luc. 1,30]: *Ne timeas, Maria etc.*

6$^{m}$ est quod domus firma sit et tuta, et significat firmitatem Marie virginis et constanciam perseverantem. Unde Maria respondit angelo [Luc. 1,34]: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non etc.* Glosa: In virginitate mea manere disposui. Vide quanta constancia fuit in ea. Licet esset

salutata, licet confortata, licet commendata, tamen potius videtur velle non habere prolem quam perdere virginitatem. Et ideo querit, et respondens angelus dixit ei [Luc. 1,35]: *Spiritus sanctus superveniet in te etc.,* qui conceptum tuum efficiet. Unde dicitur: Conceptus de spiritu sancto.

7^m^ quod in domo potentis est necessarium, est obediencia in familia, et significat promptam obedienciam Marie. Unde dixit: [Luc. 1,38] *Ecce ancilla Domini.* Statim filius Dei in utero ejus est conceptus et perfectus Deus et perfectus homo, et in ipsa prima die concepcionis tante sapiencie ac potencie fuit, quante in tricesimo anno fuit.

Magna fuit salutacio Marie. Ave sc. sine Ve, absque triplici Ve sc. Ve culpe, doloris et pene. Unde absque Ve culpe fuit, quia in utero sanctificata ita fuit, quod nec venialiter nec mortaliter peccare potuit, et bene dicebat, quia mundissimum et summum regem in suo utero portavit. 2^o^ fuit absque Ve doloris, quia ore dictum fuit [Gen. 3,16]: *In* **[307r:]** *dolore paries.* Sed virgo Maria peperit filium sine dolore. 3^m^ fuit absque Ve pene sc. infernalis miserie, quia super omnes celos exaltata est. Tantum de illo sermone.

## In capite jejunii[116]

Nota penitencia est agenda, quia per eam infernum evadimus. Unde [Ez. 33,11]: *Nolo mortem peccatoris.* Accidenciam [assistenciam?] Dei acquirimus, unde [Ez. 18,21]: *In qualibet hora peccator ingemuerit etc.* Item regnum celorum habebimus, unde [Mat. 3,2]: *Penitenciam agite, appropinquabit enim regnum celorum.* Item nota sex, que inducunt hominem sive animam ad Dominum nostrum Jhesum Christum. Primum est propria consciencia. Unde propria consciencia habet hominem dampnare et salvare.

2^m^ est memoria mortis. Unde [Eccli. 7,40]: *Memorare novissima tua, et in eternum non peccabis.* Memento mortis tue et non peccabis, quia qui se moriturum cogitat, contempnit presencia et ad futura festinat. Augustinus. 3^m^ est memoria passionis, 4^m^ est memoria judicii. Item de memoria judicii dicit Augustinus[117]: Si dormio vel vigilo, sive comedam,

---

[116] Perhaps in die cinerum

[117] Elsewhere this quotation is attributed to Jheronimus, f. 177r and f. 289v, but to Bernardus f. 66v

sive bibam, sive quodcunque opus faciam, omni tempore hec vox ante aures meas semper sonuit: Surgite, mortui, et venite ad judicium Dei. Hec iste. 5^m consideracio jehenne ignis. 6^m est consideracio eterni premii. Unde in evangelio [Mat. 20,8]: *Voca operarios et redde illis mercedem etc.*

Item nota quod vii sunt cause, quare a peccatis cessare debemus. Prima ne Christum offendamus, 2^a ne illud quod gratum est diabolo faciamus, 3^a ne contra naturam agamus, quia a Deo creati sumus ut sine peccato vivamus. 4^a ne angelum nobis commissum a nobis fugere compellamus, 5^a ne proximo exemplum peccandi prebeamus, 6^a ne in infamiam incurramus, 7^ma ne dampnacionem eternam incurramus. Item nota in homine est ista: Materia vilis dum generatur, introitus flebilis dum nascitur, status difficilis dum vivit, egressus horribilis dum moritur. Unde Jheronimus: Successus presentis felicitatis est judicium eterne dampnacionis. Unde Augustinus: Cum enim Christus tantum pro nobis sustinuit, ut nos a peccatis nostris liberaret, juste dampnatur qui post tantum creacionis remedium relabitur ad peccatum.

## De nativitate Domini sermo 4^us [118]

*Novum fecit Dominus super terram, femina circumdabat virum.* Jer. [31,22]. Legitur in cronicis romanorum, quod ipsi inter alias festivitates tres precipue festivitates habebant, sc. dies natalis regis, imperatoris et natalis urbis sc. quando civitas primo cum muris et legibus est fundata. Sic eciam in ecclesiis fidelium dies natalis regis pertinet ad Christi nativitatem, dies imperatoris pertinet ad Christi resurreccionem, quando gloria et honore coronabitur, dies natalis urbis pertinet ad spiritus sancti missionem. Cum enim ecclesia sc. christianitatis in apostolis quasi in muris fundata et in corporibus eorum per spiritum sanctum, qui datus est eis lex amoris, que scripta est. Et ideo propheta ad ejus nativitatem bene dicit: Novum fecit Dominus etc.

Fecit enim tria nova et hoc in triplici terra. Unde prima terra dicitur beata Maria virgo, de qua dicit Ps. [84,2]: *Benedixisti, Domine, terram tuam* sc. beatam virginem Mariam. Ab omni originali peccato ipsa est mundata et in utero sanctificata et replenda donis celestibus. Post hec Deus respexit terram et replevit eam donis suis. Item prima terra eciam significat

[118] Partly by Peregrinus Polonus

Evam, et illa fuit maledicta propter transgressionem mandati Domini, et ideo spinas et tribulos germinavit, et per eam omnes dampnati sumus.

Sed per terram, que significat beatam Mariam, omnes salvati sumus. Huic terre quotidie benedicimus dicentes [Luc. 1,42]: *Et benedictus fructus ventris tui etc.* Vere et merito, quia protulit fructum perpetue salutis angelis, hominibus et toto mundo. Super hanc terram fecit Dominus multa bona nova, primo quia virgo concepit Deum et hominem. Unde in Prov. [22,2]: *Dives et pauper obviaverunt sibi* in utero virginis.

2[m] novum est quod beata virgo Maria novo modo concepit sc. per fidem et amorem. Unge Hugo dicit: Nam in corde ejus amor divinus singulariter ardebat, ideo in carne ejus spiritus sanctus mirabilia faciebat, qui eam accendebat. Ecce ista benedicta terra sc. beata virgo Maria protulit nobis hodie puerum et regem omnium regum, qui nos eripuit de potestate tenebrarum. Hoc vere fuit magnum novum et mirabile, quod virgo in eternum permanens virgo concepit et virgo peperit et virgo post partum permansit. 3[m] novum est quod in concipiendo non minuitur ejus virginitas. Hoc **[308r:]** figuratum habemus in Exodo [3], ubi legitur quod flamma de rubo exibat, et tamen rubus non comburatur. Per hoc intelligitur quod Marie virginitas non violabatur. Ideo illuminatrix vel stella maris appellatur.

Unde sicut stella non violatur, sed illuminatur emittendo radium, sic beata virgo Maria non violabatur in virginitate post partum. O quot ista stella illuminavit peccatores et adhuc illuminat, qui eam toto corde invocant. 4[m] novum est quod peperit sine dolore salvatorem seculorum. Nec mirum, quia protulit filium sicut pomum profert odorem suum sine lesione.

2[a] terra est civitas Bethlehem, de qua propheta dicit [Mat. 2,6]: *Tu, Bethlehem, terra Juda, non eris minima in principibus Juda.* Super hanc terram Dominus operatus fuit novum. Erat enim gaudium magnum, quod angelus ait pastoribus [Luc. 2,10-11]: *Annuncio vobis gaudium magnum, quia natus est nobis hodie salvator* mundi. Non solum pastoribus nunciavit, sed omnibus nobis. Item 2[m] novum est cantus angelorum, quem pastores audierunt, de quo Luc. [2,13] dicit: *Facta est cum angelo multitudo celestis exercitus laudantium et dicentium: Gloria in excelsis Deo*. 3[a] terra est romanorum, de qua dicit Isaias [2,8]: *Repleta est terra idolis suis.*

Per hanc terram monstravit Dominus diversa. Primum est quod sicut hodie fons olei in romana civitate de terra erupuit et fluxit in aquam, que appellatur Tyberis. Per hoc satis congruum fuit, quod iste natus fuit, qui est

fons misericordie, qui venerat solvere peccatum de cernivibus nostris. O quot peccatores unxit oleo misericordie sue, sicut Mariam Magdalenam, sanctum Petrum, latronem et alios sanctos.

2m novum fuit quod templum pacis corruit in Roma, quando Christus natus fuit. Romani enim edificaverunt firmissimum templum, tunc quesierunt pontifices templi ab idolis, quamdiu templum **[308v:]** duraturum esset, quibus unus demon ex idolis respondit: Quousque virgo pariet puerum, quod ipsi estimantes impossibile fieri et crediderunt illud in perpetuum duraturum. Et corruit in ista nocte, quando virgo Maria peperit puerum sc. Christum.

3m novum est quod cesar Augustus vidit in celum et vidit puellam gestantem puerum in manibus. Unde precepit cesar ut nullus deus adoretur nisi tantummodo iste puer. 4m novum est quod, qui vult puerum istum videre, veniet ad beatam virginem Mariam que dicit [Eccli. 24,26]: *Transite ad me omnes etc.*, et [Prov. 8,35] *qui me invenerit, inveniet vitam eternam.*

Unde legitur quod res perdita sit apud inventorem suum, donec veniet qui requirit eam. Res ista quam perdidimus, est gracia Dei, et illam invenit beata virgo Maria. Et transeamus ad eam et istam graciam reddat nobis. Et illud debemus facere per oraciones ex toto corde et pura intencione et devocione, et ipsa nobis reddat graciam filii sui, quam perdidimus. Sicut quidam fecit, qui negavit Christum coram diabolo, ut eum divitem faceret. Sed beatam virginem noluit negare.[119] Et postea veniam petiit a beata virgine Maria, et salvatus fuit per intercessionem sancte Marie ad Christum. Et quamvis per primam terram sc. Evam clausus fuit aditus celi, per hanc terram sc. virginem Mariam et nativitatem filii ejus aperta est nobis janua regni celestis. Rogemus Dominum hodie ut per suam nativitatem nos confortat in suo sancto servicio. Amen. Tantum de illo sermone.

---

[119] Almost the same story f. 145v.

## In circumscisione Domini sermo 3us [120]

*Ecce nova facio omnia.* [Apoc. 21,5]. Beatus Johannes, qui vidit et audivit multa secreta regni celestis preterita, presencia et futura, ille inter alia audivit unum angelum dicentem [Apoc. 7,17]: *Absterget Deus omne lacrimam ab oculis sanctorum.* Et quod tunc audivit sanctus Johannes, hodie est impletum. Hodie enim fecit Deus multa nova. Primum fuit tempus, quia hodie est novus annus, qui inchoatur a fidelibus, et primum novum quod fecit Dominus, fuit hoc quod elegit sibi novam matrem et ita novam, quod numquam talis mater fuit inventa. Vetus enim mater Eva, que per peccatum fuit deprivata et deturpata. Per istam novam matrem mundatus est mundus et renovatus.

**[309r:]** Ipse enim Dominus illud novum vas elegit sibi, in quo manna celestis descendit ad cibandum totum genus humanum. Deus omnipotens, qui dixit Gabrieli archangelo, quod diceret ad beatam virginem, ut a spiritu sancto conciperet, dixit [Exo. 16,33]: *Afferre mihi vas novum* sc. beatam virginem Mariam, que fuit vas solidum per patienciam, mundum per virginitatem, ornatum cum lapide precioso per virtutum abundanciam. Primum tunc factum est novum celum et terra nova et novum corpus et nova anima Christi. Et hoc Christi novo modo, quia sine virili semine, sed mistico spiramine spiritus sancti de purissimo sanguine virginis corpusculum humanum Dominus assumpsit de hoc novo vase, quia de eo processit. Et hoc fuit inicium novitatis.

Item venit ut naturam venditam pro peccatis patris nostri Adam redimeret et hoc precioso sanguine suo, quem hodie primitus cepit fundere in circumscisione. Et hoc fuit bonum inicium novitatis. Item venit ut naturam dampnatam solveret, et hoc per nomen sanctum suum, quod hodie ei impositum fuit sc. Jhesus. [Act. 4,12:] *Non enim est aliud nomen sub celo, in quo oportet nos salvos fieri, nisi in hoc nomine Jhesu.* Unde dicit apostolus [Rom. 10,13]: *Quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit.*

Et ideo circa ista duo versatur hodierna festivitas. Unum circa circumscisionem humanitatis, 2m vero circa nominis sui publicacionem. Circumsciditur igitur Jhesus tamquam verus homo et tamquam verus filius Dei. Nota circumscisio Christi hodie proponitur ad imitacionem, nominis publicacio ad vocacionem. Sicut discipuli Domini fecerunt, cum essent in timore positi a tempestate maris, dixerunt [Mat. 8,25]: *Domine, salva nos, perimus*, similiter et nos invocare debemus nomen Domini Jhesu Christi in omnibus necessitatibus nostris. Exemplo Christi circumscidi debemus, ne

[120] Almost the same sermon f. 143v. Both from Peregrinus Polonus

mala, vana et turpia loquamur. Eciam in toto corde circumscidi debemus, ne peccemus malis cogitacionibus **[309v:]** et illicitis operibus. Certe si circumscidimur, dabuntur nobis premia magna sc. gaudia regni celestis.

Sequitur $2^{m}$ sc. de imposicione nominis Christi, quod est Jhesus, quia sic vocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur. Illud autem nomen secundum prophetam venit de longinquo, hoc est de remotis partibus, quia illud nomen Jhesus processit de ore patris. Et quod ibi fuit ab inicio, hoc hodie hic factum est per imposicionem nostri corporis. Est autem hoc nomen Jhesus valde utile, primo quia nos in adversis fortificat et in omnibus tribulacionibus nostris consoletur.

De hoc habemus exemplum in beato Patricio [121]. Cum enim beatus Patricius in Hibernia predicaret, rogavit Dominum ut ostenderet ei aliquod signum, per quod homines illius provincie territi peniterent. Et ecce puteus magnus apparuit, et revelatum est ei quod ibi esset locus purgatorii. Siquis vellet, descenderet, et quod alia pena sibi non restaret. Hoc audientes multi ingrediebantur pro delictis eorum. Et erat ibi vir nobilis nomine Nicolaus, qui peccata multa commiserat, et ipse in puteum illum descendit, ut penitenciam pro peccatis suis ageret. Qui invenit ibi oratorium albis monachis plenum, qui sibi dixerunt: Constans esto, quia multa temptamenta te sustinere oportet. Cum ille inquireret, quid remedium contra hoc habere posset, qui dixerunt ei: Cum te penis affligi senseris, clama: Domine Jhesu Christe, miserere mei.

Sed cum ille paulatim processisset ab eis, subito demones tamquam bestie occurrunt ei mugientes et clamantes contra eum. Sed cum ille perterritus staret, recordatus est consilii et dixit: Domine Jhesu Christe, miserere mei et adjuva me. Sic statim bestie evanuerunt ab eo. Et abinde progrediens venit ad magnum ignem, in quem cum per demones fuisset projectus, clamavit statim: Domine Jhesu Christe etc., et sic statim ignis extinctus est. Et procedens inde vidit unum puteum profundum, de quo exibat fumus, fetor et clamor magnus. Sed cum in istum projectus fuisset, clamavit ut prius: Domine, Jhesu **[310r:]** Christe, et liberatus est.

Tandem unum pontem vidit valde strictum supra magnum stagnum in lacum positum, quem cum magno terrore deberet transire et non potuit. Tandem pedem posuit supra pontem et ad quemlibet passum dixit: Domine Jhesu Christe etc., quousque ultra pontem pervenit. Venit ad alium pulchrum locum, in quo stabat varietas diversorum florum, a quibus mira [odorata] procedebant, et vidit ii juvenes pulchros amictos vestibus albis, qui ipsum ad unam pulchram civitatem duxerunt, que tota munita erat ex

[121] This story also f. 143v

lapidibus preciosis, et dixerunt istam civitatem esse paradisum. Et postremo ad vitam rediit, post xxx[a] dies obiit. Et anima ejus deducta est ab angelis ad eternum paradisum in conspectu Domini et omnium sanctorum.

Ecce quale et quantum est nomen Domini nostri Jhesu Christi. Certe hoc fuit magnum novum, quod Dominus hodie suum sanctum nomen contulit ad salutem. Quia dicit apostolus [Rom. 10,13]: *Quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Rogemus Dominum nostrum Jhesum Christum ut propter suam circumscisionem corda et corpora nostra circumscidat a peccatis, ut post hanc vitam eterna gaudia possideamus.

## De epiphania sermo 4[us]

*Cum natus esset Jhesus etc.* [Mat. 2,1]. Nota quod Dominus natus fuit in Bethlehem. Oriebatur stella in Oriente, que splendebat per totum mundum. Tunc erant tres reges in Oriente. Primus vocatur Jaspar, 2[us] Melchior, 3[us] Balthazar. Horum quivis erat in singulari regione, et legerunt in libris, quos scripserat rex et propheta Balaam, quod deberet nasci in terra Israel puer, qui fieret dominus totius mundi, et tunc deberet stella oriri, que per totum mundum splenderet. Cum illi 3[s] reges stellam viderunt, sciverunt quod puer natus esset, de quo scripserat Balaam. Dum patriam exiverunt, nullus de alio sciebat, sed in via Domino volente convenerunt et perrexerunt ad Jherusalem ad Herodem et inquirebant eum dicentes [Mat. 2,2]: *Ubi est qui natus est rex judeorum? Vidimus stellam ejus in Oriente.*

Cum autem Herodes hoc audivit, tristis factus est et fecit convocari omnes sapientiores, qui erant in civitate, et quesivit si scriptum esset ubi nasceretur rex judeorum. Qui dixerunt quod in Bethlehem nasci deberet. Cum hoc audivit, clam vocavit ad se reges et precepit eis diligenter inquirere de puero et nunciari sibi, dicens se velle adorare eum.

Cum autem magi loquerentur cum Herode, tunc non viderunt stellam, sed cum ab Herode discesserunt, tunc iterum viderunt stellam, et duxit eos ab Jherusalem in Bethlehem in domum, ubi puer erat, et super domum gradum fixit. Tunc tres reges intraverunt et adoraverunt eum, facta autem oracione optulerunt ei munera, aurum, thus et mirram. In auro regis potenciam, in thure Deum verum, in mirra dominicam sepulturam considera.

Nota. Mistice, fratres karissimi, isti $3^{s}$ reges qui venerunt Deum querere, significant genus humanum, quod quotidie debet querere Jhesum per contricionem, confessionem et satisfaccionem et alia bona opera. Stella que duxit eos, est spiritus sanctus, qui ducit nos ad virtutem. Et quando venimus ad Herodem sc. ad diabolum, tunc abscondit se stella. Unde Herodes significat diabolum, quia quando revertimur ad opera diaboli, tunc abscondit se a nobis spiritus sanctus. Et quando magi descenderunt ab Herode, tunc antecedebat eos stella et duxit eos ad presepe.

Hoc intelligitur sic: Quando revertamur ad Dominum per confessionem, statim appareat nobis **[311r:]** spiritus sanctus et ducit nos ad presepe sc. ad ecclesiam, et ibi offeramus Domino tria munera, sicut isti tres reges fecerunt. Nota quilibet christianus tenetur offerre Deo tria ex hiis, que habet, et ista tria habet de Deo sc. corpus, animam et substanciam. De corpore debet offerre opera penitencie et castigacionis, de anima opera devote oracionis, de substancia opera misericordie.

Primo debet offerre de corpore opera penitencie et castigacionis, quod notatur in mirra, quia secundum Isidorum est herba amara, et corpus cum ea unctum servatur a putredine. Ita caro nostra afflicta per labores, vigilias, jejunia non coinquinat animam. [Galat 5,17:] *Caro enim concupiscit adversus animam et spiritum et spiritus adversus carnem.* Ideo restringenda est caro ut ancilla, ne dominam suam sc. animam sternat sub pedibus suis. Apostolus [Rom. 8,13]: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.*

$2^{o}$ de anima debet offerre opera devote oracionis, et hoc notatur in thure. Sicut enim non redolet, nisi apponitur igni, sic oracio nostra non ascendit in conspectum Dei, nisi ex puro corde et mente, quia peccatum potest impedire oracionem ne veniat ad Deum. Unde Job [Thren. 3,44]: *Opposuisti nubem tibi, ne transeat oracio.* Sicut nubes interponitur soli, nobis radios subtrahit solares ne nos calefaciant, sic ergo peccatum impedit oracionem ne veniat ad Deum. Unde bona oracio est scala ad celum. Jac. [5,16]: *Multum valet oracio justi assidua.* $3^{o}$ debet offerre ad honorem Dei de substancia opera pietatis, et hoc notatur in auro. Sicut aurum preest omni metallo preciositate, sic opera misericordie inter alias virtutes, quia sicut aqua extinguit ignem etc.

Unde Thobias docuit filium suum dicens [Thob. 4,7]: *Ex substancia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere, ne avertatur a te facies Domini.* Nota eciam in auro, fratres, ostenditur captivitatis nostre preciosa redempcio, in thure autem demoniorum

supersticio cessatura et futurus vite vere cultus aperitur. In mirra vero, quia exanimata corpora solent conservari, prefiguratur nostre carnis reparacio.

Nota. Sequitur **[311v:]** quomodo tam cito venerunt reges, ut ipsa die nativitatis primo stella visa sit eis, et de tam remotis partibus infra xiii dies Jherusalem venire potuissent itinere terrestri. Duplex est sicut dicunt quidam, quod dromedarius est animal minus camelo et tamen velocius et tantum currit uno die quantum equus tribus diebus. Dicitur a dromos, quod est cursus, et areis[?] virtus. Alii dicunt quod ante nativitatem eis stella apparuit. Si queritur quo devenit ista stella, duplex est, sicut quidam dicunt quod cecidit in puteum et adhuc apparet quibusdam, sed non nisi virginibus. Alii dicunt quod redacta est in primordialem materiam.

Nota quod isti tres reges non venerunt soli, sed in comitatu principum, ut volunt quidam. Nota quod commendantur hiis verbis, primo quia $3^s$ reges querunt unum puerum et cum magna devocione venerunt de longinquis partibus sc. ab Oriente. Locus autem iste, de quo fuerunt, volunt quidam sancti quod fuit via anni unius ab Oriente in Jherusalem, et tamen illam viam transierunt in xiii diebus. Unde Isaias predixit [Is. 60,4]: *Filii* sc. tres reges *delonge venerunt* ad querendum te.

$2^o$ apparet eorum devocio in hoc, quod fuerunt reges et potentes, ut in epistola [Eph. 4,7]: *Et ambulabant gentes etc.* Si fuerunt subditi, satis fecissent. Nunc fuerunt eciam sapientes, quia magus interpretatur quasi sapiens. Fuerunt eciam maximi philosophi, fuerunt eciam divites, quia fuerunt ab Oriente, in qua terra sicut dicit Gregorius, orientales putas esse ditiores. Non igitur traxit eos timor ad querendum puerum, quia fuerunt potentes. Nec spes pecunie quia fuerunt divites. Quid tunc? Certe nihil aliud nisi sola devocio. Unde dicit quidam sanctus: Devoto et concepto bone voluntatis mens prohibere non potest, quoniam se ostendit manifestis signis. Ecce devocionem, quam habuerunt in corde, apparet in opere. Gregorius: Probacio dileccionis exhibicio est operis.

Sicut isti $3^s$ reges commendantur primo ex devocione, $2^o$ commendantur a dileccione, quia quesierunt unum puerum sine retardacione. Non enim exspectaverunt, donec cresceret, **[312r:]** vel scirent ubi esset iste puer. Unde informant nos in hoc quod omnis, qui amiserat Christum, querat eum sine tardacione. Sap. [Eccli. 15,8]: *Ne tardas converti ad Dominum Deum tuum, et ne differas de die in diem*. Ostenderunt eciam suam dileccionem in laboris promptitudine, quia proni fuerunt eum ubique querere. Ideo dixerunt: Ubi est qui natus est, quasi dicerent: Parati sumus eum ubique querere, donec eum inveniamus.

Ideo nos omnes docti sumus, quod non debemus cessare omni vita nostra eum querere, donec inveniamus eum post mortem. Bernardus: Numquam fuit bonus, quin vult fieri melior, quasi diceret: Homo non debet cessare, quando vivit, sed semper debet eum querere. Ostenderunt eciam eorum dileccionem in hoc quod dixerunt regem judeorum, quod judei noluerunt, nec Herodes.

3° commendantur isti reges a ductore, qui eos duxit ad querendum puerum. Fuit enim una stella, et eciam habuerunt celestem ductorem. 4° commendantur isti reges, quod querebant Deum propter adorare eum. Hec est justa causa et sancta ad querendum Deum, primo quia adoraverunt eum reverenter quia procidentes ad pedes ejus. Signum magne reverencie fuit, quia prociderunt coram uno puero in stabulo. Et hoc instruuntur homines, quod quanto majores sunt tanto magis se humilient et precipue coram Deo.

2° adoraverunt eum efficaciter, quia optulerunt ei munera, et hoc instruimur, quod debemus Deo offerre munera de bonis nostris, quamvis Deus non indiget, tamen ut nostram devocionem videat. 3° adoraverunt eum prudenter, quia thesaurum quod offerre voluerunt, nemini ostendere voluerunt, nec Herodi, nec alteri. Sed intraverunt ad Deum apertis thesauris. Tantum de illo.

Exemplum de 3$^{bus}$ regibus et hoc est primum. Rex Balthazar habens ante palacium suum arborem infructuosam, ex qua in nocte nativitatis Christi in medio arboris nascitur rufa rosa habens circumquam latitudinem unius palme, ex qua rosa volavit alba columba, que clamans magna voce humana: Gracias ago Deo meo, quia in ista nocte natus est rex omnium regum ex utero virginis Marie. Audiens rex territus est timore magno. Consurgens vidit novam stellam, et ex visione illius stelle cognovit columbam verum dixisse. Assumens secum aurum, thus et mirram ascenso suo dromedario sequitur stellam etc.

**[312v:]** Melchior rex. Uxor ejus erat pregnans et in nocte nativitatis Christi peperit filium, quem obstetrices acceperunt ad lavandum, qui stetit erectus in pelium per unam integram horam. Et expansis manibus ad celum voce magna clamans dixit: Gracias ago Deo meo, quia natus sum ante regem omnium regum. Quem clamorem pater audiens stupefactus exiens vidit novam stellam. Sicut audivit a suo proprio filio et in stella cognovit, quod filius Dei erat natus, assumens secum aurum, thus et mirram et stellam sequebatur, et inveniens duos reges sc. Jaspar et Balthazar, qui mutuo mirantes suas visiones in Israel aspicientes stellam sequebantur eam.

Jaspar rex. Johannes Damascenus scribit de rege Jaspar, quod habuit arborem infructuosam ante palacium suum stantem. In summitate illius arboris nidificavit strucius, avis quedam sic dictus, que avis sedens et habens sub se ii ova, ex quibus procreavit in nocte nativitatis Christi duo a nimalia sc. leonem et agnum, que erectis suis capitibus extra nidum clamaverunt alta voce in specie humana: Gracias agimus Deo nostro, quia in ista nocte natus est rex regum omnium, qui est filius Marie. Audiens [rex] hoc consurgit timore plenus. Quia magnus astronomus fuit, vidit stellam novam, assumpsit aurum, thus et mirram, ascenso suo dromedario secutus est stellam.

## De purificacione Marie sermo 4^us^

*Surge, illuminare, Jherusalem, quia venit lumen tuum.* Is. xl [60,1]. Ex quo tota ecclesia festum luminum celebrat, et Christus, qui est verum lumen, hodie est in templo representatus, ideo verba proposita convenienter possunt exponi de hodierna festivitate, in quibus tria facit. Primo hortatur Jherusalem sc. quamlibet fidelem animam, ut deserit statum culpe, cum dicit: Surge. 2^o^ monet ut preparet se ad donum divine gracie, cum dicit: Illuminare. 3^o^ subjungit racionem, cum dicit: Quia venit lumen tuum, sc. Christus, qui est lumen tenebras culpe de corde expellens et splendorem gracie infundens.

Nota quod Christus comparatur lumini propter 4^or^ causas. Primo quia Christus illuminat in tenebris sedentes, 2^o^ quia dirigit in via hujus mundi ambulantes, 3^o^ quia abscondita manifestat, 4^o^ quia in celo omnibus sanctis ad videndum est delectabilis. Primo dico quod illuminat in tenebris sedentes sc. peccatores qui tenebras exteriores patiuntur, et ideo de facili errant. Statum suum, quam periculosum sit, non recognoscunt, et quod bonum sit non intelligunt. Ps. [81,5]: *Nescierunt, neque intellexerunt, ambulant in tenebris.* Istos vult Christus illuminare, si peccata volunt postponere.

Unde dicit Joh. [8,12]: *Ego sum lux hujus mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen* vite. In hujus signum fideles hodie in templo tenent lumina in manibus ad signandum, quod Christus fuit hodie in templo representatus, qui [Joh. 1,9] *est lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.* Unde legitur Luc. ii^o^

[2,27-28], de Simeone, quod hodie *in spiritu venit in templum et accepit puerum Jhesum in ulnas suas et benedixit Deum dicens: Nunc dimittis etc*.

Audi, o peccator christiane, vis hodie illuminari a Christo, fac sicut fecit sanctus Simeon. Venias in templum in spiritu devocionis et accipe eum in ulnas tuas, sc. amplecte eum brachiis bone operacionis et benedic Deum devote oracionis, et illuminabit te lumine sue misericordie. Sed heu, contrarie quidam faciunt, qui hodie veniunt in templum non in spiritu devocionis, sed in spiritu **[313v:]** dissolucionis, qui in ecclesia cum candelis benedictis multas levitates exercent. Nam crines capitis eorum, qui penes ipsos stant sive resident, succendunt, et si versa vice crines eorum succensi fuerint, tunc candelas amoris cum furore rapiunt et confringunt.

Et sic hodie diabolo ludum in ecclesia faciunt et Deum graviter offendunt. Nec mirum, quia candelas, quas sacerdos benedixit ad Dei honorem et demonum confusionem, ipsi Deo contumeliam faciunt et demonibus honorem impendunt. Melius esset talibus, quod domi manerent et hodie missam non audirent, quam quod sunt in ecclesia et tales dissoluciones movent, per quas Deus graviter offenditur, et sacerdos interdum in altari multum impeditur. Vis scire, quam graviter Deus de talibus dissolucionibus, que in ecclesia fiunt, offenditur? Audi, legitur Joh. 2°[,14-16] quod Christus quadam vice venit in Jherusalem in templo et *invenit vendentes in templo oves et boves et columbas, et cum hoc fecissent, quasi flagellum fecit de funiculis, omnes ejecit de templo et dixit: Nolite facere domum patris mei domum negociacionis.*

Si Christus tam graviter offendebatur ab hiis qui in templo, quo offerabatur sanguis hircorum et vitulorum, vendebant ista que erant offerenda in honorem Dei, multo magis offenderetur, qui in templo suo, in quo corpus suum et sanguis quotidie offertur, tantas dissoluciones movent ac si sederent in taberna. Preterea veniunt ad templum et Christum portant in brachiis sicut falsi christiani, qui fidem habent, operibus carent. De quibus dicitur Joh. i [Tit. 1,16]: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, cum sint abominati et incredibiles et ad omne bonum reprobi.* Vis hodie illuminari a Christo, pone eum inter brachia bone operacionis, ut quidquid boni feceris ad ejus honorem facias.

Audi ipsum dicentem cum Gregorio [Cant. 8,6:] *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signacula super brachia tua*. Si posueris eum inter brachia tue operacionis, ipse ponet te inter brachia sue miseracionis, ut posses dicere de eo Cant. 2°[,6]: *Leva ejus sub capite meo etc*. **[314r:]** Levam accipe misericordiamChristi, qua bonos in via

sustentat, ne in peccatum corruant per dexteram manum Christi qua beatos in patria amplectitur, ut ei eternaliter cohereant. Insuper quidam venientes in templum Deum non benedicunt sicut illi, qui in templo oracionibus non vacent, sed collacionibus et detraccionibus, non attendentes illud Is. [56,7]: *Domus mea domus etc.*

2º comparatur Christus lumini, quia dirigit in via hujus mundi ambulantes. Job [29,3]: S*plendida lucerna ejus super caput meum et lumen ejus.* Tunc lucerna super caput resplendet, quando gracia Christi mentem hominis illuminat. Tunc vere homo ad lumen in tenebris ambulat, quando Christus hominem in tenebris hujus mundi deducit, ne cadat. Ideo dicit propheta [Ps. 42,3]: *Emitte lucem tuam.* Considera quam necessarium sit lumen illud tibi in hoc mundo, ubi ambulas super tenebras ignorancie per desertum presentis miserie, in quo mundo sunt multa devia sc. multimode errande et multimodi seductores sc. demones et mali homines ad peccata trahentes.

Sed noli desperare. Si Christum secutus fueris, hec omnia mala non timebis. Ps. [22,4]: *Si ambulavero in medio umbre mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*. Sed si Christus tecum fuerit, non oportet te timere nec tenebras, quia Christus lux est. Is. ixº [9,2]: *Populus, qui est in tenebris, vidit lucem magnam.* Nec devia, quia Christus est via. Joh. 14º[,6]: *Ego sum via, veritas et vita*. Nec seductores oportet te timere, quia Christus ductor est. Prov. 4[,11]: *Viam sapiencie monstrabo tibi et ducam te per semitas equitatis.*

Hunc Christum queras hodie in templo et ibi invenias eum. Hodie impletur quod legitur Malachie 3º[,1]: *Veniet ad templum suum dominator Dominus, quem vos queritis.* Veni ergo ad templum, quere ibi Christum, ora devote et invoca virginem matrem, ut tibi presentet filium suum spiritualiter, quem presentavit hodie Simeoni corporaliter. Ve illis omnibus qui Christum, qui est dirigens per devocionem, non querunt sed ab eo peccando recedunt et per devia ad infernum ambulant. Hii in inferno recognoscant se errasse et dicent illud **[314v:]** Sap. v [5,6]: *Erravimus a via veritatis, et justicie lumen non luxit nobis.*

3º Christus comparatur lumini, quia absconditum in judicio manifestat. Eph. vº [5,13]: *Omnia que arguuntur* et arguenda sunt sc. peccata, *a lumine manifestantur* sc. a Christo in die judicii. Ideo dicitur Cor. [1.Cor. 4,5]: *Nolite ante tempus judicare*. Abscondita tenebrarum sunt peccata, que fiunt in tenebris et in occulto, que interdum adeo terribilia sunt, quod turpe est dicere. Eph. vº [5,12]: *Que in occulto fiunt, turpe est dicere.*

Nota omnia peccata qualitercunque perpetrata sunt, in die judicii manifestantur toti mundo. Quid facies, peccator, in die judicii? Modo non vis in secreto sacerdoti dicere peccata tua, et tunc manifestantur omnibus hominibus et demonibus. 2$^{o}$ Cor. [5,10]: *Omnes manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum.* Bernardus: Ve mihi misero, cum venerit dies judicii, et aperti erunt libri, in quibus omnes cogitaciones mee Domino presente recitabuntur. Tunc dimisso capite pre confusione male consciencie coram Domino in judicio trepidus astabo, utpote anxius commemorans scelerum commissorum meorum, cum dicetur: Ecce homo, ecce opera ejus. Vis securus esse in judicio, frequenter presenti honora Christum in templo hodie presentatum, ut invenies eum in die novissimo judicem benignum.

4$^{o}$ Christus comparatur lumini, quia omnibus sanctis ad videndum est delectabilis. Eccles. xi [11,7]: *Dulce lumen et delectabile videre oculis solem.* Esther v$^{o}$ [15,17]: *Valde mirabilis es, et facies tua plena graciarum.* Istud sanctus Simeon bene scivit, ideo hodie accipiens puerum in manibus oravit pro morte dicens [Luc. 2,29]: *Nunc dimittis etc.* Desideravit enim mori et ad limbum descendere et ibi usque ad passionem Christi manere, ut post mortem eternaliter faciem Christi videre posset.

Quis potest exprimere leticiam et delectacionem, quam habent sancti de intuitu faciei Christi. Ps. [15,11]: *Adimples me leticia vultus etc.* Tam delectabilis est ista facies, quod sancti illi, qui viderunt eam per mille annos, ita adhuc delectantur sicut primo, quando inceperunt eam videre. Quicunque desiderat hanc faciem videre, debet cor suum mundum custodire. Mat. v$^{o}$ [5,8]: *Beati mundo corde etc.* Videamus hic Deum per fidem perfectam, ut in celo mereamur videre per visionem apertam. Quod nobis concedat etc.

## In die pasche sermo 5$^{us}$

*Jhesum queritis Nazarenum etc.* [Marc. 16,6]. Nota hodie est festum omnium festivitatum sc. resurreccionis Domini, qui valde mane surrexit propter nostram sanctificacionem vel utilitatem, ideo ut nos mane surgamus a peccatis. Tradunt evangeliste quod postquam Joseph Dominum sepelivit, advolvit lapidem magnum ad ostium monumenti. Non fuit iste Joseph, qui putabatur pater Christi, sed alter quidam ab Arimathia civitate

Judee. Dicunt eciam evangeliste quod mulieres sancte, que Dominum secute erant viventem et ministraverunt ei, venerunt ad monumentum Domini desiderantes videre mortuum, quem vivum dilexerunt.

Attulerunt secum aromata preciosa volentes ungere corpus Jhesu, ut illud diutius incorruptum permaneret. Venerunt in primo mane dominice diei $2^{o}$ sc. die post sabbatum. In sabbato non venerunt, quia tunc non licebat eis operari. Cum autem venirent, timuerunt sepulchrum adhuc esse clausum lapide, ne possent accedere ad corpus Christi. Venientes autem inter se dicebant [Marc. 16,3]: *Quis revolvet nobis lapidem etc.* Et viderunt lapidem sublatum. Quomodo autem sublatum fuerit, tradit evangelista dicens [Mat. 28,2]: *Angelus Domini descendit de celo etc.*

Nota hodie cum mulieribus istis debemus querere Christum, et multi querunt, qui hodie sacramentum sui corporis percipiunt, quibus eciam dicitur: Jhesum quem queritis. Nota autem quod tria genera hominum Jhesum querunt. Primi querunt eum fraudolenter et illorum tria sunt genera. Primi heretici qui negant corpus Christi in altari ut manichei. $2^{i}$ sunt qui cum sacramento faciunt incantaciones, de quibus Deus inhonoratur. Merito eos deglutire deberet terra, quia Dominum pedibus conculcant. Unde Ps. [55,3]: *Conculcaverunt me inimici mei.*

$3^{ii}$ sunt qui communicare nolunt dicentes: Melius est dimittere quam in peccatis communicare. Respondeo tibi: Sic te debes habere ut possis communicare secundum illam decretam: Omnis utriusque sexus suscipiet reverenter ad minus in pascha eucaristie sacramentum, nisi forte **[315v:]** de proprii sacerdotis consilio ob aliquam racionabilem causam ad tempus abduxerit abstinendum. Alioquin ab ingressu ecclesie arceatur et moriens ecclesiastica careat sepultura. Unde de talibus nolentibus dicitur [Luc. 14,24]: *Et non gustabunt cenam meam.*

$2^{i}$ querunt eum negligenter sc. qui cum negligencia faciunt confessionem, et fit $3^{bus}$ modis. Primo injustas res possidendo, $2^{o}$ inimicicias habendo, $3^{o}$ iterum peccare volendo. Hii omnes negligenter querunt et communicant ad suam dampnacionem, non ut peccatum minuatur, sed ut augeatur. Hii accipiunt corpus Christi indecenter, ut Judas fecit. Heu, quod multi sic hodie accipiunt, cum Dominus inhibeat dicens Mat. [7,6]: *Nolite sanctum dare canibus*. O peccator, assimilaris cani et porco. Unde [Mat. 15,26]: *Non est bonum sumere panem filiorum etc.* sc. malis christianis. Et quia in lutum illud projicitur quod in os peccatoris mittitur, ideo non minus est in os pollutum quam in lutum mittere filium Dei.

3o quidam querunt Deum diligenter, sc. qui cum diligencia faciunt confessionem et diligenciam adhibent, ut pure communicent. Isti debent habere diligenciam harum dominarum, que Dominum mane quesierunt, de quibus dicitur quod preparaverunt se et valde mane surrexerunt. Prima fuit Maria Jacobi. Unde Jacob interpretatur supprelator. Ita tu debes supprelatare vicia vera penitencia, quia iste vere querit, qui vere penitet. Is. [55,6-7]: *Querite Dominum etc.* Idem: *Derelinquat impius viam suam.*

2a fuit Maria Salomee. Unde Salomee interpretatur pacifica. Ita tu debes habere pacem cum omnibus. 3a fuit Maria Magdalena, interpretatur turris. Ita tu debes esse turris sc. fortis dileccionis ad Deum. Et isti accipiunt corpus Domini. Cant. [5,1]: *Comedite, amici, et bibite et inebriamini.* Ideo rogemus Dominum ut sicut hodie resurrexit a mortuis, ita nos resurgamus a peccatis. Et tantum de illo sermone.

Item nota[122] quare non exspectavit cum aliis resurgere, sc. quando fiet generalis resurreccio. Hoc fecit propter ii raciones, primo propter corporis dignitatem. Cum enim illud erat dignissimum et deificatum, non fuit decens ut tamdiu sub pulvere jaceret. Ps. [15,10]: *Non dabis sanctum tuum* sc. corpus sanctificatum *videre corrupcionem.* 2o propter fidei firmitatem. Si enim tunc non resurrexisset, fides perisset, nec verum Deum aliquis eum credidisset, quod patet in passione ejus. Excepta beata virgine omnes fidem amiserant, sed cognita resurreccione ipsam recuperaverunt.

## In exaltacione sancte crucis[123]

*Ego Dominus exaltavi lignum humile.* Ezech. xvii [17,24]. Unde hoc verbum propheticum materiam signat hodierne festivitatis, in qua ecclesia agit exaltacionem sancte crucis. In premissis verbis duo notantur. Primo crucis humilitas cum dicit: Lignum humile. 2o ejusdem humilitas [sublimitas?] cum dicit: Ego Dominus exaltavi. Unde crux Christi dicitur humile lignum, quia despecto et vilo loco deputatum fuit sc. patibulo. Unde in [veteri] lege [Deut. 21,23]: *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Sed ecce hoc lignum humile sublimavit Dominus tripliciter, primo in passione, 2o in invencione, 3o in exaltacione. In passione per supplicium, in

[122] This passage nota ita ... recuperaverunt also f.280v.
[123] From Martinus Polonus: Sermones de tempore et de sanctis no. 280

invencione per miraculum, in exaltacione per triumphum. Exaltavit enim crucem tempore passionis. Unde dicitur Joh. [19,17]: *Bajulans sibi crucem processit ad locum passionis.* Multum per hoc sublimata fuit crux Christi, quia creator omnium super humeros suos eam tulit, sed multo magis quia in ipsa suspendi voluit.

2º exaltavit lignum humile in invencione per miraculum. Nam terra mota est, et qui fuerat mortuus, cum super crucem Domini positus fuisset ab Helena, resurrexit, et pro tanto dicitur in collecta: Deus qui in preclara etc. Sic Dominus exaltavit lignum in invencione, quia tunc infirmi curati sunt. 3º exaltavit lignum humile per triumphum. Legitur enim in ecclesiastica historia[124], quod Cosdras rex persarum, cum orientales partes subjugasset et ecclesias destruxisset, ad sepulchrum Domini veniens crucem Domini secum asportavit.

Contra quem Heraclius imperator veniens et in discrimine positus adjutorium sancte crucis invocans, vicit Cosdram et in turri aureo sedentem occidit. Et cruce Domini accepta totam terram orientalem virtute ejusdem crucis recuperavit, et hec est causa hodierne solempnitatis sc. gloriosus christianorum per ipsam crucem triumphus. Nec mirum, si ipsa crux tantum triumphum efficit, cum eciam ipsius figura crucis sive signum adversas partes superat et devincit.

**[316v:] Exempla de Domina**.

Unde legitur quod, cum Constantinus contra Maximum tyrannum triumphare debuisset, cogitans quid ageret, aspiciens in celum vidit signum crucis et angelos sibi dicentes: In hoc vinces, dummodo hoc signum habeas in vexillo imperiali. Quod et fecit, nam se fronte signans eciam manu dextra signum crucis gestans adversarium suum superavit. Et non solum hoc signum de visibilibus adversariis, sed eciam de invisibilibus sc. demonibus triumphavit.

Unde Cassiodorus inquerens quare Christus mortem per crucem elegit, dicit: Si ferro truncatus aut ignibus sumptus aut lapidibus obrutus aut fluctibus submersus fuisset, quo signo depelleretur diabolus, quo vexillo christianorum frons tutaretur aut tuta mansisset?

In hujus figura dictum est Ezech. [9,6]: *Super quem inveneritis thau, non occidatis eum.* Et in Apoc. [9,3-4] precipitur locustis, qui habent super se regem abissi, ut non ledant *nisi illos, qui [non] habent signum Dei.* Unde Gregorius refert in dialogo de judeo[125], qui dormiens in domo

[124] Also f. 117v

[125] The same story f. 118Ar

deserta, postquam evigilavit, vidit domum plenam demonibus, et compulsus est, cruce se signavit, et per hoc non solum demones evasit, sed eciam baptizatus est et ad vitam eternam pervenit. Tantum de illo sermone.

Nota miraculum. Legitur de quodam viro qui deberet equitare pro suo negocio. Obviaverunt inimici sui ut vellent eum interficere, qui dum deberet fugere, facta est vox ad eum dicens: Ne fuge, sed pugna fortiter. Sancta crux debet te adjuvare, quam hodie fecisti pro te. Pervertit se et sancta crux liberavit eum. Sic et quilibet homo debet facere sanctam crucem pro se, ne cadat in temptacionem diaboli.

Versus: Pedes cedrus, medium cipressus, oliva supremum, palma transversale fuit in cruce Domini lignum.

Exemplum de quodam papa per sanctum Andream apostolum liberatum[126] De sancto Andrea solempne miraculum Dei de passionali.

Episcopus quidam religiosam agens vitam beatum Andream inter ceteros et supra ceteros sanctos in veneracione habebat, ita quod in cunctis operibus suis hunc semper titulum preponebat: Ad honorem Dei et beati Andree. Invidens igitur viro sancto hostis antiquus ad eum decipiendum tota calliditate se contulit, seque in formam mulieris pulcherrime transformavit. Venit ergo ad palacium episcopi asserens se velle confiteri eidem. Mandat episcopus ut suo penitenciali confiteatur, cui plenitudinem tradiderit potestatis. Renuit illa quod nulli homini nisi sibi secreta sue consciencie revelabat. Sicque victus episcopus eam ad se venire precepit. Cui illa: Obsecro, domine, miserere mei. Ego enim in annis puellaribus, ut cernitis, constituta et a puericia delicate nutrita, necnon et regia stirpe progenita. Huc in peregrino habitu sola veni. Nam pater meus rex utique valde potens cuidam magno principi me volebat in conjugio sociare.

Cui respondi quod omnem thorum abominer maritalem, quia virginitatem meam Christo in perpetuum dedicavi, et ideo numquam possum in carnalem copulam consentire. Denique sic arctata quod oportebat me aut ejus voluntati obedire aut certe diversa subire supplicia, fugam petii latenter magis eligens exulare quam sponso meo fidem infringere. Audiens vero vestre sanctitatis preconium sub alas vestre proteccionis confugi sperans me apud vos locum reperire quietis, ubi

[126]From Jacobus de Voragine:Legenda aurea

possim contemplacionis carpere secreta silencia et presentis vite vitare naufragia et perturbaciones mundi fugere perstrepentis.

Admirans ergo in eadem episcopus nobilitatem generis, pulchritudinem corporis, tam immensum fervorem et eloquencie tante venustatem, placida et benigna voce respondit: Esto secura, filia, ne formides, quia ille ob cujus amorem te et tuos et tua tam viriliter contempsisti, tibi ob hoc et in presenti cumulum gracie et in futuro plenitudinem glorie largitur. Sed et ego servus ejus me et mea tibi offero. Eliges quid ubi tibi placuerit mansionem. Volo autem ut hodie mecum prandere debeas. **[317v:]** Cui illa: Noli, inquit, pater, noli de hac re me rogare, ne forte aliqua mala suspicio proveniret, et fame nostre denigracionem paterentur aliquam. Ad quam episcopus dixit: Plures erimus et non soli, et ideo nullum male suspicionis scrupulum in aliquo poterit generari.

Venientes itaque ad mensam episcopus et ista ex opposito consederunt ceteris residentibus hinc et inde. Intendit in eam crebro episcopus ejusque faciem non desinit intueri et pulchritudinem admirari. Sicque dum oculus figitur, animus sauciatur. Et dum faciem ejus non desinit intueri, antiquus hostis cor ejus gravi jaculo vulneravit. Perpendit de hoc ipse diabolus, et pulchritudinem suam cepit magis ac magis augere.

Jam quod episcopus proximus erat consensui, ut eam de illicito opere attemptaret, quando possibilitas se offerret, tunc quidam peregrinus subito venit ad ostium crebris ictibus magnisque clamoribus sibi postulans aperiri. Cumque sibi nollent aperire, et ille clamoribus et ictibus nimis eis fieret importunus, interrogabat episcopus mulierem, si ingressum illius peregrini hominis acceptaret. Cui illa: Proponatur sibi aliqua questio satis gravis, quam si enodare sciverit, admittatur. Sin autem nescierit, tamquam inscius et indignus ab episcopi presencia repellatur. Favent omnes ejus sentencie, et quis sufficiens esset hanc questionem proponere suscitaretur.

Cumque nullus sufficiens inveniretur, episcopus dixit: Quis enim nostrum sufficiens est ad hoc quam vos, o domina, que ceteros nos et eloquencia preceditis et sapiencia nobis omnibus amplius rutilatis. Vos igitur hanc proponite questionem. Tunc illa dixit: Interrogetur, quod est majus miraculum, quod Deus unquam fecerit in parva re. Interrogatus de hoc peregrinus per nuncium dixit: Diversitas et excellencia facierum. Inter tot enim homines, qui fuerunt ab inicio mundi et usque ad finem futuri, duo reperiri non possent, quorum facies per omnia similes essent. In ipsa quoque tam minima facie Deus omnes sensus hominum collocavit.

Audiens omnes ejus reponsionem admirantes dixerunt: Vera et optima solucio questionis.

Tunc mulier ait: 2[a] questio sibi proponitur gravior, **[318r:]** in qua melius possumus sapienciam ejus experiri. Queratur ab eo ubi terra sit altior omni celo. Percunctatus de hoc peregrinus respondit: In celo empyreo, ubi residet corpus Christi. Corpus enim Christi, quod est altius omni celo, est de carne nostra formatum. Porro caro nostra quedam terrena substancia est. Cum igitur corpus Christi super omnes celos sit et de carne nostra originem duxerit, caro enim nostra de terra sit condita, constat ut ubi corpus Christi residet, ibi procul dubio terra sit altior celo. Refert nuncius, que responderat peregrinus. Et ecce omnes responsionem ejus mirabiliter approbant et magnifice sapienciam ejus laudant.

Tunc iterum illa dixit: Fiat ei 3[a] questio gravissima et ad solvendum difficilis et obscura, et sic ejus sapiencia comprobetur, et dignus sit, qui ad mensam episcopi merito admittatur. Queratur igitur ab eo, quantum spacii sit a terra usque ad celum. Adquisitus de hoc peregrinus nuncio dixit: Vade ad eum, qui te misit ad me, et de hoc diligencius percunctare eum. Ipse enim melius me hoc novit, et ideo tibi de hoc melius respondebit. Nam ipse illud spacium mensuravit, quando de celo in abissum cecidit. Ego autem numquam de celo cecidi, ideo illud spacium numquam mensuravi. Non est enim mulier, sed diabolus, qui se posuit in similitudinem mulieris. Audiens vero hoc nuncius vehementer expavit et ea, que audierat, coram omnibus recitavit. Mirantibus itaque omnibus atque stupentibus antiquus hostis de medio eorum evanuit.

Episcopus autem rediens ad se amare redarguit seipsum, de perpetrata culpa veniam lamentabiliter deprecabatur. Misit nuncium ut introduceretur peregrinus, sed nequaquam amplius invenitur. Tunc episcopus populum convocavit et eis evidenter exposuit ordinem rei geste, precepitque ut omnes jejuniis et oracionibus insisterent, si forte Dominus revelare alicui dignaretur, quisnam ille peregrinus fuerat, qui eum a tanto periculo liberavit. Revelatum est autem ista nocte episcopo, quod beatus Andreas fuerat, qui pro liberacione ipsius episcopi se posuerat in habitu peregrini. Cepit igitur episcopus in devocionem beati Andree magis crescere ac eum exinde in reverencia plus habere. Tantum de illo miraculo.

**De Domina exemplum**.

Legitur de quodam cesare, qui habuit filium sibi multum dilectum corde. Et fuit quidam clericus et ipse sacerdos valde sapiens in ista civitate, qui multum servivit beate Marie virgini. Tandem cesar imposuit ei filium suum ad studium litteras addiscendi ab illo clerico et sacerdote, ut disceret ab eo cantare, legere et hujusmodi. Ille autem puer fuit durus ingenio, ita quod nihil potuit affirmare. Tunc iste cesar credidit quod noluit ei discere quidquam. Recepit prefatus cesar clericum et posuit eum in carcerem manum suam abscindendo et portavit eam ad ecclesiam et eam ibi suspendit.

Et cum clericus invenit suam manum suspensam ante imagines sanctorum, statim processit ad altare beate virginis, flexis genibus plorans et ululans. Hiis visis recepit beata virgo manum ejus et imposuit brachio suo et sanavit. Manu autem sanata ivit ad altare et cepit missam celebrare. Videns hoc cesar, quod habuit ambas manus, nimio dolore repletus est, ivit ad confessionem et dixit sacerdoti, quod ita et taliter fecisset. Confessor injunxit sibi gravem penitenciam secundum peccatum, et rogavit clericum ut dimitteret ei culpam, quam contra eum fecerat. Tunc dimisit ei, et idem cesar servivit beate Marie virgini cunctis diebus vite sue. Tantum de illo.

Item de sancto Laurencio. Legimus de sancto Laurencio, quando natus fuit, jacuit in cunis. Tunc ivit demon ad cunas et recepit sanctum Laurencium et portavit eum in quadam silvam et posuit eum sub arbore lauri. Hoc facto ivit demon ad cunas et jacuit ibi in specie infantis et numquam tacuit sed semper clamavit. Pater et mater inde dolebant graviter. Tandem quidam cesar per istam silvam pergere debuit, vidit puerum jacentem, recepit et transmisit ad domum suam et posuit eum ad scolas litteras addiscendo, et clericus effectus est.

Cum quadam [die] iret in cura cesaris, dixit ei **[319r:]** quidam servus: Non es filius domini mei. Statim ivit Laurencius ad cesarem et petiit decessum ab eo. Cesar dedit ei servos, et recessit. Venit autem ad curiam patris sui et audivit demonem clamantem in cunis, intravit stupam et vidit illum jacentem. Dixit patri: Ego sum filius tuus, et iste est demon, qui hic jacet. Et dixit sanctus Laurencius: Adjuro te, demon, per Dominum Jhesum Christum, qui infernum fregit et te ligavit, ut discedas a nobis et amplius huc non venis. Statim recessit ad inferos. Et pater et mater ex filio suo liberati sunt. Per parvum autem tempus beatus Laurencius levita est effectus.

Item de Domina. Legimus de quadam virgine, que habuit patrem gentilem et matrem, et ista fecit se baptizari et perrexit ad terram sanctam. In via obviaverunt sibi gentiles quidam et captivam duxerunt ponentes eam in loco tenebroso. Illud autem perceperunt servuli ibi in curia, iverunt ad carcerem et vellent despoliare virginitatem suam. Venientes ad carcerem statim privati sunt visu. Tandem cesar percepit illud, ivit ad carcerem, tunc nullum ostium vidit ibi et omnes fenestras vidit clausas, et non potuit intrare. Angeli autem Dei fuerunt in carcere canentes laudem Deo cum ea.

Istud audivit cesar, prostravit se plorando et orando preces suas ad Jhesum Christum et credidit in eum. Et in eodem momento aperte sunt fenestre, et intravit, vidit eam cum angelis stantem, et post parvum tempus moriebatur ibi, et angeli Dei receperunt animam ejus in celum cum magno honore ascendentem. Tunc cesar fecit se baptizari et totam familiam suam. Et qui noluerunt credere eos statim decollavit.

**[319v:] De Domina**[127].

Legimus de quodam milite, qui habuit famulum sibi servientem valde bene. Contigit ut famulus factus est infirmus. Miles vero intravit ad eum dicens: Quidquid indiges, dicas mihi. Famulus dixit: Sanitatem dispone mihi. Respondit ille miles: Nullus est hic in mundo, qui te potest salvum facere nisi solus Deus omnipotens. Cui respondit: Ego semper servieram tibi et numquam Deo. Deus, adjuva me. Promitto tibi ut serviam tibi omnibus diebus vite mee. Et in eadem hora salvus factus est. Et ideo non debemus ita servire hominibus hic in mundo, ut Dominum Jhesum Christum negligamus.

Exemplum. Fuit quidam miles qui habuit uxorem sibi dilectam. Cum deberet mori, vocavit cognatum suum et dixit ei: Vende omnia bona mea post mortem meam et da pauperibus ob salutem anime mee. Factum est ut iste mortuus est. Cognatus autem ejus peccavit fortiter omnia bona sua devastando, nihil dans pauperibus. Venit iste mortuus ad eum quadam nocte dicens: O miser, quare tam male tractasti me? Scias quod tu debes venire ad illam penam, in qua ego sum, infra x dies. Et sic recessit ab eo. Quadem vero die venerunt demones et tulerunt eum ad infernum. Et ideo nullus debet accipere bona alterius, nisi satisfaciat pro anima ejus.

---

[127] Almost the same story f.. 20r

Nota beatus Augustinus dicit de cordis contricione: Si mille peccata commisisses, si Christum manibus tuis crucifixisses, si omnes apostolos et martyres occidisses, si copiam sacerdotum non haberes, et tantummodo in corde cogitares [Luc. 18,13]: *Deus propicius esto mihi peccatori*, numquam anima tua dampnabitur. Item Augustinus: Si possibile esset unum hominem tantum peccasse quantum mundus peccavit ab inicio et peccabit in diem judicii, et quantum peccavit Judas, Cain et Pilatus, et adhuc magis dico, si Deus cogitasset illi non facere misericordiam, si hic peccator motus aliqua contricione et a peccato conversus oracionibus insistendo et veniam postulaverit, utique et sine dubio, eciam si perjurus fieret, a Deo consequeretur misericordiam. Item, o **[320r:]** Deus bone Jhesu Christe, quam bonus socius es in via, dulcis ad colloquendum, humilis ad obsequendum, fortis ad pugnandum, intellectum illuminans, affectum inflammans, consolacionem dans, hostes expugnans, et vitam eternam preparans.

## In cena Domini sermo $2^{us}$

*Scitis quid fecerim vobis?* [Joh. 13,12]. Ista verba sunt in evangelio hodierno, et licet Dominus multa mirabilia fecerit nobis, que nulla lingua explicare potest, pre omnibus creaturis tamen est videndum, quod nobis Dominus hodie fecit et quotidie facit. Et est notandum quod Deus nobis hodie tria fecit principaliter. Primo dedit nobis corporis sui communionem, $2^{o}$ ostendit patienciam suam mirabilem, $3^{o}$ ostendit humilitatem suam ineffabilem.

Primo dico quod hodie dedit sui corporis communionem. Hodie enim tradidit corpus suum in cibum dicens [1.Cor. 11,24]: *Accipite et comedite etc.* Tunc vere impletum est illud prophete [Ps. 77,25]: *Panem angelorum manducavit homo.* O mirabilis mutacio, cibus angelorum mutavit se in cibum hominum peccatorum. Sed hunc panem, qualiter sumamus, exemplum nobis dedit, antequam corpus suum dedit. Unde [Joh. 13, 4-5]: *A cena surrexit, vestimenta posuit, linteo se precinxit, et lavit pedes.*

$4^{or}$ ergo nos docet postponere, si sacramentum hoc digne volumus suscipere. Primo gulam, in cujus signum a cena surrexit. Non enim isti digni sunt sacramentum hoc sumere, qui non Christo, sed ventri serviunt. Ideo ecclesia statuit ut sacramentum hoc jejuno corde sumatur. $2^{o}$ docuit

nos postponere avariciam, in cujus signum vestimenta posuit. Avarus enim non est dignus hoc sacramento. Talis erat Judas inter apostolos, quibus omnia erant communia. Avarus erat et quia presumpsit sumere corpus Christi, *intravit in eum Sathanas,* ut dicitur Joh. xiii [13,27].

3° docuit nos postponere luxuriam, in cujus signo linteo se precinxit, per quod luxuriam cohibuit et castitatem esse servandam docuit. 4° docuit nos postponere cordis concupiscenciam. In signum hujus pedes apostolorum lavit, per quod dedit significare quod debemus lavare cor nostrum a terrenis desideriis. **[320v:]** Is. 1°[,16]: *Lavamini, mundi estote etc.* Probet autem se quilibet homo in 4^or^ predictis et sic de pane illo edat et de calice bibat. [Joh. 6,55:] *Qui manducat sic carnem Christi et bibit sanguinem, habet vitam eternam*.

2° ostendit nobis patienciam suam mirabilem in hoc quod traditorem suum in numero aliorum discipulorum suorum sustinuit, dum eis corpus suum sanctissimum distribuit. Unde Anselmus: Accedentem ad osculum sanctissimi oris tui, bone Jhesu, in cruentam bestiam adversatus non es, sed os, in quo dolus inventus non est, ori in quo abundavit malicia, applicuisti. O Domine Jhesu, quia hodie multi Jude traditoris te osculo tradunt, qui indigne corpus tuum sumunt. Tales multi sunt. Et corpus ejus ab eis sumi permittitur, non tamen ad profectum, sed ad supplicium eternum secundum apostolum [1.Cor. 11,29]: *Qui manducat indigne etc.* Ergo ita vivere debetis, ut ad hoc sacramentum digne mereamini accedere, nec aliquis indignus accedat.

3° ostendit nobis humilitatem suam ineffabilem non tantum pedes apostolorum, sed eciam servorum lavando. Magna est humilitas Christi, si consideretur quis lavit pedes. [Joh. 13,14:] *Ego*, inquit, *Dominus et magister*. Quibus lavit? Certe piscatoribus. Propter quod lavit? Certe ut nos eadem faciamus. O res magna et miranda nimis. Legimus homines hominibus pedes lavisse, sed numquam legimus angelos hominibus pedes lavisse, sed ecce creator angelorum hodie lavit pedes hominibus. Quam magna [humilitas]. Obstupuit Petrus dicens [Joh. 13,8]: *Non lavabis mihi pedes in eternum.* Magna fuit hec humilitas.

Bernardus: O mira et ineffabilis humilitas. Cui angeli serviunt, hodie creature sue servire non dedignatur. Cujus potestati omne genu flectatur, celestium, terrestrium et infernorum, ille hodie genua sua coram hominibus curvavit. Cui vero beatus Anselmus subridens ait: Intuere, o homo, humilitatis et mansuetudinis speculum Dominum nostrum Jhesum Christum, universe creature creatorem, tremendum judicem vivorum et mortuorum. Ante pedes hominis traditoris genua curvare voluit. Ideo hoc

nobis in exemplum fecit, ut in via humilitatis ipsum sequamur. Quod ipse prestare etc.

### In nupciis sermo 2us [128]

*Honorabile est connubium in omnibus*. Ad Hebreos ultimo [13,4]. Sicut alie religiones sive ordines variis de causis possunt commendari et honorari, sc. instituentis sanctitate vite et conversacionis honestate et situs preciositate, sic eciam talis conjunccio matrimonii potest dici ordo, quia oportet hic intrantem primo die ingressus facere professionem, quod multum est difficile, quia in aliis ordinibus habetur annus probacionis ante professionem. Item papa in aliis ordinibus potest dispensare ad intrandum alium ordinem graviorem, sed matrimonium legitime contractum et per carnalem copulam exsecutum non potest papa separare. Et racio habetur in evangelio [Mat. 19,6]: *Quod Deus conjunxit.* Commendat autem hunc ordinem Paulus in verbis propositis et hoc de tribus sc. a societate inseparabili ibi: Connubium. 2o ab honestate commendabili ibi: Honorabile.

3o in distribucione ultimi quia: In omnibus. Est igitur primo honorabile racione instituentis sicut alii ordines racione instituentium ipsos, sicut fuerunt beatus Augustinus, Bernardus, Benedictus, Franciscus, Dominicus, qui singulos ordines instituerunt. Sed Dominus Jhesus Christus, immo tota trinitas hunc ordinem instituit.

Unde Gen. 2o[,18]: *Non est bonum esse hominem solum. Faciamus etc.* Et dicitur faciamus, ut tota trinitas intelligatur, et ideo multum honorabile est, et oportet ut honoranter teneatur. Item racione loci in quo institutum est, quia in paradiso terrestri. Alii ordines instituti sunt in hac valle miserie. Item quia Dominus voluit nasci de conjugata, licet esset virgo, et voluit credi filius Joseph. Unde in evangelio [Mat. 13,55]: *Nonne iste est filius fabri et Marie.*

Item dignitate visitantium nupcias, nam Jhesus, mater ejus et discipuli nupciis interfuerunt. Nec credat aliquis justis nupciis seu matrimonio interesse peccatum. Beda: Si in thoro immaculato et nupciis debita castitate celebratis culpa inesset, nequaquam ad has Dominus venisset, **[321v:]** nequaquam signorum suorum iniciis consecrare voluisset.

---

[128] Partly the same sermon f. 95Ar, both from Peregrinus Polonus

Item racione sanctitatis, quia hoc magnum et honorabile est in Christo et in ecclesia. Apostolus: Nam conjugalis copula signum est unitatis spiritualis Christi et ecclesie. De matrimonio ista sunt servanda. Nota $4^{or}$ sunt consideranda circa castum matrimonium conservandum, sc. fides que per annulum signatur, $2^{m}$ est dileccio que adinvicem est habenda, $3^{m}$ est continencia, $4^{m}$ est educacio filiorum. Primomodo propter fidem conveniunt, ut firmiter credant quod sicut hic in mundo corporaliter conjunguntur, ita eciam in futuro seculo cum Deo spiritualiter cum anima.

$2^{o}$ conveniunt propter dileccionem habendam. Certe ista dileccio talis esse debet, quod nulla mulier debet esse tam pulchra, tam nobilis, tam dives, quam diligat vir excepta propria uxore. Et sic econtrario mulier ad virum. Ita debes diligere eam, quod numquam aliquod malum ei loquaris seu percutias. Sed timeo quod multi sunt, postquam in taberna fuerint et inebriati sunt et ibi offendantur verbis aut factis, cumque veniant domum, tunc omnia obstacula, que perpessi sunt, ibi retorquent in uxorem. Memor enim esse debes quod ipsa propter te reliquit patrem et matrem et secuta est te.

$3^{o}$ propter continenciam, que viii modis servanda est in matrimonio. Primo in vi feriis, sabbatis et in dominicis, die et nocte. $2^{o}$ in temporibus jejunii, videlicet septuagesima usque ad octavam pasche a diebus rogacionum usque ad festum trinitatis, ab adventu Domini usqu ad octavam epiphanie Domini. Item in diebus $4^{or}$ temporum. Item in vigiliis et festis sanctorum. Item in tempore conceptus usque ad partum. Item a partu usque ad ingressum ecclesie. $7^{mo}$ in tempore menstrui, quia hoc lex nova et vetus prohibent. $8^{o}$ quando mulier sterilis facta est propter senium. A tempore isto augmentatur peccatum in commiscendo. Quicunque conceptus fuerit temporibus istis vel in aliis magnis festivitatibus, incurrunt periculum sepius et defectum anime vel corporis. Et tales infames erunt et privantur vita et honore, morte horribili et subitanea subsequentur. Ps. [36,28]: *Injusti punientur, et semen impiorum peribit.* $4^{o}$modo conveniunt propter educacionem filiorum, ut ad bonum eos instruant. Sicut Thobias fecit filio suo, quia ab infancia sua docuit eum timere Deum et cavere se a peccatis. Unde exemplum: Accipiant in matrimonio existens etc.

**In Domenica prima adventus**.

*Ecce rex tuus venit tibi mansuetus.* [Mat. 21,5]. In verbis istis propheta consolatur sanctos patres, qui diversis tribulacionibus fuerunt afflicti ante adventum Domini nostri Jhesu Christi. Primo quia excommunicati erant propter inobedienciam Ade, quam fecerat, nec nullus poterat inveniri in mundo, qui eos absolveret. Item affligebantur aliqui, quia errabant sicut oves, qui sine pastore sunt, et viam que ducit ad celum invenire non poterant. Item aliqui erant captivati, et qui eos redimeret non habebant. Et ideo illis modis afflicti clamaverunt in celum, ut Deus mitteret eis aliquem, qui eos ab excommunicacione absolveret et a captivitate redimeret et ad rectam viam reduceret. Deus autem omnipotens, qui est pius et misericors in omnes, qui invocant eum in veritate, audiens lamentabilem vocem eorum, respondit eis, sicut hodie legitur in sancto evangelio: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, quasi dicens: Veniam et eripiam vos de omnibus tribulacionibus vestris.

In verbis propositis tria notare possumus. Primo suam potenciam in hoc quod dicit: Ecce rex tuus, quasi diceret: Ita potens est omnipotens Deus, qui est rex tuus, quod te liberare bene potest. 2$^{o}$ ostendit suam propinquitatem in hoc quod dicit: Venit. Et ideo cum magno honore et sine mora et cum debita preparacione recipi debet. 3$^{o}$ ostendit suam utilitatem: Tibi, sc. ad tuam utilitatem. Sed inspiciamus hanc utilitatem. Certe in hoc notatur ejus magna utilitas, quod venit tamquam pius mediator, tamquam bonus pastor, tamquam fidelis fidejussor, tamquam benignus medicus, tamquam fortis pugil, et tamquam sapiens advocatus.

Venit ergo primo Dominus noster tamquam pius mediator, ut offensum reconsiliaret. Unde ad Thimoteum [1.Tim. 2,5]: *Mediator Dei et hominum factus est Jhesus.* Idem [Rom. 5,10]: *Cum inimici facti essemus, Deo reconsiliati sumus per mortem filii ejus*. 2$^{o}$ venit tamquam bonus pastor ut errantem ovem sc. fugitivum hominem revocaret. Unde ne oves abhorrerent pastorem, Christus accepit formam **[322v:]** pastoris. Unde Joh. [10,11]: *Ego sum pastor bonus.* Certe quando occidamus animas nostras per peccata nostra, et eramus expulsi a civitate nostra sc. a paradiso, et fuimus ejecti in exilium hujus mundi et redire non potuimus nisi mortuo summo pastore sc. Christo, qui nobis reditum acquisivit suo adventu et sua morte.

3$^{o}$ venit tamquam fidelis fidejussor, ut passionem in patibulo crucis pro reo homine portaret sc. sustineret. Eccli. [29,20]: *Gracias fidejussoris tui non obliviscaris.* Dedit enim [animam] suam pro te. Joh. [10,11]:

*Animam meam pono pro ovibus meis.* Hoc figuratum fuit in omnibus hostiis, que offerebantur in veteri lege. Unde legitur Levitici, quod quando sacerdotes peccabant, tunc offerebant vitulum immaculatum ab omni peccato. Glosa: Per vitulum istum intelligitur Christus, qui immaculatus ab omni peccato. Unde dicit apostolus [1.Pet. 2,22]: *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Et ideo venit in mundum, ut nos mundaret a peccatis, et immolari se permisit ut illud peccatum, quod primi parentes commiserunt per inobedienciam, suo adventu absolveret.

4º venit Christus tamquam benignus medicus, ut infirmum hominem curaret. Augustinus: Magnus venit medicus, quia mundus ubique jacebat egrotus. Hoc figuratum habemus in samaritano, quia samaritanus veniens per viam invenit infirmum vulneratum, quem accipiens alligavit vulnera ejus et involvit suo linteo. Glosa: Per istum samaritanum intelligitur Christus, qui suo adventu assumpsit formam humanitatis propter delicta nostra, ut nos eriperet a captivitate diaboli cum suo preciosissimo sanguine, quem effudit in cruce pro nobis. O quot infirmos curavit iste medicus et adhuc sanat, non tantum in corpore, sed eciam in anima, et vivificat omnes qui invocant eum et diligunt.

5º venit Dominus noster tamquam fortis pugil, ut sua fortitudine diabolum vinceret et debellaret, et nos a potestate tenebrarum eriperet, et hoc per mortem et passionem suam. Luc. [Is. 63,1]: *Ego sum, qui loquor justiciam,* et salvator sum et fortis ut pugil ad pugnandum. 6º venit Jhesus tamquam **[323r:]** sapiens advocatus. Paulus [1.Joh. 2,1]: *Advocatum habemus apud patrem* in celis, ut prescripcionem interrumperet. Habebat enim diabolus privilegium contra homines de passione[?], sed veniens Dominus noster Jhesus Christus delevit illud proprio sanguine.

Apostolus [1.Pet. 1,18-19]: *Redempti enim estis de vana conversacione vestra sanguine agni incontaminati et immaculati Jhesu Christi.* Modo, fratres karissimi, domum cordis nostri debemus mundare per puram confessionem, per veram contricionem, per penitenciam nobis injunctam a sacerdote, per oraciones, per eleemosynarum largicionem, et per cetera opera misericordie. Preparate corda vestra in adventu ut, cum Dominus advenerit, digne eum recipere mereamur, ut per suam misericordiam in novissimo die in conspectu ejus letanter ab eo recipi mereamur. Hoc nobis prestare dignetur pater et filius et spiritus sanctus. Amen.

## In Domenica 2 [a] adventus.

*Erunt signa in sole et luna et stellis et in ceteris planetis pre pressura gentium, pre confusione sonitus maris et fluctuum* [Luc. 21,25]. Beatus Lucas scribit nobis hodie mira et terribilia, omnibus bonis hominibus et sanctis ad laudem et leticiam et omnibus peccatoribus ad omne malum et eternam dampnacionem corporis et anime. Ideo dicit: Erunt signa in sole etc. Arescent arbores propter nimiam tribulacionem, propter nimium timorem et propter magnam miseriam, que superveniet toti mundo. Signa autem precedunt judicium et adventum Domini, et ista erunt mirabilia. Sol enim et luna, qui sunt oculi celi ita pulchri et ludici, quod sua pulchritudine sc. sua luce totum mundum decoraverunt et illuminaverunt, sedent ante diem judicii ita lamentabiliter transmutata, quod non luceant.

Unde propheta Joel dicit [2,31]: *Sol convertetur in tenebras et luna in sanguinem, antequam veniet dies Domini magna et terribilis.* Dico eciam quod sol erit obscurus, et luna lumen suum non dabit, et stelle cadent de celo, et erit talis pressura qualis non fuit ab inicio mundi, nec post erit. **[323v:]** Hoc eciam ostendit quod mare horribiliter insonet. Jheronimus: Mare se levabit in altitudine xl[a] cubitorum altius omnibus montibus, qui sunt in hoc mundo, et in loco suo stat quasi murus.

Modo posset aliquis querere, quare hec signa Dominus precedere misit ante diem judicii. Respondetur quintupliciter. Primo ut tu timeas et vitam tuam de malo statu corrigas, ne in die judicii cum impiis dampneris. 2[o] ideo justum est ut patrefamilias perturbato tota familia consociatur in tribulacione. 3[o] ne Deus ut proditor faceret, si ex improviso percuteret et vindicaret se. 4[o] ut hec signa premissa nunciant magnam miseriam et illud malum, quod tunc eveniet peccatoribus.

5[o] propter hoc ut tota creatura sit parata vindicare creatorem suum ad puniendum eos qui eum hic offenderunt, et propter hec signa omnes homines videbunt filium hominis terribiliter venientem cum magna potestate, cum gladio acuto ex utraque parte, ut secet peccatores per medium, ferens terribilem sentenciam super corpus et animam mali hominis. Ibi ultra terra non erit. Ibi nullus pro alio fidejubet, nec pater pro filio, nec mater pro filia, nec amicus pro amico, nec aurum, nec argentum, nec sciencia, nec fortitudo, nec pulchritudo, nec divicie, nec potestates pro te fidejubent, sed sola justicia et bona opera nostra liberabunt nos de gravissima sentencia judicis, que de ore ejus procedit super peccatores.

O quam timenda est ista sentencia, quando iste justus judex, qui reddit unicuique juxta opera sua dicendo [Mat. 25,41]: *Ite, maledicti, in ignem eternum.* Et idem [Deut. 32,39]: Et *non est qui de manu mea possit eruere*, quia nullus quia [tam?] nobilis, tam potens, tam fortis, tam dives, tam sapiens, tam sanctus vel tam bonus, qui posset unam animam liberare in peccato mortali existentem. Nec eciam beata virgo Maria tunc temporis. Ideo nobis maxime est necesse, ut fundamus intimo corde preces Domino, quod nobis sit propicius in hac miserabili vita, ne dampnemur cum impiis in adventu districti judicii, sed cum justis eternam vitam percipere mereamur in novissimo die.

**[324r:]** Iste gladius summi judicis ex utraque parte acutus separabit malos de medio justorum et mittet eos in caminum ignis sc. in profundum inferni. Ibi punientur sine fine cum corpore et anima. Nunc autem in tantum, quod vivimus, petenda est nobis venia et misericordia de peccatis nostris. Sed in novissimo die reddetur merces secundum laborem. Unde apostolus [1.Cor. 3,8]: *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.*

Post hec summus judex exprobrabit eis sua beneficia ab eo impensa et requirit mortem suam ab eis tamquam precium, quod pro eis dedit, dicens: O homo, vide crucem in qua pro te suspensus fui. Vide clanos qui pertransierunt manus et pedes. Vide latus meum quod perfossum est cum lancea. Vide spineam coronam qua coronatus fui. Vide vulnera in capite. A planta pedis usque ad verticem me martirizari permisi propter te.

O homo, hec omnia sustinui pro te, et omnis creatura compatiebatur mihi, tu vero non. Ego creator tuus omnia, que in mundo sunt, volucres celi, bestias terre, pisces maris, arbores et fructus terre propter te creavi et dominum te constitui super omnia hec. Cum vero hiis omnibus male usus es, et non cognovisti opera mea, sed in peccatis tuis ambulasti, ideo peccata tua accusabunt te coram me et omni populo in die judicii.

Unde vi mala conspiciet ibi homo, que parata sunt contra peccatorem. Primo infernum conspiciet ad deglutiendum eum cum corpore et anima, 2° judicem iratum ad condempnandum eum cum corpore et anima, 3° conspiciet demones ascendentes ad capiendum corpus et animam, 4° illam terribilem sentenciam ad audiendum, 5° angelos ad separandum eum de medio justorum, 6° et ultimo illam terribilissimam vocem audiet sive conspiciet sc. [Mat. 25,41]: *Ite, maledicti, etc*. [Luc. 13,28:] *Ibi erit fletus et stridor dentium.*

Sed bonis et justis qui in hoc mundo fecerunt suam voluntatem, illis alloquitur delectabile verbum dicens [Mat. 25,34]: *Venite, benedicti patris*

*mei, percipite regnum eternum*, ubi gaudium est sine omni tristicia, *quod vobis paratum est* a patre meo. Ideo [Galat.6,10:] *operemur dum tempus habemus* in hac vita, ut vultum judicis in novissimo die letanter ac placidum videre mereamur et cum justis regnum Dei letanter introire mereamur.

## In Dominica 3ª adventus[129]

*Cum audisset Johannes in vinculis opera Christi mittens duo de discipulis suis ait illi: Tu es qui venturus est, aut alium exspectamus?* [Mat. 11, 2-3]. Karissimi, in hoc evangelio tria nobis sunt consideranda. Primo quod Herodes cepit Johannem et misit eum in carcerem. 2º quod Johannes misit discipulos suos ad Christum ut interrogarent eum: Tu quis es? 3º quod Dominus commendavit Johannem coram turbis dicens [Mat. 11,7]: *Quid existis videre?* In hoc ultimo verbo Dominus reducit nobis ad memoriam statum nostri. Sed videamus unde exire debemus, quo ire, et quid facere. Certe debemus exire ab hiis, que nos ad peccatum inducunt, et debemus ire in desertum penitencie, et ibi videamus statum gracie contemplando celestia.

De primo dicitur 3 Machabeorum [1.Machab. 2,27-28], ubi dicit Mathatias: *Omnis qui zelum habet, exeat post me, et fuget ipse et filii ejus in montes. Et reliquerunt omnia, que habebant, in civitate.* Sic et nos exire debemus de malo statu, sc. cessare a peccatis et malis operibus et ascendere montes, sc. accipere penitenciam pro delictis et eminenciam vite contemplantes vitam sanctorum ipsos aggrediendo tamquam montes magnos. O quam magnus mons est beata virgo in humilitate, beatus Martinus in largitate, sanctus Alexius in paupertate et beata Maria Magdalena in penitencia, quam egit pro peccatis seu delictis. Ecce istos montes imitari debemus et exire de malo statu vite nostre et relinquere omnia mala nostra.

Sicut dicitur in evangelio: Cum audisset Johannes in vinculis opera Christi etc. Unde ipse beatus Johannes in Judea fuit propheta, ubi Herodes regebat. Idcirco arguebat Johannes Herodem pro eo quod habuit uxorem fratris sui, et misit Herodes Johannem in carcerem. Johannes interpretatur gracia Dei et significat virum justum, et merito, quia Dominus non confert graciam suam nisi bonis hominibus, qui sunt in bono statu vite, quos facit

[129] From Peregrinus Polonus

mereri vitam eternam. Johannes [1.Cor. 4,7?]: *Quidquid habes meriti, donavit gracia Christi.* Nil Deus in nobis preter sua dona coronat. Herodes interpretatur versipellis et significat diabolum. Vincula sunt peccata, carcer significat delectacionem vite. Sic Herodes Johannem capit et in carcerem **[325r:]** mittit. Hoc est quando diabolus virum justum peccare facit per delectacionem, et post delectacionem peccatum mortale committit. Et est nobis doctrina, quod cavere nos debemus a peccatis, ne capiamur vinculis diaboli et mittemur in carcerem sc penam jehennalem propter peccatum.

2[o] dicit quod Johannes in carcere positus fuit et ad querendum postea Christum duos discipulos mittit seu misit. Per hoc instruimur ut illud faciamus spiritualiter, quod Johannes fecit corporaliter sc. quando duos discipulos ad Christum mittit. Certe cum se homo captum vidit a diabolo, sc. cum homo peccatum committit et jacet in eo, tunc captus est ab Herode sc. a diabolo. Tunc duos discipulos debet mittere ad Christum sc. confessionem puram et veram contricionem. Primum nuncium misit Jonas de ventre ceti, 2[m] nuncium misit David pro crimine adulterii.

Nota autem quod contricio est triplex. Una cum qua homo dampnatur, et est ista cum qua homo deflet peccatum commissum propter pudorem, quod debet sacerdoti dicere illud peccatum, tacet et non vult confiteri. Sed sibiipsi vult injungere penitenciam et cogitat intra se: Ego volo jejunare pro isto peccato, antequam confitear idem. Et talis contricio non valet, sed est mala.

Allega miraculum de moniali concubente cum clerico, que nolens illud confiteri cum aliis peccatis propter pudorem, sed sibiipsi injunxit penitenciam et arctam vitam duxit. Que dum sperabatur ab hominibus esse sancta, sed tamen post mortem fuit condempnata. 2[a] contricio est quando homo confitetur et dolet quod peccavit, et quasi post 4[or] dies vel octo statim revertitur ad idem peccatum. Ista contricio nihil valet ad animam, quia homo facit ad modum canis vomitum facientis et iterum resumit idem.

3[a] contricio est cum qua homo statim evolat vel evilat[?], et ista contricio est magna, que non haberi potest ab hominibus nisi per graciam spiritus sancti. Et est talis. Si omnes parentes tui jacuerunt ante te **[325v:]** interfecti, et ex alia parte jaceret unum mortale peccatum, plus deberes dolere de isto uno mortali peccato quam de omnibus parentibus tuis ante te interfectis. De ista contricione dicit beatus Jheronimus: Magna est velut mare contricio tua. Et illam contricionem habuit latro in cruce, quando dixit [Luc. 23,42]: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.* Et Dominus ad eum: *Amen dico tibi etc.* Ecce qualis et quanta fuit ista

contricio in latrone. Certe tanta fuit quod gaudia paradisi obtinuit. Ideo nobis necesse est rogare Deum, ut nobis conferat veram contricionem et puram confessionem de omnibus peccatis nostris. Et illam contricionem eciam habuit beata Maria Magdalena et beatus Petrus, qui Christum negavit et per veram contricionem graciam Dei optinuit.

Sed si diceret aliquis: Qualiter optineam talem contricionem? Respondetur: Primo doleas quod peccasti, et velles quod numquam peccasses nec cogitasses peccatum mortale in corde tuo, et permanere debes in tali proposito, quod amplius velis te cavere a peccatis Deo cooperante. Vere dico quod per talem contricionem et bonum propositum poteris bene salvari.

Item duo sunt nuncii, quos debemus mittere ad Christum sc. devota oracio et humilis sui cognicio. Primum nuncium misit Helias propheta, quando [Jac. 5,17-18] *oracione sua celum clausit, ut non plueret, et non pluit ad annos 3*$^{s}$ *et ad sex menses. Rursum oravit, et celum dedit pluviam.* Ecce quam devote oravit Dominum. Similiter et nos debemus Dominum devote orare, ut ab eo exaudiri mereamur.

2$^{m}$ nuncium misit publicanus cum magna humilitate, quando oravit et non audebat oculos ad celum levare, sed percutiebat pectus suum dicens [Luc. 18,13]: *Deus, propicius esto mihi peccatori.* Talibus nunciis respondebit Dominus dicens [Mat. 11,5]: *Ceci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur et surdi audiunt*, quasi diceret: Qui cecus est in fide, claudus in operacione bona, leprosus in carnis voluptate et surdus in audicione divinorum ad verbum Dei, sc. qui jacent in peccatis mortalibus et in vinculis eorum. Et qui taliter sunt carcerati, illi debent mittere **[326r:]** nuncium per devocionem, per humilitatem, per fidem, per bona opera et per puram confessionem. Tunc cecitas, surditas, clauditas, leprositas cadat a corporibus et animabus eorum, et corda eorum illuminabuntur a Domino, et recte ambulabunt et audient verbum Dei et mundabuntur a lepra sc. a peccatis.

Rogemus Dominum ut confert nobis puram confessionem et veram contricionem, emendacionem et remissionem omnium peccatorum, ut post hanc vitam ad suum montem sc. ad eterna gaudia pervenire mereamur, prestante Domino nostro Jhesu Christo. Amen.

## In Dominica 4[a] adventus[130]

*Dirigite viam Domini*, Isaias propheta dicit [40,3]. Notare debemus quod in sacris scripturis sepe invenimus diversas vias expressas. Notandum quod due sunt vie per quas homo ambulat. Prima via est demonum, 2[a] via est Dei. Per primam viam sc. demonum intelligitur superbia. Per istam viam ambulavit Lucifer qui dicebat in corde suo [Is. 14,14]: *Ascendam in celum* sc. trinitatis, et super astra celi, super angelos *et super altitudinem nubium* sc. apostolos, *exaltabor et similis ero altissimo*. Et dum ita cogitaret, lapsus est per viam istam in profundum inferni per quam egredi numquam potest. Per istam viam per quam precessit Lucifer, sequntur omnes superbi, qui gloriantur de diviciis, de nobilitate generis et opprimunt pauperes et spernunt clericos et religiosos.

Sic fecit Absolon qui gloriabatur de pulchritudine sua et postmodo fuit suspensus in arbore propriis capillis et transfixus fuit triplici hasta per Joab hostem suum. Sic eciam fiet illis qui gloriantur de diviciis suis, de nobilitate et de pulchritudine corporis sui. Mittitur contra eum hostis sc. diabolus sicut contra Absolon, qui eum accusabit in novissimo die coram summo judice.

Et 3[s] haste mittentur in eo. Prima hasta est mors temporalis, 2[a] est mors infernalis, 3[a] hasta est separacio a facie Domini, **[326v:]** dilecta matre ejus et a consorcio omnium sanctorum qui in celo sunt cum Christo. O quam gravis sentencia dicetur ibi peccatoribus [Mat. 25,41]: *Ite, maledicti, in ignem eternum*. Item isti qui gloriantur in rebus hujus mundi, sicut fecit Nabuchodonosor rex, qui sic dicebat [Daniel 4,27]: *Quis domum istam ita pulchram edificavit, nonne ego?* Sed quid factum est de eo? Certe Dominus projecit eum de omni regno suo et de omni potestate sua, et mutatus est in bestiam et comedit fenum sicut bos. Ecce quam cito humiliat Dominus superbos et potentes. Et sic fiet omnibus superbis post mortem eorum, et mutentur et convertantur in bestias infernales.

Item alia via est que dicitur inobediencia. Per istam viam ambulaverunt primi parentes nostri sc. Adam et Eva, quos Dominus in paradiso voluptatis locaverat, dans ei preceptum dicens [Gen. 2,16-17]: *De omni ligno, quod est in paradiso, comedetis preter de ligno sciencie boni et mali*. Sed certe mulier videns lignum esse pulchrum et ad vescendum suave fregit pomum de arbore et comedit deditque viro suo. Sic facti sunt transgressores mandatorum sive preceptorum Dei, et sic Dominus ejecit eos de amenissimo paradiso propter inobedienciam eorum. Sic ejicientur a

[130] From Peregrinus Polonus

facie Dei, qui non sunt obedientes Deo et parentibus, senioribus et plebanis, et non servant quid precipitur eis a sacerdotibus. Illi ejicientur a Domino in cimiterio inferni, ubi cantatur: Ve, Ve, Ve, quod umquam nati fuimus.

3[a] via diaboli est mendacium. Per istam viam multi transeunt sc. tabernatores, mercatores, et fere totus mundus non servat veritatem, sicut testatur David [Ps. 115,11]: *Omnis homo mendax.* Ab ista via nos cavere debemus et non decipere proximum nostrum per mendacium et cum falso juramento. Unde apostolus [Sap. 1,11]: *Os quod mentitur, occidit animam.* Sic de juramento Dominus dixit [Mat. 5,34-37]: *Neque jurare per celum, neque per terram. Sit autem sermo vester est, est, non, non.* Istas vias preponunt demones animabus vestris. Sed quare hoc? Quia vident quod anime vestre valde sunt preciose et ad ista gaudia create, que illi miserabiliter perdiderunt. Plus enim diligunt unam animam quam aurum totius mundi.

Hoc figuratum habemus in Genesis, ubi rex sodomorum dixit ad Abraham per quem devictus fuerat [Gen. 14,21]: *Da mihi animas, cetera tolle tibi.* Per istum regem sodomorum intelligitur diabolus, qui dicit ad Abraham sc. ad quemlibet hominem fidelem: Habeas **[327r:]** tibi res temporales, quia eis non indigeo, nec egeo, quia semper jejuno. Nec quero vestes, nec divicias, sed solummodo da mihi animam. Ecce quantum demones diligunt animam hominis. Ideo valde sollicite unusquisque debet custodire animam suam, quia ita preciosa est quod nullo thesauro hujus mundi redimi poterat, nisi preciosissimo sanguine Jhesu Christi.

Modo contra viam superbie debemus habere viam humilitatis. Unde dicitur in evangelio [Luc. 14,11]: *Omnis qui se humiliat, exaltabitur.* Is. [1.Thess.l 5,14]: *Patientes estote ad omnes.* 2[o] contra viam inobediencie debemus servare obedienciam, sicut Dominus noster Jhesus Christus fuit patri obediens usque ad mortem. Et sic nos per obedienciam gaudia paradisi possidere possimus. Item Saul rex per inobedienciam amisit regnum suum, quia non servavit preceptum Domini. Et sic propheta Samuel ad Saul dicens [1.Reg. 15,22]: *Melior est obediencia quam victima.* Sic fiet omnibus inobedientibus, quia perdent regnum celorum, sicut Saul perdidit propter inobedienciam regnum terrenum.

3[o] contra viam mendacii ponit Dominus viam veritatis. Sic in omnibus verbis et factis veritatem teneamus. Sed heu, raro jam tenet aliquis fidem alteri. Ps. [145,2-3]: *Nolite confidere in principibus, neque in filiis hominum, in quibus non est salus.* Sed certe falsitas sepelivit

veritatem, ut dicit quidam sapiens. Veritas inter homines non invenitur. Numquam tuta fides, idcirco fallitur omnia. Versus.

2[a] via est via Dei et per istam viam transeant omnes Christum diligentes. Unde Paulus [Jer. 7,3]: *Bonas facite [vias] vestras et studia vestra.* Idem: Malas vias debetis deserere et bonas vias diligere, ut celeste regnum post hanc vitam transitoriam feliciter cum Christo et omnibus sanctis ejus possidere mereamur. Amen. Tantum de ista dominica.

**[Nota f. 326r:]** Via demonum est triplex sc. superbie, inobediencie et mendacii.

**Exempla**[131]

Confessio nocet demoni. Cesarius. Magister Thomas theologus et predicator, cum esset moriturus, vidit diabolum in angulo camere, in qua jacebat. Quem adjuravit ut diceret ei, quid esset quod plus eis noceret. Qui respondit: Nihil tam nobis nocet sicut confessio. Quando enim homo est in peccatis mortalibus, tunc omnia membra ejus sunt ligata, et non potest se movere. Cum autem eadem peccata confitetur, homo statim liber est et mobilis ad omne bonum. Quo audito fidelis iste doctor in pace obdormuit.

Confessio ex corde facta laico celat peccata diabolo. Cesarius. Sacerdos quidam occulte tenebat uxorem cujusdam militis, quod cum dictum fuit militi, non statim credidit nec tamen sine suspicione fuit. Nullum tamen signum sacerdoti vel uxori fecit de hoc. Rogavit tamen sacerdotem ut secum iret ad quoddam secretum colloquium. Qui duxit eum in villam, in qua demoniacus omnia peccata non confessa hominibus improperavit. Timens autem sacerdos ne miles propter hoc adduxisset eum, ut a demone de facto suo inquireret, stabulum occulte intravit et pedibus servi militis provolutus rogavit, ut confessionem suam audiat.

Facta autem confessione ex puro corde et penitencia petita dixit servus: Quid alteri sacerdoti pro consimili peccato injunxeritis, sit eciam penitencia vestra. Sicque securior cum milite ad demoniacum ivit, a quo cum miles quereret si aliquid de eo sciret, respondit ille: Nescio aliquid dicere. Subjunxit miles: Et quid tibi videtur de isto domino? Ille respondit:

[131] Probably from Arnoldus de Leodio: Alphabetum narracionum

Nihil de eo scio, et si hoc dixisset lingua teutonica, quam solam noverat, subjunxit lingua latina: In stabulo justificatus est. Quod solus sacerdos intelligens virtutem confessionis et beneficium Dei in se cognoscens seculum dimisit et ordinem cisterciensem intravit.

**6^us^ sermo de resurreccione Domini valde subtilis**.

**[328r:]**De ressurreccione Domini sermo. *Ego dormivi et soporatus sum* [Ps. 3,6]. Karissimi, omnes dies quos fecit Dominus, sunt sancti, sed hec dies pre ceteris celebris est et festiva. Unde quid enim nasci profuit, nisi redimi profuisset. Ideo cum magna exaltacione diem hunc gloriosum debemus observare et notare verba, que propheta dicit de Jhesu: Ego dormivi etc. Dominus noster comparat mortem suam dormicioni. Unde propheta Jacob [Gen. 49,9]: *Requiescat ut leo, quis suscitabit eum.* Unde leo dormivit vigilans oculis. Eodem modo Christus dormivit corpore vigilans tamen divinitate. Sicut scriptum est [Ps. 120,4]: *Ecce non dormitabit*. Unde dicit Dominus [Cant. 5,2]: *Ego dormio et cor meum vigilet.*

Unde nota quod Christus assimilat mortem suam dormicioni propter 4^r^. Primo quia qui sanus vadit dormitum, vult requiescere ad tempus sed non diu. Sic Christus dormivit ad triduum. Et illud triduanum tempus premonstratum fuit in veteri lege a quodam propheta Jona, qui per triduum fuit in ventre piscis sc. ceti et tamen illesus exivit. Sic Christus fuit in miseris[?] judeorum et morte, tamen mortem superavit.

2^o^ propter facilitatem resurgendi quia Dominus facilem habuerat potestatem resurgendi, si voluerit. Unde ipse dixit [Joh. 10,18]: *Potestatem habeo ponendi animam meam.* 3^o^ propter integritatem corporis quia sine corrupcione corporis resurrexit tamquam dormiens. Unde David [Ps. 15,10]: *Non derelinquas animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corrupcionem.* 4^o^ propter voluntatem quia sicut aliquis voluntarie dormit, ita Christus voluntarie est mortuus. Unde Jer. [Is. 53,7]: *Oblatus est, quia ipse voluit,* et peccata nostra iste portavit.

Unde dicit quedam auctoritas: Sola voluntate mortalis erat Deus et non natura. Ergo prima auctoritas sic debet exponi: Ego dormivi alaphas, clanos et vulnera sustinendo, et soporatus sum spiritum emittendo et in sepulchro jacendo, et [Ps. 3,6] *exsurrexi* sc. contra humanum modum surrexi, *quia Dominus suscepit me,* sc. pater resuscitavit me. Vere **[328v:]** contra humanum modum surrexit, quia non ad peticionem dilecte matris sue surrexit, nec ad clamorem judeorum de cruce descendere voluit, tamen de sepulchro mortuus resurrexit. Hoc ideo fecit ut potenciam suam divine majestatis ostenderet, quia divinitas numquam deseruit humanitati.

Ecce quale exemplum nobis Christus in hoc monstravit, quod [nec] ad peticionem matris, nec ad clamorem judeorum de cruce descendere voluit. Sic nos peccatores nec propter amicos nec inimicos descendere a

virtutibus et a bono opere, sed debemus semper [Ps. 83,8] *ire de virtute in virtutem, ut videbitur Deus in Sion.*

Cum ergo fere dormiamus omnes et quasi mortui sumus in peccatis, rogemus Christum, qui hodie resurrexit, ut ipse nos hodie a peccatis resuscitet et dignos faciat, ut corpus suum sanctum mereamur digne percipere. Unde notandum est. Pueris indiscretis denegari debet corpus Christi, adulteris, insensatis et omnibus excommunicatis et omnibus, qui sunt in mortalibus peccatis, de quibus non fecerunt integram confessionem. Ideo, karissimi, consulo ut ad mensam Domini digne accedatis. Unde ammonet Gregorius dicens: Adorna thalamum tuum, Sion.

Nota Christus manifestavit seipsum ipso die resurreccionis v vicibus. Primo beate Marie Magdalene, et hoc est ideo quia pre ceteris ipsum plus diligebat. Luc. [7,47]: *Dimissa sunt ei peccata multa etc.* ut sicut mulier fuit inicia mortis, sic esset inicia vite. 2$^{o}$ apparuit mulieribus redeuntibus a monumento. 3$^{o}$ apparuit discipulis euntibus in civitatem Emaus. 4$^{o}$ discipulis congregatis in unum.

5$^{o}$ Simeoni. Item eciam apparuit beato J acobo, de quo agitur in die beate Walpurgis, qui vovit se non commesurum, donec videret Deum resurrexisse a mortuis. In ipsa autem die resurreccionis quousque ad diem 2$^{am}$ Jacob nihil gustans eidem Dominus apparuit et eis, qui cum ipso erant, dixit: Ponite mensam. Deinde panem accipiens benedixit et dedit Jacobo justo dicens: Frater mi, comede quia filius hominis a mortuis resurrexit. Tantum de illo.

## De Domina [et] de Theophilo

Legitur de quodam milite, qui vocabatur Theophilus. Ipse enim erat dives et potens valde, regens totam terram sub quodam episcopo, ita quod dominus major effectus est post episcopum, et in omnibus factis suis sic se strenuum, discretum et prudentem exhibuit, quod mortuo episcopo populus communiter alium in episcopum eligere incepit Theophilo contrariari, destituens eum ab officio quod habuit. Quod Theophilus pro magna indignacione recepit, et discrecionem pristinam dimittens bona sua inutiliter consumpsit.

Tandem quod in paupertatem missus erat, et postea ultra modo desideravit graciam episcopi rehabere. Quod percipiens quidam sciens

conjuraciones demonum accessit et ad eum dixit: O Theophile, si acquiescere velles consilio meo, te faciliter restituerem ad graciam episcopi et ad tot bona quot velles.

Theophilus dixit quod sic, et statim judeus incepit conjurare demonem, qui conjuratus subito venit. Et cum judeus exposuit sibi quid vellet, dixit demon ad Theophilum: Theophile, [si] vis abnegare Christum et matrem ejus, graciam episcopi restituam tibi et thesauri plenitudinem tibi conferam ad tuam voluntatem. Cui Theophilus: Matrem Christi non possum abnegare. Illam enim ab infancia mea toto corde dilexi. Cui demon respondit: Nisi eam negaveris, non faciam pactum tecum. Theophilus desiderans graciam episcopi rehabere et de penuria, quam habuit, contristatus, abnegavit tam Christum quam matrem ejus, et isto facto demon cyrographum petiit.

Theophilus sibi cyrographum annulo sigillatum dedit, et statim revocatus est ad graciam episcopi et habuit de thesauro quantum voluit. Postea reversus ad cor tantum de facto penituit, quod numquam alicui vultum hilarem ostendebat, et pluries interrogatus a quodam sibi famulo secreto, quomodo non gauderet, cum tamen esset in honore et reverencia et in bonis solempniter exaltatus, tandem dixit ei: Dignum est quod doleo, quia Christum et gloriosam matrem ejus abnegavi. Et exposuit ei totum factum. Quod audiens famulus dixit: Domine, revocetis audacter. Deus utique parcet vobis.

Cui Theophilus: Heu me, dedi cyrographum, quod revocare non possum. Et sic mutuo **[329v:]** conferentes venerunt prope quandam capellam, ubi apparebit eis, quod elevacio corporis Christi fieri debebat per sonum campane. Et famulus incitavit Theophilum, quod descendebat de equo, et intraverit capellam ut videret elevacionem. Et cum prope altare venit, populus congregatus fuit retro eum et incepit sedere audiendo missam et sermonem. Hic videbat populum sedentem, audientem sermonem. Theophilus autem sedebat cum aliis.

Predicator vero incepit predicare de misericordia Christi probans ex eo verbo prophetico [Ps. 144,9]: *Misericordia ejus super omnia opera ejus,* quod non esset possibile, quod unquam aliquis peccator tantum peccasset, si misericordiam Dei imploraret, quin veniam optineret. Annectens eciam quomodo beata virgo esset mater misericordie ordinata tamquam mediatrix inter Deum et hominem et plena gracia esset. Si petenti abnegare vellet non posset, et si posset non vellet.

Quod audiens Theophilus incepit mirabiliter lacrimari et statim sermone facto desideravit confiteri, et postquam sacerdos id singulare

factum percepit, contristatus est valde cum eo, et multa alia sibi narravit de misericordia Christi, exponens ei per plura exempla quomodo beata virgo pluries liberavit, et consuluit ei ut poneret se ad oracionem ante altare beate virginis.

Theophilus vero sternens se ante altare oravit et amarissime flevit, sic quod tandem ex dolore nimio obdormuit. Et apparuit ei in visione quod beata virgo venit ad eum et dixit: Theophile, non te negavi, sed me negasti. Sed fatue egisti quod cyrographum dedisti, quod propria manu sigillasti. Et sic displicens [disparens?] modicum revertabatur portans ad eum cyrographum, quod demoni dedit, et dixit: Ecce cyrographum hoc, ut sis exemplum omnium, quantum filius [meus] numquam denegat veniam postulanti. Et statim Theophilus evigilans invenit cyrographum in manu sua, quod dedit demoni, et conversus ad penitenciam intravit religionem serviens continue Deo et beate Marie virgini.

## Dominica prima in xl$^{ma}$

*Ductus est Jhesus in desertum a spiritu etc.* [Mat. 4,1], cum allegoria de Adam[132].

## Dominica 2$^{a}$ in xl$^{ma}$

*Egressus Jhesus secessit in partes Thyri* [Mat. 15,21], cum allegoria illius imperatoris, qui cecus factus est extra palacium nihil videns etc.[133]

## Dominica 3$^{a}$

[Luc. 11,14:] *Erat Jhesus ejiciens demonium etc.*

## Domenica 4$^{a}$

[Joh. 17,1:] *Cum sublevasset oculos Jhesus.*

[132] Propably De imperatrice noverca f.154v

[133] f.. 185v

## Dominica 5[a]

[Joh. 8,46:] *Quis ex vobis arguet me de peccato,* cum exposicione sequentis versus: Spes, et allegoria imperatoris, qui dedit filio suo 3[s] honores et 3[s] molestias pro triumpho contra regem Egypti, quando revertebatur Romam etc.[134]

## Dominica 3[a] Quadragesime

*Erat Jhesus ejiciens demonium etc.* [Luc. 11,14]. Ejiciens preterit tempus sc. tunc et nunc et in futoro. Item tripliciter ejecit demonium videlicet in celo empyreo, in mundo et in limbo. Igitur secundum hanc triplicem ejeccionem dicitur Dominus triplices habuisse substancias sc. divinitatem, carnem et animam. Naturam divinitatis ostendebat in celo empyreo, ut dicitur Is. [14,12]: *Quomodo cecidisti, Lucifer, in celo, qui in mane oriebaris etc.* Naturam carnis ostendit in mundo dum dicitur [Joh. 12,31]: *Nunc princeps mundi ejicitur foras* sc. per passionem meam. Naturam anime ostendit in limbo. [Osee 13,14:] *O mors, mors tua ero, inferne.*

Ita adhuc demonium tripliciter ejicitur in mundo. Primo per potentem sacramentum sc. baptismum. Unde apostolus [Rom. 6,3]: *Quicunque baptizati sumus in Christo Jhesu, in morte ipsius baptizati sumus.* 2[o] per sapienciam verbi in predicacione, ut dicitur hodie in evangelio [Luc. 11,28]: *Beati qui audiunt verbum etc.* 3[o] per asperam penitenciam in sui corporis flagellacione. Unde apostolus [Galat.5,24]: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt.*

Propter 3[s] causas redditur racio ipsos phariseos falsum contra Christum dixisse. Primum propter regnum divisum, 2[o] propter armatum fortem, 3[o] propter spiritum immundum. Primum notatur ibi [Mat. 12,25]: *Omne regnum in se etc.* 2[m] ibi [Luc. 11,21]: *Cum fortis armatus custodit.* 3[m] [Luc. 11,24]: *Cum autem spiritus immundus.*

---

[134] f. 157v

## De desperacione

Nota sex sunt pro quibus homines solent desperare[135]. Primo propter peccati magnitudinem. Gen. 3º [4,13]: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* 2º propter peccatorum multitudinem. Prov. [18,3]: *Peccator cum in profundis venerit.* 3º propter peccati turpitudinem. Apostolus [Eph. 5,12]: *Quid in occulto.* 4º propter peccati diuturnitatem. Ideo est peccatum ad mortem sc. perseverans ad mortem. 5º propter peccati infamiam, quando quis considerat peccata sua ad noticiam pervenisse, desperet pre confusione. Jer. [2,25-26]: *Dixisti: Desperavi.* Et redditur ibi causa: *Quomodo confunditur fur, cum deprehenditur, sic confusa est domus Israel.* 6º propter peccati iteracionem. Jac. iiº [2,10]: *Qui in uno offendit.* Ita reus allegat pro se.

Sed dico tibi peccatori cuilibet: Si desperes propter peccati magnitudinem, habes Petrum qui Christum negavit, quod est magnum peccatum, et tamen Dominus respexit eum oculis misericordie. Si pre multitudine desperes, habes Mariam Magdalenam, que habebat vii demonia, et tamen dimissa sunt ei peccata multa. Si propter turpitudinem, habes mulierem in adulterio deprehensam cui dictum est [Joh. 8,11]: *Vade, et noli amplius peccare.* Si propter peccati diuturnitatem, habes latronem qui usque ad mortem in malo perseveravit, et dicitur ei [Luc. 23,43]: *Hodie mecum eris in paradiso.* Si propter infamiam, habeas Matheum publicanum sc. publicum canem, et tamen dictum est ei [Marc. 2,14]: *Sequere me. Et secutus est eum.* Si propter peccati iteracionem, habes expressam auctoritatem Mat. [18,21]: *Quociens peccabit.* Hec omnia notantur in Ps. [85,15]: *Misericors et miserator et justus.* Misericors in Paulo, miserator in Petro, justus in Johanne.

---

[135] The same passage on desperation fol. 95Av

## De penitencia

O penitencia, que miserante Deo peccatum remittis, paradisum aperis, contritum sanas, tristem exhilares, ad vitam de interitu revocas graciamque abundanciorem peccatori infundis. O penitencia, quid de te referam. Omnia ligata tu solvis, omnia adversa tu mitigas, omnia obfuscata tu lucidas. O penitencia, tu es splendidior sole, tu es salus animarum, remissio peccatorum, restitucio virtutum, fuga demoniorum. Quid plura, obstruit os inferni, aperit januam paradisi.

Ergo dicat peccator: Non tacebo peccatum meum sc. salvabor secundum animam, nec tacebo iniquitatem meam, ut Dominum inveniam propicium. Hec Chrisostemus et Ciprianus de virtute confessionis. Bernardus: Sive hominis diu vivendi magnam penitenciam injungendi, sive peccata confitendi, sive in peccatis perdurandi sive perseverandi.

Spes, timor atque pudor, sed desperacio major. Penitencia est ante acta peccata deflere et flenda iterum non committere. Item de desperacione dicit Leo papa in quodam sermone: Sceleracior omnibus, Juda, et infelicior omnibus extitisti, quem penitencia non reduxit ad Dominum. Sed desperacio traxit ad laqueum. Magis Deum offendisti, cum de ipsius misericordia desperasti, quam quando Jhesum ejus filium ad mortem tradidisti.

$4^{or}$ impediunt quod crimen non fateatur. Exemplum de Jherusalem - quam videns Dominus dixit [Luc. 19,42]: *Si cognovisses tu etc.* Item de Sodoma et Gomorra et aliis $5^{e}$ civitatibus. Item de juvene portatum extra civitatem Nain [Luc. 7,13] *quem videns Dominus misericordia motus etc.* Timor. Seneca: Non times coinquinari, times confiteri. Augustinus: O homo, quid times confiteri. Id quod per confessionem scio, minus scio quam id, quod nescio. Cur erubescis confiteri peccata tua? Peccator sum sicut et tu. Confitere homo homini, peccator peccatori. Elige quod vis. Si non confessus lates inconfessus, dampnaberis. Hec iste.

Item pudor. Exemplum de Carolo imperatore liberato per sanctum Egidium abbatem etc. Desperacio. Exemplum de Cain, de Juda ut supra.

## Dominica ix[a] post trinitatem vel super illud evangelium

*Simile est regnum homini regi, qui voluit ponere racionem cum servis suis.* Mat. xviii [23], quod habetur in dominica xxii[a] etc. Luc. xvi [16,2]: *Redde racionem villicacionis tue*, vel hic coram confessore tuo vel in futuro coram summo judice et toto mundo.

## Item miraculum de Domina in assumpcione ejus.

Ad judicium Dei quidam in visione capitur, qui peccatorum sarcina gravabatur. Et ecce Sathan affuit et dixit: Nihil in anima ejus habetis proprii, sed mei potius exstat dominii. Habeo enim inde publicum instrumentum. Cui dixit Dominus: Quid est instrumentum? At ille: Instrumentum habeo, quod proprio ore dixisti et perpetue duraturum sanxisti. Dixisti enim [Gen. 3,5]: *Quacunque hora comederitis, morte moriemini.* Cum igitur iste sic de progenie illorum, qui cibum vetitum comederunt, jure instrumenti publici mecum in judicio debet mori.

Dixit autem Dominus: Permittitur homo pro se loqui. Ille autem obmutuit. Dixit iterum demon: In mea eciam prescripcione est, quia eum jam xix annis possedi. Iterum dixit demon: Adhuc meus est, quia si aliqua bona fecit, ejus tamen mala incomparabiliter vincunt bona. Dominus autem nolens contra eum cito proferre sentenciam, eidem octo dierum terminum concessit, ut octavo die coram se compareret et de hiis omnibus racionem redderet.

Cum igitur a facie Domini tremens ac merens abiret, quidam ei obviavit et causam tante tristicie requisivit. Cui cum iste per ordinem retulisset, ait ille: Ne timeas nec formides, quia de primo te viriliter adjuvabo. Cum autem ab eo interrogaretur, quo nomine vocaretur, dicit: Veritas est nomen meum. Invenitque secundum, qui promisit eum juvare efficaciter. De 2[o] interrogato enim [ab] eo, quo nomine vocaretur, respondit: Justicia vocor.

Die autem octavo ad judicium venit, et demon ei primum objecit. Ad quod respondit veritas dicens: Duplicem esse mortem novimus sc. corporis et jehenne. Istud ergo instrumentum, quod pro te, demon, allegas, non locutus de morte jehenne, sed de morte corporis. Quod quidem ex hoc manifestum est, quia cum omnes sentencia una

includantur ut corpore moriuntur, **[331r:]** non tamen omnes jehenne ignibus moriuntur. Quodcunque enim ad mortem corporis ducativum est, quodcunque vero a morte jehenne per sanguinem Christi est revocatum. Tunc demon videns in primo succubuit. 2^m^ ei objicere cepit, sed justicia affuit et pro eo totaliter respondit: Licet enim multis annis servum possideres, tamen racio semper contradicit. Semper enim racio murmurabat, quod tam crudeli domino serviebat. Ad 3^m^ objectum neminem habuit adjutorem.

Dixitque Dominus: Afferatur statera, et bona et mala omnia ponderantur. Veritas autem et justicia peccatori dixerunt: Ad matrem misericordie, que juxta Dominum sedet, tota mente recurre et eam in tuum adjutorium invocare stude. Quod cum ille fecisset, beata Maria in ejus adjutorium venit et super stateram ex illa parte, ubi erant pauca bona, manum apposuit. Diabolus autem ex alia parte trahere conabatur, sed mater misericordie prevaluit et peccatorem liberavit. Ille igitur ad se rediens in melius vitam suam mutavit. Tantum de illo.

## Item de resurreccione Domini

*Jhesum queritis nazarenum, crucifixum. Surrexit, non est hic. Ecce locus ubi posuerunt eum.* Mat. ultimo [Marc. 16,6]. Circa predicta verba potest notari Christus quadruplici causa resurrexisse. Primo propter divinitatis sue potenciam ostendendam, 2^o^ propter fidem in Christo firmiter non credentium solidandam, 3^o^ propter consolacionem tristium in seculo remanentium sublevandam, 4^o^ propter future resurreccionis certitudinem premonstrandam.

Primo resurrexit propter divinitatis sue potenciam omnibus ostendendam. Qui enim infirmitatem carnis ostendit in passione, nunc potenciam divinitatis ostendit in resurreccione. Ad Romanos xiiii [14,9]: *In hoc Christus mortuus est et resurrexit, ut et vivorum et mortuorum dominaretur.* Dignum enim erat ut, qui humiliaverat se infra omnes angelos et infra omnes homines, exaltaretur super omnes angelos et homines. Ad Phil. 2^o^[,8]: *Humiliavit semetipsum, factus obediens patri usque ad mortem, propter quod et Deus exaltavit illum et dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jhesu omne genu flectatur celestium, terrestrium et infernorum.* Unde ipse post

resurreccionem dicit Mat. ultimo [28,18]: *Data est mihi omnis potestas in celo et in terra.* Ante passionem siquidem super omnia habuit potestatem, sed tunc non ostendit. Si enim suam potestatem exercuisset, numquam judei eum crucifixissent, quod patet cum ad turbas loqueretur.

2° surrexit propter fidem in Christo firmiter non credentium solidandam. Quis enim crederet Deum fuisse, nisi surrexisset a mortuis, cum eciam omnes apostoli de hoc dubitarent, immo omnes de hoc mundo sola beata virgine excepta. Unde Math. ultimo [Marc. 16,14]: *Recumbentibus xi discipulis apparuit illis Jhesus et exprobravit incredulitatem illorum et duriciam cordis etc.*

Perpende quam difficile fuit credere Christum resurrexisse. Jhesus ante passionem predixerat suam resurreccionem, angeli post resurreccionem testimonium perhibuerunt, apparuit post resurreccionem suam, et audierunt vocem et personam ejus viderunt. Apparuit **[332r:]** mulieribus, duobus discipulis in via, Petro et omnibus discipulis simul congregatis. Intravit ad eos januis clausis, ostendit eis manus et pedes et latus, et adhuc apostoli de sua resurreccione dubitaverunt. Interdum enim cum eum viderent et audirent, eum crediderunt, et sic ab hora mortis usque ad diem ascensionis numquam perfectam fidem habuerunt. Sed perfecta fides et integra remansit in beata virgine. O virgo beata super omnes apostolos, quia fidem perfectam habuisti et numquam in fide dubitasti. Ora pro nobis, ut per tua merita in fide confirmemur, ne in errorem perfidie incidamus.

3° surrexit Christus propter consolacionem tristium in seculo remanentium sublevandam. Ps. [11,6]: *Propter miseriam et gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.* Passio Christi multos tribulavit. Ideo Christus resurgere voluit ut eos consolaretur, qui de sua passione turbati fuerunt. Sane puto quod beata virgo, que super omnes in passione fuerat turbata, sic hodie super omnes de filii sui resurreccione est consolata. Unde ipsa potest dicere ad filium suum [Ps. 93,19]: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolaciones tue letificaverunt animam meam.* Que mens capere vel que lingua exprimere poterat gaudium, quod beata virgo habuit de filii resurreccione, qui hodie a morte resurrexit, ita quod de cetero numquam mori poterit, nec infirmari, nec aliquam penam sustinere.

Sed quare beata virgo non quesivit filium suum in sepulchro sicut alie mulieres, ad hoc respondet Augustinus dicens: Pia mater immenso ululans dolore delicata pectora contundens, sic ipsa viscera omniaque fatigaverat membra, ut gressu deficiens vix ad funus filii pervenire

potuisset. Quapropter oportuit quod beata virgo, que de filii morte turbata fuerat, hodie de ejus resurreccione letificata est. Unde in ejus persona dicitur: Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia quem querebam, apparuit mihi.

Sic eciam discipuli, **[332v:]** qui erant tristes de morte Domini, hodie letificati sunt. Joh. xx [20,20]: *Gavisi sunt discipuli, viso Domino.* Ideo namque Christus resurrexit in corpore, ut peccator resurgat in anima. Sicut Christus mortuus est et resurrexit numquam de cetero moriturus, sic tu debes mori a peccato et resurgere per penitenciam numquam moriturus de cetero per culpam. O Domine Jhesu Christe, per tuam sanctam resurreccionem da hodie, ut omnes peccatores a morte anime resurgant per penitenciam et ab ea deinceps numquam cadant.

4$^{o}$ surrexit propter future resurreccionis certitudinem premonstrandam. 1.Cor. xv$^{o}$ [15,12]: *Si Christus predicatur, quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quod resurreccio mortuorum non est,* quasi diceret: Ideo Christus resurrexit, ut ostenderet futuram resurreccionem fore possibilem. Sed quia difficile est credere, quomodo corpora incinerata vel a bestiis comesta possunt eodem modo resurgere, notandum quod istud potest ostendi ex 4$^{or}$, ex scriptis et figuris, racionibus congruis et creaturis.

Primo ostenditur ex scriptura Job xix [19,25-27]: *Scio quod redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo salvatorem meum, et oculi mei sc. carnales conspecturi sunt.* Sic apte apparet quod homo idem [eodem?] modo resurgat. Numquam corpus humanum potest ita incinerari vel in tot partes dividi, quin in die novissimo, statim ut insonuerit vox filii Dei, integraliter reformabitur et anime sue unitur, in momento, in ictu oculi ad judicium adducetur.

2$^{o}$ ostenditur ex figuris Ezechielis xxxvii, ubi dicitur de ossibus aridis, que in figura ostensa fuerunt prophete, quod de eo prophetante ossa ad ossa, unumquodque ad juncturam suam et super ea nervi et carnes ascenderunt, et extensa est cutis desuper, et postea ingressus est spiritus in ea, et vixerunt. In hoc figurata est futura resurreccio. Unde ibidem subditur [Ez. 37,12]: *Hec dicit Dominus: Aperiam tumulos vestros et educam vos de sepulchris vestris,* popule meus. **[333r:]**

3$^{o}$ ostenditur ex creaturis. Legitur de leone, quod cattuli ejus cum nati sunt, dormiunt per tres dies et jacent ut mortui, quod videns leo rugit et clamat per triduum et clamore suscitat eos. Sic Christus, qui dicitur leo de tribu Juda, clamavit primo die sc. vite sue in hoc mundo, quando

predicavit, et $2^{o}$ die passionis, quando cum clamore valido exspiravit. Et clamabit $3^{o}$ die adventus sui ad judicium, et ad illum clamorem omnes mortui suscitabuntur. Unde [Joh. 5,28]: *Venit hora quando omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei.* Item de pelicano, quod pullos suos mortuos per sanguinem suum resuscitat. Sic Christus per virtutem sanguinis sui omnes mortuos suscitabit.

Item legitur de fenice, quod solet vivere per quingentos annos, quod circa ultimum vite sue facit sibi nidum de lignis aromaticis, qui ex calore solis accenditur. Et fenix descendens in ignem comburitur, et ex cineribus illis alius fenix ascenditur. Si natura potest de cineribus illis vivum fenicem producere, multo magis potest Christus, qui conditor est nature, de cineribus corporis humani vivum hominem resuscitare. Unde Joh. v [6,40]: *Hec est voluntas patris mei, qui misit me, ut omnis qui videt filium et credit in ipsum, non pereat, sed habet vitam eternam. Et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Ad hanc vitam nos resuscitat etc.

## De nativitate Domini pulchrum notabile exemplum.

O quam delectabilis est hodie tractare de isto dulci et benedicto puero, quia ubicunque duo colloquntur de eo, semper vult esse eorum $3^{us}$. Unde lege exemplum, quod fuerunt due juvenes puelle in quodam claustro multum sociales, que in hac sacra nocte quandam desertam domum intraverunt illius claustri post primam missam, portantes secum tres cussinos, ut in eis collacionem haberent de puero Jhesu, donec pulsaretur ad $2^{m}$ missam.

Querebat autem una illarum quare duos cussinos haberet, et ipsa tantum unum. Respondit alia: Ego unum illorum ponam in medio, ut puer Jhesus desuper sedeat. Quia ipse dicit [Mat. 18,20]: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Quid plus, ipse virgines sederunt in jocunditate talis collacionis a festo nativitatis Christi usque ad festum nativitatis Johannis Baptiste, non putantes interim spacium duarum horarum fuisse. Abbatissa vero et alie moniales erant perterrite ignorantes, ubi hee due virgines remansissent.

Contigit autem in vigilia sancti Johannis Baptiste, quidam bubulcus claustrum perambularet et casu ante hanc desertam domum veniret, in qua vidit has duas puellas in magno gaudio positas et perditas. Tandemque vidit in medio earum quendam pulchrum parvulum positum super cussinum. Qui tacens statim indicavit abbatisse, que secuta

bubulcum usque ad domum illam vidit hunc dilectum puerum quasi ludentem cum eis. Cumque pre rubore abbatissam interrogarent, utrum pulsaret ad 2am missam, nihil aliud putantes quasi per breve spacium se fuisse illic, respondit abbatissa considerans earum simplicitatem: Filie karissime, cito pulsabitur ad 2am missam. Sed ubi dimisistis qui inter vos consedebat?

Cui ille virgines cum juramento dixerunt se nullum puerum in earum consorcio vidisse. Quibus ista ait: Sorores mee, nolite expavescere. In vestro consorcio fuit puer Jhesus quem vos non vidistis, licet ego vidi. Qui vos conservavit in tali gaudio a nocte nativitatis Christi usque in vigiliam Johannis Baptiste. Et eas cum summa reverencia usque in medium aliarum sororum duxit. Et omnia que vidit ceteris enarravit.

Ideo, fratres karissimi, quotienscunque audiverimus verbum propositum [Luc. 2,10]: *Evangelizo vobis etc.*, letari debemus, quia ipse pro nobis nasci voluit, ut nos reduceret ad patriam celestem. Ad quam.

**De passione Domini**

*Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem.* Ad Philip. 2°[,8]. Notandum quod Christus humiliavit se vi modis. Primo formam servi accipiens et non tantum formam servi, sed eciam omnes generales infirmitates hominum assumpsit, et non personales sc. egritudines, sed naturales que respiciunt totam naturam, ut sunt fames, sitis et similia, ut dicit magister sententiarum in 3ª distinccione 13. Illas assumpsit que sunt ad humane veritatis ostensionem et ad sui corporis consummacionem. Et dicit Bonaventura quod tales assumpsit propter exemplum humilitatis [et] pietatis.

2° humiliavit se in vestimentis, ita quod pauperiem incederet, quia secundum Johannem Chrisostemum in Palestina utebantur talibus vestimentis pauperes. Incessit eciam sine caligis et calciamentis, ut dicit Jheronimus ad Eustochum. Sic omnes apostoli. Et ponitur in speculo postillari super verbo isto [Mat. 21,12:] *Expulsit vendentes etc.*, quod fuit quinque corda de fune facta. De illis fecit flagellum cum quo ejecit vendentes.

3° humiliavit se humilibus operibus. Nam inquit [Mat. 20,29]: *Non veni ministrari, sed ministrare.* [Mat. 11,29]: *Et discite a me, quia mitis sum etc.* Quid ergo humilius quam Deus lavit discipulorum pedes, ostiatim mendicare, cum publicanis manducare, cum rudibus et despectis conversari. Nam habuit unum potentem servitorem sc. centurionem, unum divitem sc. Zacheum, unum sapientem sc. Nichodemum, ut omnes pompas confutaret. Quapropter quidam sic ait: O summa Dei benignitas, o stupenda et inaudita, nec in posterum audienda humilitas, dum ad piscatorum pauperum pedes inclinata est divina majestas. Nec est dubium, quin lutum ablueret, dum ad eos flecteretur. Quis se exaltat, quis se humiliet.

4° humiliavit se omnem gloriam mundanam fugiendo. Quapropter cum pavisset v milia hominum in deserto, et ipsum voluissent facere regem, fugit ab eis. Et quamvis a tribus regibus, a Simeone et a populo in die palmarum honoratus fuit, tamen istum honorem humillime **[334v:]** sumpsit. 5° humiliavit se infra nostra facinora, ista portans secundum illud [Is. 53,4]: *Dolores nostros ipse portavit* super ligno crucis. Ipse enim fuit agnus Dei qui tulit peccata mundi, quamvis ipse non peccavit, nec inventus est dolus in ore ejus. Ideo dicitur de eo in Ps. [68,5]: *Que non rapui, tunc exsolvebam.*

$6^{o}$ humiliavit se mortem turpissimam eligendo et liberrime moriendo, ut in qua morte [Ps. 21,7] *factus est ut vermis et non ut homo, obprobrium hominum et abjectio plebis.* Que profundissima humilitas patet et claret ex vili latronum societate, corporis nuditate, tormentorum qualitate, propter quod inquit [Ps. 21,8]: *Omnes* inimici mei *deriserunt me.*

Nota quod homo sc. Adam in uno crimine plura perpetravit. Primum fuit superbia, dum equalis Deo voluit esse. Et ideo omnium infimus factus est, qui omnibus prelatus erat. Unde dicitur: Immundus est coram Deo omnis, qui exaltat cor suum. Contra hoc Christus maxime se humiliavit.

$2^{o}$ fuit inobediens, ex quo divinum mandatum violavit. Et ideo facta sunt ei omnia inobediencia, que prius erant ei subjecta. Ideo Christus obediens ad mortem. $3^{o}$ fuit avarus, quando plus voluit habere, quam ei concessum erat. Et ideo omnia ei concessa juste amisit. Unde dicitur: avaricia est idolorum servitus. Ideo Christus pauperrimus erat juxta illud [Mat. 8,20]: *Vulpes foveas habent et volucres celi nidos etc.* $4^{o}$ fuit sacrilegus, cum vetitum in sacro loco quasi per fructum surripuit, et ideo de sacrario excludi meruit. Unde dicitur: Qui prophanat sancta, a sanctis exterminabitur. Ideo Christus sanctissimam animam suam dedit.

$5^{o}$ fuit spiritualis fornicator. Animam enim illius fuit Deo conjuncta, sed spreto Deo diabolo adhesit, quasi cum extraneo adulterium commisit. Et ideo veri sponsi amiciciam amisit. Unde dicitur in Ps. [72,27]: *Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.* $6^{o}$ fuit homicida quia se et omne genus humanum in mortem precipitavit. Unde dicitur: Qui occidit, morte moriatur. Ideo Christus mortuus est. $7^{mo}$ fuit irreverens, quia homo honorem, quem Deo suo impendere debuit, diabolo fecit, quando consentiendo dictis diaboli de ligno comedit.

Preter hec vii peccata **[335r:]** incurrebat Adam in septem miseriis. Primo insipienciam, ex quo prius habuit sapienciam, quia scivit mandatum Dei esse talem, si transgrederetur morte moreretur, dum dixit [Gen. 3,3]: *Forte moriamur.* Ideo dicitur de eo in Ps. [48,13]: *Homo cum in honore esset, non intellexit* sc. quomodo majorem honorem habere potuit. Si enim aliquis homo haberet omnia regna mundi, et totus mundus obediret ei, numquid talis esset magnus honor. Sic Adam quia omnis creatura vivens obediebat ei, ut habetur Gen. $2^{o}$, sed talem honorem non intellexit. Quid ergo sequitur? Comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis, quia sicut jumentum non habet

intellectum nec sapienciam, sic Adam quando fuit expulsus non habuit aliquam sapienciam, cum qua ad statum pristinum potuit remeare.

Ideo habetur in Ps. [72,19]: *Perierunt propter suam insipienciam.* Sicut habemus exemplum de Salomone. Salomon enim fuit sapientior omnium hominum, numquid consentiendo dictis mulieris fuit insipiens factus. Sic eciam Adam fuit magna stulticia a Deo recedere et diabolo adherere. Ideo clamavit [Eccli. 24,5]: *O sapiencia, que ex ore altissimi.* 2º in cecitatem. Ipse enim ante transgressionem Domini precepti vidit archangelum, sicut magister sentenciarum dicit, et eciam vidit se esse in delectabili statu sc. in paradiso, ubi omnia delectabilia fuerunt. Sed immediate fuit cecus factus, quia fuit expulsus de tali gaudio et visione et in tenebris secundum illud Isa. [Ps. 106,10]: *Sedentes in tenebris et umbra mortis.* Ideo potest dici illud de eo [Sap. 2,21]: *Excecat eos malicia eorum.*

Exemplum de Sampsone Judic. vº [16], qui fuit fortissimus hominum, sed omnem fortitudinem quam habuit, in crinibus habuit. Sed Dalida uxore sua radente crines suas perdidit fortitudinem, et philistei ipsum apprehendentes excecaverunt eum. Per istum Sampsonem intellige Adam, qui fuit tante fortitudinis quod nullus eum superare potuit, sed talem fortitudinem habuit in crinibus sc. in mandato Dei, quia quamdiu tenuit mandatum Dei sui, nullus inimicus potuit ipsum perdere vel destruere. Sed per istam Dalidam intellige Evam, que tradendo sibi **[335v:]** pomum amputavit crines sc. obedienciam Dei, quibus amputatis philistei sc. diaboli apprehensum Sampsonem sc. Adam excecaverunt in utroque oculo sc. corpore et anima. Quando enim homo taliter fuit excecatus, clamavit ad celum et dixit: O oriens splendor lucis eterne, veni et illumina sedentem in tenebris et umbra mortis.

3º fuit vinculatus qui prius habuit voluntatem suam, ita quod libere potuit facere quidquid delectabile erat. Post transgressionem divini mandati fuit vinculis diaboli traditus sicut Zedechias 3.Reg.15 [4.Reg.25] 2.Par.33 [36] ubi legitur quod Nabuchodonosor vinctum Zedechiam compedibus duxit in Babilonem et posuit in carcerem. Nabuchodonosor interpretatur sedens in angustia et signat diabolum, qui sedet in angustia dampnacionis. Ipse cepit Zedechiam sc. temptando vicit genus humanum, in quo manifestatur Dei justicia, que intelligitur per Zedechiam. Et vinctum compedibus sc. vinculis peccatorum et duxit in Babilonem sc. in infernum et posuit eum in domo carceris sc. in tenebris et umbra mortis, secundum illud Is. 43 [42,7]: *Sedentem in tenebris etc*.

Propter hoc compulsus est clamare ad Dominum pro eductore. Deut. 25° [26,7-8]: *Clamavimus ad Dominum Deum, qui exaudivit nos et respexit humilitatem nostram et laborem et angustias nostras et eduxit nos de Egypto in manu forti et brachio extento.* Ideo habetur in Ps. [106,6]: *Clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, et de necessitatibus eorum eduxit eos.* Et quid clamaverunt nisi: O clavis David et sceptrum domus Israel, [Apoc. 3,7] qui aperis et nemo claudit, claudit et nemo aperit. Veni, educ vinctos de domo carceris sedentes in tenebris et umbra mortis. Clavis David potest dici Christus crucifixus, per quem janua celi fuit reserata. O quanta difficultate domus reseratur, que diu fuerat clausa. Aliquando reserans sudat et ledit manum in laborando. Sic Christus, dum aperuit januam, sudavit sanguinem, vulnerate sunt manus ejus.

4° fuit venundatus qui prius fuit creatus in tam pulchro statu et Deo unitus, quod nulla controversia eum a Deo separasset, si non peccasset et vendidisset **[336r:]** se diabolo secundum illud Is. lii° [52,3]: *Venundati estis et sine argento redimemini.* Vere potest dici gratis, quia pro parvo pomo vel ficu secundum doctores. Sed heu, diabolus hominem sic venditum multum afflixit, sicut Joseph fuit venditus in Egypto et ductus in carcerem. Ideo compulsus est clamare pro redemptore et dicere: O Adonai et dux domus Israel, qui Moisi in igne nubi etc. Veni ad redimendum nos in brachio extento.

Hunc clamorem Dominus audivit et misit filium suum unigenitum. Is. lvii [58,9]: *Invocabis, et Dominus exaudiet, et clamabis, et dicet: Adsum.* Quia misericors Dominus tuus ego sum. Potest bene dici magna misericordia, seipsum dedit ut te redimeret, sanguinem fudit ut te libertati restitueret. Ad Titum 2°[,14]: *Semetipsum dedit ut nos redimeret ab iniquitate nostra, et ut mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Servi solent sectari dominum.

Sic tu cum fuisti servus diaboli, fuisti sectator operum ejus, sic autem redemptus a servitute diaboli factus es servus Dei. Et cognosce quomodo Christus te venditum diabolo redemit et seipsum pro vilissimo precio sc. triginta argenteis vendidit, sicut habetur Mat. Dixit Judas ad judeos [Mat. 26,15]: *Quid vultis dare mihi.* Considera eciam quo precio te redemit sc. per precium sanguinis sui. 1.Pet. 1°[,18]: *Non corruptibilibus auro et argento etc.* Dignior est enim una anima toto auro mundi, ideo per aurum non potuerit redimi sed per preciosum sanguinem Christi. Apoc. v [5,9]: *Redemisti nos, Domine, in sanguine tuo.*

5$^{o}$ fuit captus. Thren. i$^{o}$ [1,5]: *Propter multitudinem iniquitatum* Ade et posteri ejus *ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis.* O quam miserabilis et flebilis captivitas. Primi parentes peccaverunt et totum genus captivaverunt. Tam acriter fuerunt captivati, quod nec angelus nec aliquis sanctus potuit genus humanum redimere. Ideo compulsus fuit homo clamare ad Deum. Ps. [56,2-3]: *Clamabo ad Deum altissimum, Deum, qui benefecit mihi, misit de celo et liberavit me.* Ideo cantatur in una antiphona: O radix Jesse, qui stas in signum populorum, super quem continebant reges os suum, quem gentes deprecabunt, veni ad liberandum nos, jam noli tardare.

Attende quod Christus stat in signum populorum. Qui enim currere stadium volunt, solent ponere signum, ad quod quicunque primitus **[336v:]** venerit, mercedem habebit. Sic Christus positus est in signum populorum, ut quicunque ad ipsum fide recurrerit, spe pervenerit, caritate tetigerit, mercedem eternam accipiat. Hoc est quod dicit apostolus ad Cor. 2$^{o}$ [1.Cor. 9,24]: *Nescitis quod hii, qui in stadio currunt etc.*

O homo, considera disposicionem signi et noli desperare. Considera quod signum illud sc. Christus in altum positum erat ut omnes currere volentes videant, in campo extra portas ut omnes accedere valeant, pedes affixi cruci ut te sustineant, caput inclinatum ut tibi osculum reconsiliacionis prebeat, brachia extenta ut te in custodium suscipiant. O homo, si vis de captivitate peccatorum liberari, noli timere ad illud signum recurrere velociter, et mercedem consequeris. Considera latronem, quomodo fuit velociter a captivitate diaboli liberatus. Luc. 23[,43]: *Amen dico tibi, hodie mecum in paradiso.* Hujus exemplo age, peccator, et Christus te de captivitate diaboli liberabit. Christus enim erat captus pro te.

6$^{o}$ homo per peccatum factus est mortalis in corpore. Certe si homo non peccasset, non aliquo elementorum fuisset suffocatus, nec umquam mori potuisset. Nunc autem ex quo Adam peccavit, necessario moriatur. Ad Romanos v$^{o}$ [5,12]: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit et per peccatum mors, ita in omnes homines mors pertransiit.* Hoc attendens homo clamavit pro salvatore, qui possit corpus in statum pristinum revocare. Ad Phil. 3$^{o}$[,20-21]: *Salvatorem exspectaremus Dominum, qui reformabit corpus etc.*

De hoc clamore habetur Esther x [10,9]: *Israel clamavit ad Dominum, et salvum fecit Dominus populum suum.* Preter quod cantatur in 6. antiphona: O rex gentium et dominator earum lapisque angularis, qui facis utraque unum sc. judeos et gentes per fidem, salva hominem,

quem de limo formasti. Considera ergo, homo, quid Christus pro te passus fuit ut corpus tuum reduceret ad pristinum statum. Ideo pro te mori voluit. Ad Rom. vi$^{o}$ [6,9]: *Christus resurgens ex mortuis etc.*

7$^{mo}$ homo fuit in anima mortificatus. Sap. 2[,23]: *Creavit Dominus hominem inexterminabilem ad imaginem et similitudinem suam.* Attende, homo, quam potentem, quam nobilem fecit. Fecit potentem quia inexterminabilem, nobilem quia ad imaginem suam, sed quod malus factus, hoc erat propter hominis stulticiam et diaboli astuciam. Gen. 3$^{o}$[,4-6]: *Dixit serpens ad mulierem: Nequaquam moriemini, scit enim* **[337r:]** *Deus*. Et sequitur: *Tulit mulier de ligno fructum et dedit Ade*, et sic transgrediendo preceptum obediencie occisus est tam corpore quam mente. Ergo incepit homo clamare ad Deum, ut eriperet eum de hac morte. Ps. [106,18-19]: *Appropinquaverunt usque ad portas mortis et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, et de necessitatibus eorum eduxit eos.*

Propter hoc cantatur in ultima antiphona: O Emmanuel, rex et legifer noster, exspectacio gentium et salvator earum, veni ad salvandum nos, Domine Deus noster. Hunc clamorem Deus audivit et in mundum filium suum misit. Luc. xx [19,10]: *Venit Jhesus querere et salvum facere, quod perierat.* Considera per quid animam tuam salvavit. Certe per tristiciam, quam pro te sustinuit. Mat. 28 [26,38]: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Vis scire tristiciam, audi quid dicat evangelista Lucas [22,43]: *Factus in agonia prolixius orabat, et factus est sudor ejus sicut gutte sanguinis etc*.

Sed nota ulterius sequitur. **[336r is blank. 336Av:]** Nota quod Christus ab instanti nativitatis sue usque ad mortem habuit 6 passiones sibi presentes. Nam primo cognovit clare omnes offensas sibi factas et faciendas, quas summe detestabatur ab instanti sue concepcionis propter magnitudinem divine majestatis offense et propter magnitudinem caritatis sibi infuse. 2$^{o}$ propter prodicionem multorum, propter quos salvandos venit. 3$^{o}$ ab instanti sue concepcionis cognovit omnia tormenta sibi inferenda unumquemque gradum conjunctim et diversim cuilibet passioni sibi future.

4$^{o}$ cognovit tormenta omnium electorum futura et maxime sue benedicte matris Marie, quas omnes et singulas eorum passiones, temptaciones, pericula et tormenta visceraliter in suo corde ab instanti sue nativitatis visceraliter portavit, et plus sustinuit ex illorum passionibus quam ex sua propria passione. 5$^{o}$ ingratitudinem omnium illorum, qui sibi et suis erant ingrati, quibus eciam visceraliter

condolebat. 6° omnes supplicaciones et humiliaciones, quas ad suum patrem habere deberet pro nobis redimendis. Istis 6 modis patiebatur et maxime angustiis nostris. Sequitur

**[337r cont.:]** Sciendum est quod ante vii dies pasche sc. in vigilia palmarum Jhesus ivit de Jherico in Bethaniam, ubi in domo Simeonis leprosi magnum convivium fuit Domino preparatum, ubi Martha ministravit et Lazarus resuscitatus a Domino interfuit, et Maria Magdalena edocta a spiritu sancto ungentum preciosum super caput Jhesu effudit. Quod videntes discipuli murmurabant et maxime Judas fur in eam dicentes, ut habetur Joh. 12°[,5]: *Quare hoc ungentum non venditur tricentis denariis et datum est egenis? Hoc autem dixit, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat et loculos habens,* et Christo oblata portabat, quorum decimum denarium furari consuevit. Jhesus autem ad utrumque respondit dicens: Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me, quod habuit, hoc fecit preveniendo ungere corpus meum in sepulturam. Pauperes semper habebitis vobiscum, et cum volueritis potestis illis benefacere. Me autem semper non habebitis.

Et exinde recepit [Judas] occasionem. Sciebat enim quod judei volebant eum interficere, quando locum et tempus ad hoc haberent. Ideo cogitavit, si vellent sibi aliquid dare, tunc vellet eum ipsis tradere, et sic determinavit secum. Sed prodicionem usque ad 4^am^ feriam protraxit. Dominica autem die sc. palmarum Dominus ivit de Bethania versus Jherusalem, et cum veniret Bethfage, misit duos discipulos **[337v:]** pro asino, et equitavit de Bethfage versus Jherusalem, et dicitur ibi evangelium [Mat. 21,3]: *Si quis dixerit vobis, dicite quia Dominus hiis opus habet.* Adduxerunt ad Jhesum et straverunt vestimenta sua, et super eum sedit. Clamabant pueri: Ossianna, salva nos, fili David. Juxta illud Zach. [9,9]: *Discite, filie Sion, ecce rex tuus venit tibi mansuetus sedens super pullum asine.*

Chrisostemus: Vis cognoscere mansuetudinem Christi, cognosce speciem adventus ejus. Non sedit in curru aureo preciosa purpura fulgens, nec super equum vel gradarium per discordiam et litem, non per gladium, hastam vel balistam vel alia arma invasoria, sed super asina tranquillitatis et pacis. Venit ergo mansuetus et humilis ad condempnandam pompositatem et arroganciam dominorum et prelatorum. Hec iste.

Magno honore fuit ibi susceptus et ductus per civitatem, qui modico intervallo fuit inde confusibiliter ejectus. Et cum appropinquasset Jherusalem, videns civitatem flevit super eam dicens [Luc. 19,42]: *Si cognovisses etc.* sc. peccata tua preterita, presencia et futura, ruinam que

tibi eveniet, fleres que modo letaris. Sic nos miseri, qui fuimus vel nunc sumus in prosperitate rerum temporalium, quia veniet judicium infra breve, quod subterfugere nequimus. Et sic factum fuit in Jherusalem, quando Titus et Vespasianus cum romanis violenta manu intraverunt, ut habetur in passionali in vita apostolorum Philippi et Jacob. Intrante eo commota est universa civitas, dum ejecit ementes et vendentes et mensas numulariorum dicens [Mat. 21,13]: *Domus mea etc.*

Et terrebantur juxta Chrisostemum propter radiosum fulgorem de oculis ejus egredientem, et timuerunt eciam turbam, quia eum sicut prophetam habebant. Principes autem sacerdotum audientes pueros clamantes dixerunt Jhesu: Non audis quomodo laudant te? Respondit Christus: Si pueri tacerent, lapides clamarent. Scriptum est [Ps. 8,3:] *Ex ore infantium etc.* Ceci et claudi et diversimode infirmi accesserunt ad Jhesum, et sanavit omnes. Et notandum quod sacerdotes templi causa avaricie permiserunt advenientes emere et vendere in templo, ut de longinquo venientes non habentes pecuniam usualem cambirent cum campsoribus sedentibus in templo cum mensis suis. **[338r:]** Et horum mensas evertis, de quibus dicit beatus Augustinus libro 6 contra Speusippum[?] : Nullus in ecclesia sedicionem excitet vel togam moveat, multo fortius feda et vana colloquia cessent in ecclesia divinum officium perturbantia ante oculos divine majestatis.

Et cum esset sero, circumspexit undique si aliquis vellet eum invitare ad cenam, et nemo audebat propter metum judeorum, quia jam conspirassent in eum. Rediit Bethaniam cum discipulis famelitus et lassus in domum Marie Magdalene ad consolandam matrem dolorosam propter imminentem ejus passionem, quia ipsa perceperat maliciam conspiracionis et ingratitudinem judeorum de omnibus beneficiis suis, ut impleretur verbum propheticum [Joh. 15,25]: *Odio habuerunt me gratis etc.* Colloquentibus mutuo Christo cum matre sua Maria et Maria Magdalena et cum discipulis ammonuerunt eum ad cenam, et suasit ei pia mater, in quantum licuit, ne iterum transiret Jherusalem.

Feria 2[a] mane ignorante matre benedicta ivit in Jherusalem. Lassus in via maledixit ficum infructuosam ad designandum omnes non fructificabiles esse maledicendos eternaliter. Et in templo presentaverunt ei mulierem in adulterio deprehensam, qui scribens in terra dicebat: Si quis vestrum sine peccato est, primo in eam lapidem [mittat]. Et exierunt unus post alium. Jhesus autem ait mulieri: Ubi sunt, qui te accusaverunt? Nemo te condempnavit? Nec ego. Vade in pace. Ad designandum quod tempus instaret, quo animam nostram adulteram de manibus inimicorum liberaret.

Illo die gentiles accesserunt ad Philippum volentes Christum videre, et dixit Jhesus: Venit hora, ut clarificetur filius hominis in passione per solis obscuracionem et aliorum signorum demonstracionem. Audita est vox dicens [Joh. 12,28]: *Clarificavi et iterum clarificabo.*

Vespere rediit ad Bethaniam famelitus et jejunus, quia nullus ausus est eum invitare, et intravit domum Marie Magdalene ad consolandum matrem tristem de suo recessu inopinato, et consuluit ipsum non redire ad Jherusalem. Sed quia piissima mater pro tunc non est exaudita, ideo merito nunc semper audiatur. Discipuli autem innuebant [Marie] Magdalene quod Christus esset jejunus, et nemo audebat propter metum judeorum porrigere sibi panem, nec haustum aque. Tamquam mendicus reprobatus, et hoc mater ejus sine merore non poutuit audire.

Feria 3[a] summo mane rediens Jherusalem docebat principes sacerdotum et interrogaverunt eum: Qua potestate ejecisses ementes et vendentes in templo? Respondit Christus [Mat. 21,27]: *Nec pro nunc dicam vobis,* **[338v:]** *in qua potestate hoc feci*, quia non estis digni scire. Judei quesierunt Christum in multis, si Lazarum resuscitasset, si cecum illuminasset et leprosos mundasset, et de multis aliis. Et nihil respondit, nisi quod tradetur principibus sacerdotum ad mortem, et multas tribulaciones super civitatem et populum evenire. Et querebant eum tenere et non potuerunt, quia nondum venerat hora ejus. Et ideo subjunxit: Ammodo non videbitis me, sc. post passionem, antequam in judicio in gloria divinitatis. Querentibus discipulis de hora judicii respondit Jhesus [Mat. 24,42-43]: *Vigilate, quia nescitis. Si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret.*

Cum Christus ibi sic tardasset ultra debitam horam, Maria mater occurrit ei cum magno merore timens eum captum vel occisum. Quam Christus humiliter salutavit querendo, quid ei accidisset. Discipuli responderunt quod docuisset et disputasset cum judeis, et erat eis cena parata in domo Marthe. Et in cena illa junxit se Judas Marie consedendo et confabulando, et quia gloriosa virgo novit Judam robustum et audacem, rogavit eum instanter, ut si perciperet eum capi vel vinculari, quod faceret ei dignam assistenciam non permittens eum torqueri vel puniri. Quod et ille falsa oris sponsione firmiter repromisit. Et in quantum potuit amore materno suasit filio suo, ne reverteretur in Jherusalem, et ne incideret in insidias preparatas, et ut inveniret aliud remedium redimendi genus humanum quam per mortem.

Et licet Christus de innata bonitate sua voluit libenter obedire matri sue benedicte, tamen multo magis patri suo celesti, cujus voluntate carnem

mortalem assumpsit. Audiens Judas judeos congregatos et dolens de amissione precii ungenti accessit ad eos dicens [Mat. 26,15]: *Quid vultis mihi dare?* Et posuit precium in voluntate eorum, sicut adhuc multi magis confidentes in pecunia quam in Deo. Gavisi sunt, quia promisit sine strepitu et tumultu velle eum illis tradere. Origenes: Tot denarios precii promiserunt se daturos, quot annos Christus vixit in terra.

Heu quot sunt, qui hodierna die accepto precio falsum testimonium dicunt, tradentes Christum sc. veritatem vendunt caritatem Dei et proximi violenter, non ex simplici ignorancia, sed ex mera malicia. Sed querunt opportunitatem cum Juda et judeis, quomodo Christi caritatem dolo ex corde suo ejiciunt. **[339r:]** Heu, multi sunt hodierna die, qui nec emunt nec vendunt aliquam rem sine perjurio et fallacia. Quociens quis jurat causa decipiendi, peccat mortaliter. Et sic constituebant Jude xxx denarios, et quia feria 4[a] innocens Christi caro fuit vendita, ideo boni multi christiani abhorrent feriis quartis comedere carnes. Et illo die mansit Christus in Bethania cum benedicta matre et discipulis, ut eo liberius pertractarent processum passionis sue.

Maria Magdalena cum sorore rogabant eum instanter ut comederet cum eis agnum paschalem, et hoc simpliciter negavit, quia in Jherusalem vellet pascha cum discipulis celebrare. Et juxta aliquorum doctorum assercionem pro tunc consolabatur matrem suam mestissimam assurando eam de sua gloriosa resurreccione et ascensione et spiritus sancti missione. Et Maria mater multum instetit ut manducaret ibi pascha, sicut solent dilecti amici se mutuo invitare. At Jhesus dixit tempus appropinquare, quo redimeret genus humanum.

Feria quinta sc. vigilia pasche, in cujus vespere agnus paschalis erat comedendus, post matris piam consolacionem et salutacionem dixerunt discipuli: Ubi vis ut paremus tibi pascha? Dixit: Ite in civitatem, et occurrit vobis homo amphoram aque bajulans. In quamcunque domum intraverit, sequemini eum et dicite ei quod ego volo facere pascha secum cum discipulis meis, et ipse ostendit vobis cenaculum sc. locum cenandi, et ibi parate. In superiori parte domus palestini solebant facere cenaculum et in inferiori cubiculum. Post solis occasum venit cum discipulis et ait: Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Sed notandum quando Christus cum apostolis ivit per unam viam in Jherusalem, mater ejus cum Maria Magdalena et Lazaro venerunt per aliam viam ignorantes quo divertisset, et introducta fuit in domum sororis sue Marie Zebedei. O quam triste et gemebunde quesivit dilectum suum

cito morte turpissima moriturum, et quod non potuit gustare secum ultimam cenam in hoc mundo.

Positis discipulis ad mensam Johannes sedebat juxta Jhesum in suo latere, et Jhesus scidit eis agnum paschalem et distribuit et ad comedendum eos dulciter invitavit. Et surgens de cena linteo se precinxit **[339v:]** et lavit pedes singulorum in pelvi. Cumque venisset ad Petrum, dixit Petrus: Domine, numquam lavabis mihi pedes. Cui Christus: Nisi lavero te, non habebis partem mecum. At Petrus: Domine, non tantum pedes, sed et manus et caput. Et subdidit Christus: Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavat. Vos mundi estis, sed non omnes. Exemplum enim dedi vobis. Si ego Dominus et magister lavi pedes vestros. Et fecit eis longissimum sermonem.

Et cum vidisset Judam, turbatus spiritu lacrimando dixit: Unus vestrum me traditurus est, quia eque humiliter lavit pedes furis et proditoris sicut aliorum dilectorum discipulorum, ut discamus benefacere inimicis nostris, quia est magni meriti res. Hoc cum audissent predicti discipuli, gladius dolorum perforavit corda singulorum, et cessaverunt comedere dicendo alternatim: Numquid ego sum sc. hujus rei innocentem me credo. Et subjunxit Christus: Qui intingit mecum manum in cachino sc. in parvo vase modum synapis vel siropis in cachino sc. vas fictile, in quo erat lactua agrestis confacta ad modum synapis vel siropis. Judas autem simulans se non esse comedebat audacter, quod discipuli pre tristicia non adverterunt. Petrus innuit Johanni querere quis esset. Cui querenti Jhesus respondit: Cui intinctum panem porrexero. Et porrexit Jude, et hoc nullus advertit pre tristicia nisi Johannes, et pre tristicia obdormuit in sinu Christi, ubi fluenta sacri evangelii de ipso dominici pectoris fonte gustavit.

Noluit eum Christus publice scandalizare, ne nos scandalizemus quemquam, et ut occulte peniteret prodicionem jam ordinatam. Augustinus: Disce, homo, humilitatem ab excelso. Et dicit Johannes Chrisostemus quod Jhesus primo incepit a Juda lavare pedes, et ille arroganter non renuit, sicut hodierna die arroganter acceptantes beneficia Dei diversa et de hiis omnibus ingrati. Bernardus: Terra et cinis adhuc superbe, extollis te, adhuc impatiencia tua exagitet te, respice mansuetudinem Christi et ejus humilitatem et exemplo habe Christum creatorem et redemptorem tuum prostratum ante pedes proditoris sui et dicentem [Mat. 11,27]: *Disce a me, quia mitis sum etc.*

Videns Jhesus discipulos perturbatos ex hoc, quod unus eorum esset eum traditurus, instituit eis sacramentum consolacionis: Accipiens panem etc. Similiter et calicem postquam cenavit dicens: Hic calix etc. **[340r:]**

Quibus verbis dictis facta est vera transsubstantiacio panis in corpus Christi et vini et aque in sanguinem. Et contulit illis verbis vim, quam immediate contulit apostolis et post apostolos sacerdotibus christianis legitime ordinatis dicens: Hec quotienscunque feceritis etc. Augustinus: De una pane accepit Petrus et Judas, Petrus ad vitam, Judas ad mortem. Sic adhuc hodierna die boni accipiunt sibi ad graciam consequendam, mali ad dampnacionem. Nota post comestionem intincti panis intravit diabolus in Judam, non solummodo tunc, sed primo quando accessit ad principes sacerdotum dicens: Quid vultis mihi dare? Surrexit ergo Judas, quia diabolus non permisit eum ulterius manere in illa felici societate, sicut nec hodierna die permisit suas familiares esse in ecclesia vel predicacione vel aliis divinis obsequiis.

O quam miserabilis recessus a Deo ad diabolum, a societate angelorum et apostolorum ad societatem judeorum, ab eterna beatitudine ad dampnacionem eternam. Sic omnes peccatores recedunt quasi quotidie, quorum aliquos Deus revocat donis graciarum et beneficiorum.

Queritur quare Christus juxta proprium consilium evangelicum non monuit Judam in singulare. [Mat. 18,15:] *Si peccaverit in te frater tuus etc. Vade, corripe eum inter te solum etc.* Respondetur quod Christus scivit Judam esse incorrigibilem. Vir consilium non tenet, sed ex correccione fraterna vir superatur emenda. Tunc facta est contencio inter eos, quis eorum videretur esse major. Causam contencionis eorum assignat Chrisostemus ex humana fragilitate pro principatu magisterii, quia apostoli audientes de morte Christi contendebant, quibus sic contendentibus Jhesus respondit [Mat. 20,26]: *Qui vult inter vos major fieri, erit vester minister.* Quisnam major est, qui ministrat an qui recumbit. Nonne qui recumbit? Vos vocatis me magister et Domine, et bene dicitis. Sum etenim. Vos estis qui permansistis mecum in temptacionibus, et ego dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi pater, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno patris mei.

Postea dixit: Omnes scandalizamini in me in ista nocte. Scriptum est enim [Mat.21,36]: *Percutiam pastorem, et dispergentur oves.* Gregorius: Postquam resurrexero, precedam vos in Galileam, quasi diceret: Tot mirabilia a me vidistis, quomodo alios salvos feci. Cum videritis me irreverenter tradi, captivari et non defendero, eritis sic scandalizati, quod fugietis a me ac si numquam **[340v:]** novissetis me. Petrus ceteris audacior respondit: Si omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizor. Nam paratus sum in carcerem et in mortem ire. Similiter et omnes

dicebant. Tunc Jhesus ait ad Simeoni: Amen dico tibi, antequam gallus cantet, ter me negabis. Petrus: Si oportuerit me mori tecum, non te negabo.

Postquam apostoli talia audissent, quod unus eorum traderet eum, et omnes scandalizarentur, et Petrus ter negaret eum, ceperunt inter se maxime contristari. Sed Christus Jhesus mestorum consolacio pro illorum consolacione cepit eis predicare de celesti gaudio, de missione sancti spiritus et de pace, et accipere eos ad seipsum et commendare eos patri. Predicavit eciam ipsis de triplici virtute, a qua essent recessuri. Primo de fide. Dixit: Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Credite in Deum et in me credite. In domo patris mei mansiones multe sunt. Vado parare vobis regnum. Iterum veniam ad vos. $2^o$ predicavit eis de spe dicens: Non relinquam vos orphanos. Mittam vobis spiritum veritatis. Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint. Hec locutus sum vobis, ut gaudium vestrum plenum sit, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. $3^o$ de caritate predicavit: Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem. Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Nolite mirari, si mundus vos odit. Et dixit patri: Pater, serva eos a malo, quos dedisti mihi.

Hiis dictis surrexerunt et exierunt in hortum, qui erat in fine ville Gethsemani, dicens: Surgite, eamus in pede montis Oliveti, ubi solitus sum pernoctare in orando. Chrisostemus: Locus erat competens oracioni et captioni. Oracioni quia erat solitarius, captioni ex tribus, quia primo erat ista civitate remotus, et ipsi querebant eum capere sine strepitu turbarum. $2^o$ quia erat clausus, $3^o$ quia Jude proditori cognitus. Cum introissent in hortum, in horto ut sicut Adam in horto paradisi commisit peccatum, per quod totum genus humanum captivatum est, sic Jhesus pro salute nostra in horto captivaretur.

Ibi dixit discipulis suis: Sedete hic et orate, donec orem, et vos eciam mecum oracioni insistite, ne intretis in temptacionem. Et ipse sumpsit tres alios secum, quos pre ceteris dilexit sc. Petrum, Jacobum et Johannem, et cum illis ulterius progrediens quantum jactus est lapidis, quia ipsi erant sibi familiariores aliis. Quibus dixit: O dulcissimi mei, tristis est anima mea usque ad mortem. Sustinete hic modicum, donec orem, et vigilate ne intretis in temptacionem. Chrisostemus assignat quinque causas sue tristicie, **[341r:]** prima passionis sue imaginacio, $2^a$ Jude proditoris dampnacio, $3^a$ discipulorum desperacio, $4^a$ judeorum excecacio, $5^a$ Jherusalem destruccio. Unde Ambrosius: O bone Jhesu, tu non doles nisi nostram miseriam, non tua vulnera sed nostra peccata, non tuam mortem sed nostram infirmitatem. Tristis, inquit, est anima mea, sc. tristis sum quousque preelectos meos liberabo, vel usquequo apostoli mei redeant ad

fidem, vel usquequo januam regni celestis aperiam, vel usquequo mater mea habebit consolacionem resurreccionis mee.

Cum igitur tam tristis esset, dixit ad illos 3^s^ discipulos: Sedete hic et orate, ne intretis in temptacionem. Et progressus est ab eis quantum jactus est lapidis, et procidit in faciem suam et oravit dicens: Pater, omnia possibilia sunt tibi. Si possibile est, transfer a me calicem hunc. Non tamen quod ego volo, sed quod tu. Queritur quare Christus timuit mortem, quod patrem petiit ut ab eo mortis acerbitatem transferret. Respondetur quod videmus, quanto homo est subtilioris nature, tanto minus potest sustinere, et eo magis capax est doloris, et quia Jhesus fuit subtilioris nature quam umquam fuit vel erit aliquis, ergo plus fuit susceptibilis passionum quam umquam aliquis fuit vel fiat. Et ideo aliqui doctores opinant quod una spina plus lesit eum quam unum nostrum gladius acutissimus. Racio est quod in planta pedis fuit subtilior, quam homo nunc est in oculo, et sic ventus flans plus lesit eum quam nos baculi verberacio.

Dum igitur Christus sequestratus oraret, sudavit sanguinem ut totum locum, in quo orabat provolutis genibus, sudore sanguineo irrigaret, quia dicitur Luc. [22,44]. *Et factus est sudor ejus sicut gutte sanguinis decurrentis in terram*. Nam [causa] hujus sanguinei sudoris fuit imaginacio sue passionis, quia secundum Avicennam 6$^{o}$ naturalium vehemens imaginacio de facili immutat corpus, et quia Christus vehementissime passionem suam imaginabatur, ita quod secundum Franciscum de Minorum Jhesus illa hora vidit totum processum sue passionis et omnium, qui passuri erant pro ipso usque ad novissimum diem. Propter quod tantus horror ipsum invasit, ut tota medulla ossuum moveretur, et omnia membra terroribus quassarentur exterius, et cor suum tremuit interius.

Nam dicit Marchus [14,33]: *Cepit Jhesus pavere et tedere et factus in agonia prolixius orabat*. Et secundum Luc. omnia ejus interiora ceperunt moveri, et ex tali motu et concussione mirabili sudor sanguineus **[341v:]** causabatur. Et hoc fuit racione bone complexionis, quia adeo clare complexionis erat, quod nullam superfluitatem habuit in corpore. Tunc apparuit ei angelus Domini confortans eum dicens: Constans esto, Jhesu. Jam prope est tempus, quo totum genus humanum redimere debes. Sanguis iste fuit vere et naturalis de purissima carne, et non naturaliter sed miraculose profluxit.

Nota quinque de causis sudavit sanguinem. Primo secundum Augustinum ad figurandum quod de corpore suo omnia martyria emanarent. 2$^{m}$ secundum Bedam ut per terram suo sanguine irrigatam demonstraret homines christianos sui sanguinis merito irrigari. 3$^{o}$

secundum glosam quod orans pro apostolis fidem in eis purgaret suo sanguine, et quidquid sceleris vel verecundie pro eo pertulerunt, ipse moriendo deleret. 4[o] totum hominem peccato mortuum ad vitam resuscitaret. Ideo sanguineum sudorem ad terram decurrere volebat. Si non plus de sanguine suo fudisset nisi tunc unam guttam sudoris, totus mundus ei non recompensaret, nec unquam debemus oblivisci. 5[o] propter excellentissimum amorem, quem habuit ad genus humanum.

Queritur quare indiguit confortacione angelica. Respondet Beda: Non propter se, sed propter nos. Ergo exemplo ipsius tam fervidi esse debemus in oracione nostra, quod quasi sanguinem sudare debemus per jugem meditacionem passionis Christi. Unde nota quod angelus plura confortacionis solacia exhibuit Christo dicens: Salve, Domine, Deus meus Jhesus. Oracio et sudor sanguineus Deo patri sunt oblata in conspectu totius curie celestis. Quod est voluntatis tue, est eciam patris quoad divinitatem, quia redempcio humani generis sine sanguinis effusione fieri non potest.

Post hec surgens ab oracione venit ad discipulos et invenit eos dormientes pre tristicia. Hec naturaliter facit hominem dormire. Et dixit Petro: Simeon, dormis? Non potuisti una hora vigilare mecum? Quomodo ergo vis mecum in mortem ire? Ex quo non vales vigilare, non ostendis tantum fervorem facto quantum verbo. Glosa: Merito Christus Petrum increpavit. Qui pre ceteris gloriandus est, pre ceteris enim culpandus. Iterum abiit et oravit 2[o] cum lacrimis dicens secundum Chrisostemum eundem sermonem. Augustinus dicit quod Christus in 2[a] oracione oravit pro peccatoribus, ut eos reciperet ad graciam suam. Postea autem rediit ad discipulos suos et quasi compatiens dixit eis: Dormite jam et requiescite, quasi dicens: Modicum potestis hoc facere. Et cum permisisset eos parum dormire, dixit: Sufficit. Ecce appropinquat qui me traditurus est in manus peccatorum. Surgite, eamus obviam Jude, qui me traditurus est. Et sic cum tristibus discipulis ivit ad alios **[342r:]** apostolos et invenit eos dormientes.

Et tunc venit Judas cum cohorte militum et ministris judeorum cum gladiis et fustibus et armis, ut nullus posset eum defendere et de manibus eorum eripere. Quod cum vidisset Jhesus appropinquare sibi, processit obviam eis dicens: Quem queritis? Responderunt: Jhesum nazarenum, quia secundum Chrisostemum Christus virtute divina oculos eorum excecavit, quod eum nec cognoverunt, nec eciam Judas. Cum autem dicerent: Jhesum nazarenum querimus, respondit: Ego sum. Statim ceciderunt in terram retrorsum. Item 2[o] et 3[o] interrogavit eos eundem sermonem, et iterum ceciderunt retrorsum.

Augustinus: Si una vox mansueta et unum verbum Christi in tantum terruit judeos, quid erit in extremo judicio peccatoribus, cum audierint illud terribile verbum [Mat. 25,41]: *Ite, maledicti, in ignem eternum.* Postea dixit eis: Quare tamquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me, cum quotidie sedebam apud vos in templo docens, et me non tenuistis. Et notandum quod Jhesus non permisit se cognosci, nec potuerunt eum capere ante permisit. Si ergo me queritis, sinite hos abire, quia quod dedit mihi pater, non perdam ex eo quemquam. Tunc Judas cognovit eum. Nam dederat eis signum dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est. Tenete eum. Juxta dedit eis signum, ne Jacobum Majorem pro Christo apprehenderent, quia similis Christo in facie apparebat. Cum autem Judas osculatus eum fuerat, dixit ei Christus: Amice, ad quid venisti? Amicum vocat ut seipsum agnosceret et veniam peteret. Christus dixit: Amice, quia licet me tradidisti et maledictam turbam contra me duxisti, age penitenciam, ero amicus tuus in eternum. Ecce quanta immensitas misericordie et pietatis ipsum appellare amicum, qui eum pro tam modico precio in mortem tradidit.

Dato autem osculo accesserunt et comprehenderunt eum, quod cum apostoli viderent interrogantes dixerunt: Numquid, Domine, licet nobis percutere in gladio. Respondit Jhesus: Sinite hucusque et permittite eos adimplere voluntatem eorum. Infra autem hanc interrogacionem apostolorum et Christi responsionem Petrus ceteris audacior responsionem Domini non exspectans gladio amputavit Malcho auriculam dextram, super quo sciendum est, quod gladius Petri fuit magnus cultellus aptus ad scindendum et parandum **[342v:]** carnem agni paschalis. Videns autem Jhesus quod Petrus amputasset auriculam, inclinavit se et accipiens auriculam apposuit et sanavit eam et ait Petro: Noli me defensare. Omnis enim, qui gladium accipit propria temeritate ad vindictam, gladio strictissimi judicii peribit. Ac si diceret: Si defendi vellem, rogarem patrem meum ut exhiberet mihi xii legiones angelorum. Una legio continet sex milia secentos sexaginta sex, et sunt angeli octoginta milia nongenti nonaginta duo.

Nota secundum Remigium frequenter voluerunt eum capere et non potuerunt, immo uno verbo prostravit eos et ostendit se habere verum corpus, quia non teneretur nisi homo, nec occideretur nisi homo. Bernardus: O Juda, cruenta bestia, non es ausus a malicia tua in benigno osculo, sed os in quo dolus non est, applicuisti os tuum impletum omni malicia innocentis agni, et licet Christus novit eum redditurum, non tamen repulit indignanter, sed cum magna mansuetudine dixit: Amice, ad quid

venisti? Chrisostemus: Duplici ex causa vocavit eum amicum, non quia amicus erat in veritate, sed quia signum amici ostendit. Ideo dixit ei Jhesus: O Juda, osculo tradis filium hominis. Et quia adhuc paratus erat recipere eum ad graciam. Licet offendisti me, tamen penitere et maneas discipulus sicut prius. Magis doluit Christus, quod veniam non petebat, quam in omnibus tormentis que sibi protunc fuerunt illata, doluit.

Bernardus: Et quis audit, sine gemitu cogitare potest, qualiter illa hora manus sanguinolente manus tuas innocentes strinxerunt, o bone Jhesu. Nam posuerunt catenam in collo ejus contumeliose suffocantes et trahentes eum de horto. Bernardus: Prostraverunt eum super terram et funem circa collum straverunt, quod nisi divina virtus eum preservasset, ubique eum jugulassent. Similiter et manus sibi ligaverunt, quod videntes apostoli relicto eo omnes fugierunt. Christo ligato aliqui eum in capite ceciderunt, alii cum pugnis, alii cum baculis percusserunt, et sic eum ab horto usque ad domum Anne deduxerunt.

Nota apostoli in captione fugierunt a Christo, sed in comestione agni paschalis nullus reliquit eum, nec in communione corporis. Sic, heu dolor, multi volumus esse socii consolacionis et non tribulacionis tam Deo quam hominibus. Omnes discipuli relicta vera fide recesserunt a Christo preter Maria, quod patet in accensione tredecim candelarum in matutinis trium dierum majoris hebdomade.

Et nota quod aliqui discipuli **[343r:]** sc. Petrus et Johannes, ut habetur in evangelio Nichodemi, arguentes seipsos de inconstancia reversi sunt sequentes Dominum a longe, ne suspecti haberentur. Reliqui vero discipuli, ut dicit Anselmus, currebant cum magno fletu ad Mariam, que erat in civitate in domo Marie sororis sue, matris Johannis evangeliste, et nunciaverunt ei quam dure filius ejus vinculatus et abductus est ab eis, nescientes an viveret vel mortuus esset, vel quid cum eo factum esset. Et quamvis Maria sciret quod filius ejus per mortem et passionem deberet redimere genus humanum, ex materna tamen pietate gladius compassionis ipsius animam pertransivit, ut prophetaverat Simeon, ita quod anima ejus medullitus absorpta esset, quasi exanimis est effecta usquequo, quid circa eum fieret, agnosceret.

Cum autem aliqualiter vires recepisset, sine intermissione lacrimas fudit dicens cum propheta [Jer. 9,1]: *Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrimarum, et plorabo die ac nocte.* Et sic plena doloribus cum multis mulieribus ivit ad domum Anne, in qua Christus tunc erat, sed intromissa non fuerat. Annas igitur interrogavit Jhesum de multis. Primo de discipulis, 2$^{o}$ de doctrina sua. Ad primam questionem non respondit,

quia discipulos non habuit, quia omnes eum fugiendo reliquerunt. Ad $2^{am}$ questionem respondit dicens: Ego palam locutus sum et in occulto nihil. Interroga eos qui me audierunt, quia semper docui in templo et in synagoga, ubi omnes judei convenerunt. Et cum Jhesus sic respondisset, tunc Malchus secundum glosam dedit alapham Jhesu dicens: Sic respondes pontifici. Cui Jhesus: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo etc.

Petrus et Johannes venientes ad atrium intromissi sunt, quia Johannes erat notus pontifici et introduxit [Petrum], quem videns ancilla hostiata timide incedentem dixit sibi compatiendo: Numquid ex discipulis es hominis istius? Et statim simpliciter negavit dicens: Non novi hominem. Et statim gallus cantavit. Interim autem cum isti accederent cum Christo, Petrus stabat foras in atrio, ubi ministri ignem faciebant propter frigus, et calefactiebat se, ubi cognatus Malchi $2^{o}$ dixit: Nonne vidi te in horto cum Jhesu? Tunc negavit $2^{o}$ cum juramento quod eum non novisset.

Petrus autem hec audiens non audebat diu stare inter eos, et cum vellet **[343v:]** exire ostium, videns eum alia ancilla timore exeuntem accusavit eum coram astantibus dicens: Vere tu ex illis es. Nam et loquela tua manifestum te facit. Tunc Petrus cepit jurare cum malediccione: Sic sum maledictus in corpore et anima, si novi hominem. Ecce Petrus negat et latro cognoscit, ad ostendendum quod nullus peccator debet desperare. Cum igitur Petrus sic $3^{o}$ negasset, mox gallus $2^{o}$ cantavit. Tunc respexit Dominus Petrum, secundum Augustinum non oculo corporali, sed divinitus ut corporali, sed divinitus veniret ei in mentem, quotiens eum negasset, et quod sibi Christi predixerat. Cum igitur Petrus sic cognovisset peccatum suum, egressus foras flevit amare, et ut legitur in scolastica historia, fugit in quandam speluncam occultam, que adhuc gallicantus vocatur, ubi latuit plorando, donec Christus resurrexit a mortuis et ibi sibi appareret.

Nota de negacione Petri. Primo negavit simpliciter, $2^{o}$ peccavit quia cum juramento anathematizavit, et post tantum facinus Petrus factus est janitor celi. Unde scribit Clemens papa quod Petrus extunc xxx$^{a}$ annis, quibus supervixit, post primam horam medie noctis surrexit ante primum gallorum cantu plorando oraret pro prima negacione. Ecce Petrus negavit, et peccator Petrus solum $3^{bus}$ vicibus negavit, et hoc amarissime toto tempore vite sue deflevit. Tu centum vel mille vicibus Deum peccatis tuis negasti, quotiens enim quis peccat mortaliter, Deum negat, ut vult Pelagius papa sextus.

Postea cum dies appropinquaret, duxerunt eum de domo Anne ad Caipham, quia secundum glosam tota nocte vigilaverunt, ut homicidium peragerent. Caiphas enim dederat eis consilium ut Jhesum interficerent. Fuit enim princeps sacerdotum illo anno, ubi seniores querebant falsum testimonium contra Jhesum, et cum non invenirent testimonia, propter que possunt eum interficere, extunc duo falsi testes accesserunt, qui dixerunt se audivisse, quod posset destruere templum et in tribus diebus vellet illud reedificare. Isti dicuntur falsi testes, qui mutant veram sentenciam verborum Christi. Hoc Christus dixit de templo corporis sui et non de templo materiali, ut ipsi intelligebant.

Dominus de hiis et multis aliis non respondit, et propter **[344r:]** hoc Caiphas fuit iratus et dixit: Adjuro te per Deum vivum ut dicas nobis si tu es Christus, filius Dei vivi. Unde dicit Beda quod Caiphas tantum provocavit eum ad respondendum, ut ex verbis responsionis ejus inveniret occasionem contra eum. Tunc respondit et dixit: Tu dicis veritatem, quia ego sum filius Dei vivi. Tunc Caiphas audita responsione scidit vestimenta sua dicens: Blasfemavit. Mos enim judeis secundum Chrisostemum erat, cum audirent aliquid ascribi homini, quod Deo obprobrium est sc. blasfemiam, sciderunt vestimenta sua sc. dolerent blasfemiam fieri Deo.

Tunc ait Caiphas judeis: Quid vobis videtur? Responderunt omnes: Reus est mortis. Et tunc inceperunt spuere in faciem ejus et colaphis cedere et faciem ejus velari, quia ut dicit Jheronimus, tam amabilis fulgur ab oculis ejus egrediebatur, quod aspicientes in eum non poterunt maliciam ad libitum consummare. Et ideo faciem suam velaverunt et velatam percusserunt dicentes: Prophetiza, Christe, quis est qui te percussit. Et sic eum cum baculis de angulo ad angulum fugaverunt, et sic eum usque ad horam primam martyrizaverunt.

Hora autem prima ductus est ad Pilatum vinctus, quia dicit beatus Jheronimus, quia mos judeorum erat ut quem morti adjudicaverunt, hunc vinctum judici tradiderunt. Ut igitur Pilatus videret Jhesum adjudicandum morti, ideo sibi vinctum presentaverunt. Videns autem Judas quod Christus esset adjudicandus morti, reportavit principibus sacerdotum xxx[a] denarios dicens: Peccavi tradens sanguinem justum et innocentem. Qui dixerunt: Quid ad nos tu videris. Et projectis denariis in templo abiit et laqueo se suspendit. Et fune rupto crepuit medius.

Et secundum Jheronimum Judas magis peccavit, quando se suspendit, quam in hoc quod tradidit Christum, quia in tradendo peccavit contra ejus voluntatem et suspendendo contra divinam clemenciam, quod fuit peccatum in spiritum sanctum. Reportatis autem denariis a Juda dixerunt

principes sacerdotum: Non licet mittere eos in **[344v:]** carbonam sc. in locum, ubi alie oblaciones sunt, quia precium sanguinis est. Et invito consilio emerunt ex eis agrum figuli in sepulturam peregrinorum, et vocatus est ager ille Acheldemach sc. ager sanguinis usque in hodiernum diem.

Cum ergo presentatus esset Jhesus Pilato, exivit ad eos quia non intraverunt pretorium ne contaminarentur, quia gentilis erat. Unde Anselmus: O magna cecitas judeorum, pretorium timebant intrare, sed sanguinem innocentem non timuerunt condempnare. Cum igitur Pilatus exivisset ad eos, dixit: Quam accusacionem affertis adversus hominem istum? Videbat enim Christum ligatum in signum dampnacionis. Ideo querebat de causa, quia non erat consuetudo romanorum condempnare aliquem, nisi prius sciret causam sue condempnacionis. Unde dicitur Actis 12. Et ideo Pilatus voluit modum romanorum tenere. Judei responderunt: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum, quasi dicerent: Non est necesse quod queras causam, quia sine causa nullum volumus tibi presentare.

Videntes autem quod Pilatus vellet scire causam, dixerunt: Invenimus hunc subvertentem gentem nostram et facientem discordiam in populo a Galilea usque huc, $2^{o}$ prohibentem tributa dari cesari, $3^{o}$ dicentem se Christum regem esse. De primo non curavit Pilatus sc. de subversione eorum, quia non erat judeus, sed gentilis. Non de $2^{o}$ curavit, quia scivit hoc esse falsum. Audierat enim per communem famam quod Christus respondisset phariseis ipsum temptantibus [Mat. 22,21]: *Reddite que sunt cesaris cesari, et que sunt Dei Deo.*

De $3^{o}$ intromisit se, quia videbatur sibi contra honorem et preceptum cesaris esse. Imperator enim abstulerat judeis regnum, ideo quesivit Pilatus de regno ejus dicens: Tu es rex judeorum? Quasi dicens: Est non hoc verum quod tu velis usurpare tibi regnum hoc contra voluntatem cesaris? Respondit Jhesus: Regnum meum non est de hoc mundo. Si enim esset de hoc mundo, ministri mei decertarent mecum, ut non traderer judeis. Et ideo quia dixit: Regnum meum non est hic etc., ideo intulit Pilatus dicens: Ergo rex es tu? Quasi diceret: Ex quo concedis te esse regem regni non pertinentis ad imperatorem. Declama ergo mihi, ubi est regnum tuum? Respondit Jhesus: Ego ad hoc **[345r:]** natus sum ut testimonium perhibeam veritati sc. docendo et seminando veritatem in cordibus fidelium, et omnis qui est ex veritate, audit verba mea, quia illa, que vera sunt, loquor.

Tunc Pilatus dixit: Quid est veritas? Jhesus ei non respondit, quia si declarasset ei veritatem, resolvisset eum, Pilatus autem non curasset responsionis causam, quia erat de regno spritualium. Ipse autem non habebat se intromittere nisi de temporalibus. Ideo pretermissa solucione voluit procedere ad ejus liberacionem. Et quoniam audivit quod galileus esset et de potestate et dominio Herodis, qui tunc erat in Jherusalem propter pascha quia erat judeus nacione, misit eum ad Herodem ut eum liberaret.

Cum ergo Herodes vidisset Jhesum, gavisus est valde et sperabat aliquod signum videre ab eo. Longo enim tempore cupiebat eum videre, multa enim audierat de eo et de fama ejus. Unde rex propriam coronam posuit super caput ejus promittens sibi, si signum faceret, quod promoveret eum in principem et heredem regni sui constitueret. Sed Jhesus nullum signum ostendit ei, quia nolebat liberari. Herodes ergo interrogavit de multis. Primo si esset iste puer, quem pater suus volebat occidere, 2º si ille mortuos illos sc. Lazarum et filium vidue et puellam suscitasset, 3º si Marie Magdalene peccata sua dimiserat, 4º si cecum illuminasset, 5º si infirmum circa piscinam curasset, 6º si ipse quinque milia hominum de quinque panibus et duobus piscibus saturasset.

Jhesus autem nullum verbum respondit Herodi, et hoc secundum Jheronimum ne absolveretur, quia unico verbo potuisset se absolvisse. Cum autem non responderet, Herodes credebat eum esse fatuum, et indutum veste alba sc. muliebri ad modum fatui remisit eum Pilato. Et tunc Herodes et Pilatus facti sunt amici propter honorem sibi exhibitum.

Hora igitur 3ª fuit dum Christus remitteretur Pilato. Tunc convocatis principibus judeorum exivit Pilatus **[345v:]** 2º ad eos et ait: Intulistis mihi hominem hunc quasi avertentem populum et prohibentem tributum dari cesari et dicentem se esse regem. In istis eum non invenio reum, nec Herodes, quia remisit eum ad vos. Quod judei audientes de novo accusabant eum, primo quod non esset de Deo, sed ex diabolo, quia habuit demonium, ut habetur Joh. 7. 2º quia blasfemaverat Deum dicendo se filium Dei esse. 3º quia fecerat se prophetam, cum tantum in Galilea nullus propheta surgeret, ut dicitur Joh. 7. 4º quia non custodiret sabbatum, 5º quia erat unus seductor populi. Et in multis aliis eum accusabant in tantum, quod dicit hic glosa, quod ista crucifixio lingue fuit major quam crucis.

Ideo Marcus dicit quod Christus sit crucifixus hora 3ª, Lucas vero hora sexta. Uterque verum dicit, quia secundum beatum Augustinum hora 3ª Christus crucifixus est linguis judeorum, hora sexta manibus militum. Jhesus vero nihil respondebat ita ut miraretur preses vehementer.

Postquam Pilatus volens eum 2º liberare de manibus eorum, proposuit eis consuetudinem eorum quod propter diem festivum dimitteretur unus, quem petebant. Proposuit ergo quod Jhesum dimitteret eis vel Barrabam. Erat aute Barrabas latro, qui propter homicidium, quod fecerat in civitate, missus erat in carcerem.

Interim autem quod hoc proponeret eis, uxor Pilati nomine Procula misit ad eum nuncium dicens: Nihil tibi et justo illo. Multa enim passa sum propter illum in hac nocte. Unde secundum Rabanum diabolus ex hoc, quod patres in limbo exultaverunt tempore passionis Christi, cognovit quod per mortem Christi genus humanum debebat redimi. Ideo diabolus apparuit uxori Pilati in nocte per visum et incitavit eam ad liberacionem Christi. Interim autem quod nuncius uxoris Pilati loquebatur ei, principes judeorum suaserunt populo ut peterent Barrabam. Cum igitur Pilatus 3º exivisset et interrogavit, quem sibi dimitti vellent, clamabant omnes: Dimitte nobis Barrabam.

Unde sciendum quod judei non peccaverunt in petendo et liberando Barrabam, sed in preferendo eum innocenti. Juxta illud Augustinus: **[346r:]** Non reprehendimus vos, o judei, quia per pascha liberatis nocentem, sed quid occiditis innocentem? Postquam autem petivissent Barrabam, dixit Pilatus: Accipite eum vos et crucifigite. Ego non invenio causam in eo, propter quam sit crucifigendus. Ideo vos crucifigite eum. Responderunt: Nobis non licet interficere quemquam, sed legem habemus, et secundum legem mori debet, quia filium Dei se fecit.

Cum igitur semper magis ac magis clamarent: Crucifige hunc et dimitte nobis Barrabam, fecit Christum ligari, quem ita horribiliter strinxerunt, quod sanguis ab ungulis penetravit. Et postquam flagellaverunt eum in dorso solventes manus ejus dorsum versus statuam verterunt, et manus retrorsum sicut prius ligaverunt et totam partem anteriorem simili modo sicut dorsum flagellaverunt. Nec faciei, nec alicui parti corporis pepercerunt, sed indifferenter verberibus repleverunt, ita quod in toto corpore ejus non erat locus, in quo erat sanitas, secundum Bernardum, preter lingua propter duas causas. Primo propter hoc ut pro suis crucifixoribus oraret, 2º ut matrem suam dilectam discipulo suo predilecto recommendaret. Cumque deponeretur de statuo, adherebat cutis statue, et tunc induerunt eum vestem purpuream vel vestem coccineam, plectentes coronam de spinis et imposuerunt capiti suo, ita quod secundum Bernardum ex punccione spinarum Jhesus recepit in capite suo mille vulnera.

Postea dederunt arundinem in manu ejus pro sceptro regali, et genua ante ipsum flectebant dicentes: Ave rex judeorum. Jhesus igitur sic illudebatur, quia imponebatur sibi quod regnum usurpare vellet. Ut ergo reus ostendebatur crimine lese majestatis, induebatur purpurea, qua reges utebantur, in capite corona spinea, pro sceptro arundo. Hec enim tria sunt signa regalia. Quia ergo regnum, ut dixerunt, usurpare voluit sed non potuit, ergo hiis tribus illusus fuit. Deinde Pilatus sic vestitum, sic coronatum, sic flagellatum eduxit foras dicens: Ecce rex vester.

**[346v:]** Tunc omnes clamaverunt: Regem non habemus nisi cesarem. Crucifige, crucifige eum. Cum igitur Pilatus reduceret eum ad pretorium, dixit ad eum: Quis es tu? Quia invenitur in quibusdam codicibus, quod in introitu pretorii Pilati fuerunt xii vexilla xii tribuum Israel posita, et hec Christo egrediente et ingrediente inclinabant se[136] quasi creatori suo compatiendo, ex quo homo non sibi compatiebatur. Quod cum Pilatus videret, dixit: Quis es tu? Querens si esset de origine Dei.

Jhesus autem non respondit ei verbum, et hoc secundum Augustinum propter tres raciones. Prima quia Pilatus fuit gentilis et cultor idolorum. Ergo divinam responsionem capere non potuisset. 2[a] racio quia nolebat potenciam Pilati impedire et per consequens humani generis redempcionem. 3[a] ut impleret prophetata Is. 53[,7] de se scripta: *Sicut ovis ad occisionem ducitur, non aperit os suum.* Cum autem Jhesus Pilato non responderet ad istam questionem, dixit: Mihi non loqueris. Nescis quia potestatem habeo crucifigere te et potestatem habeo dimittere te? Tunc respondit Jhesus: Non haberes potestatem in me, nisi tibi datum esset desuper a principibus romanis et ulterius permissum a Deo, et quia non accepisti potestatem a cesare et a Deo innocentes condempnandi, et ideo graviter peccas, sed tamen majus peccatum habent illi, qui me tradiderunt tibi.

Et bene posset dicere quod illi plus peccaverunt, quia Judas peccavit motus cupiditate, judei invidia et rancore et Pilatus humano timore. Deinde Pilatus voluit eum dimittere tam propter facta, que viderat, et persuasionem uxoris sue, quia scivit quod per invidiam tradidissent eum. Quod videntes judei clamaverunt: Si hunc dimittis, non es amicus cesaris, quia omnis qui se regem facit, contradicit cesari. Pilatus autem audiens hoc magis timuit hominem quam Deum. Chrisostemus: Facilius deviat a justicia, qui in causis non Deum, sed hominem timet. Et accepta aqua lavit manus suas coram populo dicens: Innocens ego sum a sanguine justi hujus. Bernardus: O Pilate, si tota aqua maris et omnium fluminorum fontes et pluviarum tibi

[136] cf..f.. 39v[2], where the roman eagles bow down before Christ

fuissent, numquam lavasses te coram Deo, quia scivisti **[347r:]** quod per invidiam tradidissent eum.

Et nota quod 3$^{s}$ persone male dedissent Christo testimonium innocencie. Primo Judas dicendo: Tradens sanguinem justum. 2$^{o}$ uxor Pilati dicens: Nil tibi et justo illi. Multa enim passa sum per visum etc. 3$^{o}$ Pilatus dicens: Innocens ego sum a sanguine justi etc. Ecce quia scivit et dixit eum esse justum, ideo non excusatur a peccato, sed graviter peccavit, sed minus tamen quam Judas vel judei, ut dictum est.

Tunc respondit universus populus: Sanguis ejus super nos et super filios nostros sc. ulcio sanguinis ejus sit super nos. Et hoc habent inde judei omnes, qui sunt de semine eorum, qui fuerunt causa mortis Christi, habebunt fluxum sanguinis. Sed si convertantur et baptizantur, cesset infirmitas illa, et hoc est magnum testimonium fidei nostre. Et tunc Pilatus sedit pro tribunali, dimisit eis Barrabam, Jhesum autem tradidit eis ut crucifigeretur. Ut dicit Bonaventura quod illa die erat dies fori, et data sentencia Pilatus per nuncios vociferentes in omnibus plateis et stratis precepit preconizare, ut excitaretur populus et concursus fieret ad locum crucifixionis, dicendo: Exite, exite, habitatores Jherusalem. Jhesus iste seductor et falsus propheta ducetur ad crucifigendum. Gaudete.

Et facto concursu hora quasi sexta susceptum Jhesum cum duobus latronibus, quos secum crucifixerunt, unum a dextris et alium a sinistris, duxerunt extra civitatem et crucem xv pedum humeris ejus imposuerunt. Et cum non potuisset portare, sed caderet ad terram, coegerunt quendam Simeonem Cyreneum venientem de villa, qui cum esset justus, timuit portare crucem Jhesu, non quia vercundebatur, sed ne daret occasionem ad mortem Christi. In quantum Christo erat juvamen, libenter hoc fecit. Tunc adimpleta fuit prophecia David dicens [Hab. 3,4-5]: *Ibi abscondita est fortitudo ejus, ante faciem ejus ivit mors*.

Cum autem educeretur, sequebantur viri et mulieres et pueri, **[347v:]** et tunc aliqui trusserunt eum cum pedibus, aliqui jactaverunt cum lapidibus, aliqui traxerunt eum retrorsum. Et dicit Anselmus quod pueri projecerunt lutum in eum, et ideo Jhesus conversus ad eas mulieres ipsum sequentes et flentes dixit: Filie Jherusalem, nolite flere super me, sed super vosipsos et super filios vestros flete, quia lutum projiciunt super me, quia si in viridi hoc faciunt, sc. in puericia hoc faciunt, in etate quid fiat? Vel aliter: Si in viridi sc. in me unigenito Dei filio unico, in arido sc. in sanctis meis quid fiat?

Cum ergo venisset ad locum crucifixionis, spoliaverunt eum vestibus suis. Et dicit Bonaventura quod vestis illa, quam in nudo corpore habebat,

erat congelata vulneribus, et cum ista tunica cum violencia extraheretur, rupta fuerunt sibi omnia vulnera, et sic sua passio taliter fuit sibi innovata. Et nota quod fuit indutus triplici veste: Alba sc. innocencie qua quilibet bonus est induendus, veste rubea martyrii quam quilibet appetere debet et in corpore suo portare, coccinea veste sc. penitencie quam omnes peccatores debent portare humiliter.

Et nota secundum Bernardum: Cum enim Christus positus erat in lapide circa crucem, aliqui maliciosi crines de barba ejus, aliqui de capite extraxerunt, et crucem posuerunt super terram et fecerunt tria foramina disconveniencia corpori, et tunc secundum Bonaventuram dure et sine misericordia projecerunt eum super crucem, et primo clanum magnum et obtusum concutiebant in una manu et cruci affixerunt, et inde rupti sunt omnes nervi corporis, ita quod alia manus non potuit attingere foramen, et sic funibus aliam manum traxerunt ad aliud foramen, quod multum distabat, et cruci simili clano obtuso confixerunt. Demum simili modo pedes, qui propter contraccionem nervorum non potuerunt attingere vix ad cubitum ad foramen inferius, et unum pedem super alium clano obtuso cruci affixerunt, et sic eum extenderunt sicut cutis in arcu, ita quod omnia membra ejus et juncture apparerent.

Postea erexerunt crucem et crucifixerunt duos latrones, unum a dextris et alium a sinistris, medium autem Jhesum, ut impleretur scriptura que dicit [Luc. 22,37]: *Cum iniquiis deputatus est.* Cum autem crux elevata esset et violenter projecta in lapidem, secundum aliquos doctores propter ponderositatem **[348r:]** corporis omnia vulnera de novo rumpebantur, et tunc primo sanguis cepit fluere de manibus et pedibus ejus, et tunc Jhesus cepit flere amarissime. O miser peccator, nunc fleas cum Jhesu. Tu enim causa est ejus passionis. Quare flevit? Propter duas causas. Primo quia sua passio in multis peccatoribus deberet frustrari, 2^o^ quia multi erant ingrati de suo magno dolore.

Post hec 4^or^ milites eum crucifixerunt et erant familiares Pilati, qui propter magnam summam pecunie, quem judei dederunt eis, hoc fecerunt. Ideo dixerunt judei: Nobis non licet interficere quemquam. Et sic diviserunt vestimenta sua mittentes sortem juxta propheticum dictum [Ps. 21,19]: *Diviserunt sibi vestimenta mea etc.* Tunicam inconsutam non diviserunt, quia dividi non poterat. Ideo sortiti sunt pro ea. Et quia mos erat judeis quod causam dampnacionis et mortis cujuslibet patibulo affigerent, ideo Pilatus fecit scribi titulum literis grecis, hebraicis et latinis, cujus interpretacio est: Jhesus salvator mundi, nazarenus, innocens [rex judeorum?]. Rex propter nobilitatem generis quia de stirpe Jesse radix

David, rex regum et dominus dominantium, judeorum propter affinitatem. Fuit enim de stirpe eorum et multa beneficia ejus ostendebat.

Et ideo hunc titulum scripserunt, ut hii qui ad festum convenerunt, possent legere et scire causam dampnacionis ejus. Judeis autem hoc displicuit, quod scripsit rex judeorum. Voluissent enim quod mutasset et scripsisset, quod dixit se esse regem judeorum. Tunc ait Pilatus: Quod scripsi, scripsi, sc. non hoc mutabo.

Postquam autem Christus erectus esset cum cruce et titulus affixus, mansit adhuc populus, aliqui ut viderent finem mortis, aliqui ut deriderent, aliqui moventes capita sua dixerunt: Vauh, qui destruis templum Dei et in tribus diebus reedificas illud. Alii autem dixerunt: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Alii: Si filius Dei es, descende de cruce, et credimus tibi. Nota quod tres sunt cause, quare Christus noluit descendere de cruce. Prima quia hec peticio causabatur ex instinctu diaboli, quia sentiebat vires suas annullari. 2ª quia aperte mentiebantur, quia dixerunt: Et credimus ei, **[348v:]** quia major potestas erat de sepulchro surgere post mortem quam vivus in cruce. 3ª quia non est prudentis aliquod opus inchoare et dimittere incompletum sc. opus nostre redempcionis. Nam in glosa Thob. 6º legitur demonem stetisse super brachium crucis et considerasse, an Christus haberet animam peccato maculatam. Post hec Jhesus, qui pauca locutus erat coram illis, et alias septies. Primo orando pro crucifixoribus dicens: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Intellige illa verba septem in priori sermone de passione Domini. [Thren. 1,12:] *O vos omnes, qui transitis per viam,* quasi in fine sermonis.[137]

Manibus ligatus apposuit Malcho auriculam, qui tamen Malchus primus fuit in percutiendo os suum. Sed alii sequentes sexaginta ictus dederunt in collum ejus. Et xxª ictus ad os suum, et vicesies exspuerunt in faciem ejus, septies prostraverunt eum ad terram et totiens levaverunt eum per crines et barbam.

Item numerus comprehendentium eum fuerunt quadringenti armigeri equites et ducenti pedestres. Item xxxª sagittarii et lxª portantes faces. Item portantes lucernas fuerunt quinquaginta. Gethsemane erant 640 homines homines. Insuper Caiphas precepit omnibus judeis in Jherusalem, ut equestres et pedestres deberent vallare montem Oliveti ad venandum eum.

---

[137] f.. 281r

O christiane, diligenter nota de $3^{bus}$ acerbissimis doloribus cordis Jhesu Christi inter ceteros, ipso miserabiliter in cruce pendente. Primus dolor fuit de matris sue predilecntissime dolorosissima compassione. $2^{us}$ de dispersione suorum discipulorum et ingratitudine dampnandorum. $3^{us}$ fuit dolor cordis Jhesu Christi in hora sue mortis, quando omnium membrorum dolores cordi ejus appropinquabant.

revelet et perseveret in oracione. Bernardus: Magna est virtus pure oracionis, quia est quasi quidam nuncius celum intrans ad Deum.

$5^{m}$ est quod si homo vere diligit Deum et libenter ei servit in bonis operibus, quia dileccionis probacio est operis exhibicio. $6^{m}$ est quia homo pro amore amici non timet sustinere paupertatem, tribulacionem temporalem, nec ipsam mortem. Joh. $4^{o}$ [1.Joh. 4,18]: *Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem.* $7^{m}$ est quod homo mandata Dei servet sive Domini sui, unde [Joh. 14,15]: *Si diligitis me, mandata mea servate.* Item [Joh. 15,14]: *Vos amici mei estis etc.*

Nota quod in quintuplici specie visibili spiritus sanctus missus est. Primo in specie columbe super Christum baptismatum. Luc. [3,22]: *Descendit spiritus corporali specie.* $2^{o}$ in specie nubis lucide super Christum transfiguratum. Mat. [17,5]: *Adhuc eo loquente ecce nubes lucida.* $3^{o}$ in specie flatus. Joh. [20,22]: *Insufflavit et dixit eis: Accipietis spiritum etc.* $4^{o}$ in specie ignis, $5^{o}$ in specie lingue, et ideo missus est hodie ad consolandum mestos, ad vivificandum mortuos, ad sanctificandum immundos, ad confirmandum amorem inter discordes, ad salvandum justos et ad docendum ignaros per predicatores.

Et nota quod triplex est ignis. Est enim ignis, qui cruciat et non purgat ut ignis jehennalis. Eciam est ignis, qui cruciat et purgat ut ignis purgatorii. Eciam est ignis qui purgat et non cruciat, ut hodie spiritus sanctus apparuit in specie ignis discipulis suis. Item nota quod tria sunt, que preparant hominem ad suscipiendum spiritum sanctum. Primum est mentis purificacio, $2^{m}$ est profunda humiliacio, $3^{m}$ est mentis tranquilla vacacio.

Nota quod $4^{or}$ sunt adhuc, que preparant animam ad suscipiendum spiritum sanctum. Primum est evacuacio peccatorum per veram penitenciam et humilem confessionem, quia spiritus sanctus non habitat in corpore subjecto peccatis mortalibus, nec in corde immundo. Hoc figuratum est Numeri $viii^{o}$ [Gen. 8,8-9], ubi *Noe emisit columbam de arca, que dum non invenisset, ubi pedes ejus requiesceret, reversa est ad arcam* propter inundacionem aque. Per Noe signatur Deus Pater, qui emisit

columbam **[296r:]** sc. spiritum sanctum de arca sc. de celo, qui dum non invenisset ubi requiesceret propter peccata, reversus est etc. 2^m^ est oracio magne dignitatis apud Deum eo quod angeli eam Deo offerunt. 3^m^ est jejunium. Unde laudabilis consuetudo est abstinere se a crapula, que generat luxuriam.

4^m^ est auditus verbi Dei. Unde Act. [10,44]: *Adhuc loquente Petro cecidit spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum Dei.* Et ideo spiritus sanctus potest vocari consolator. Nam omnes consolatur spiritus sanctus, sed tamen non illos, qui habent hic bonam consolacionem. Istis potius malediccionem, sicut sunt divites, qui habent hic consolacionem per superbiam suam. Sicut dicitur Luc. [6,24]: *Ve vobis divitibus, qui hic habetis consolacionem.*

Modo nota hic de utilitate adventus spiritus sancti. Primo habemus magnam utilitatem, quia animam ligatam catenis et funibus diaboli solvit. Hoc figuratum habemus in Sampsone [Judic.] xv, ubi legitur quod quodam tempore venit visitare uxorem suam. Audiens pater ejus dedit uxori ejus alterum virum putans quod Sampson odiret eam. Ipse vero audiens [Judic. 15, 3-5]: *Non mea culpa contra philistiim, faciam vobis omnia mala. Et ivit et cepit trecentas vulpes et fauces eorum ligavit ad caudas eorum* et misit eas in segetes eorum. Auditis hec filiis Juda dixerunt ad Sampsonem: Nostis quod propter philistiim *venimus te ligare.* Quibus ille [Judic. 15,12-13] *Jurate mihi, quod me non occidatis. Non te occidamus, sed vinctum trademus* te in manibus eorum. Et ligaverunt eum duobus funibus novis. Quem cum tradidissent eis, voluerunt eum occidere. Irruit in eum spiritus Domini, et ruptis funibus occidit ex eis mille viros cum mandibula asini.

Per Sampsonem intelligitur quilibet peccator, qui habet philisteos sc. demones, quorum funibus sc. peccatis ligatur. Isti autem sunt funes, qui trahunt hominem in peccatum cogitandi, vinctum in consensum, de consensu in locucionem, de locucione in operacionem, de operacione in consuetudinem, de consuetudine in desperacionem, de desperacione in contemptum. Sed cum jam peccator **[296v:]** ligatus est, tunc veniens spiritus sanctus solvit omnia ista, et sic evadit ex adjutorio spiritus sancti.

2^o^ quia hominem fortem facit ad resistendum diabolo et malis temptacionibus. 3^o^ quia fortificat hominem actibus suis, qui ante fuit debilis. Exemplum habemus in beato Petro. 4^o^ facit hominem securum in tribulacionibus quasi leonem, ut patet de sancto Paulo. 5^o^ spiritus sanctus est ductor animarum nostrarum ad regnum celorum. Exemplum: Ignis dura mollia facit sicut aurum, argentum et ferrum, sic spiritus sanctus dura

corda mollia facit per dileccionem Dei et proximi et per veram contricionem.

Sequitur figura vel miraculum de spiritu sancto. Legitur quod in India est quidam piscis, qui habet talem naturam, quod de mane transit ad littus maris et ibi exspectat rorem celestem et calorem solis, et ex tali calore et rore celesti concipit et parit ex se unam gemmam preciosam. Mistice per piscem potest intelligi homo, qui in mare hujus mundi unda perturbacionis hinc et inde procellitur sicut piscis. Per Indiam potest intelligi illuminacio spiritus sancti, quia India interpretatur concessio illuminans.

Unde iste piscis sc. homo est in India, quando ex illuminacione spiritus sancti incipit cognoscere peccata sua necnon suam fragilitatem. Per littus sive terram potest intelligi beata virgo Maria, ad quam debet homo transire per devotam oracionem exspectando rorem celestem sc. graciam spiritus sancti et calorem solis sc. caritatem Dei, et ex tali rore sc. gracia spiritus sancti et calore solis sc. caritate Dei concipiat et pariat ex se unam gemmam valde preciosam sc. animam Deo devotam. Et tantum de illo sermone.

# INDICES

## ABBREVIATIONS

ap. = apostolus     ev. = evangelista     fig. = figura
sign. = significat     S. = sanctus
BVM = beata virgo Maria     JC = Jhesus  Christus

## INDEX OF BIBLICAL QUOTATIONS

Frequently the text gives wrong references to the book and chapter of a quotation. As far as I could find out . I have placed the quotations in their proper context with a reference to how the text placed them. “Genesis 3,19 (Job)” means that in the text Job is the author. In this index under Job is noted “vide Gen. 3,19”

In some cases the text only mentions *apostolus*. This usually means Paulus, but I could not always find the quotation in the Vulgata. P. 221 Paulus should have said *agens et consentiens pari pena puniantur* and p.28 he can claim a moral: *melius est esse pauci et utiles quam multi et inutiles.* Moreover on p. 622 a piece from Sapiencia 1,11 is attributed to him. In the same way Salomon warns p. 191 and p.397 :*consilium stultorum evites*. This would actually fit well in the Proverbs and may have done so in some bible manuscript. But that is hardly the case when Salomon on p. 577 acquires quotation from Ecclesiasticus 22,10

On biblical quotations cf. also p.8

GENESIS
1,31;257
2;639
2,16-17;621
2,17;307
2,18;612
3, 3;639
3, 4-6;643
3, 5;328;360;632
3, 6;186;313
3,15;489
3,16;418;588
3,17;294
3,19;74;131;241;418;450
3,19 (Job);445
4,10-11;294
4,13;156;213;630
6,14;576
8, 8-9 (Num. 8);569
8,11;205;242
9, 5;29
9, 6 (1);264

12,13;252
14,21;445;622
16, 8;451
24;441
24,63;312
26,13;400
27,27;295
28,12;260
37,23;297
37,35;482
43, 3;29
48,22;191
49, 9;625
49,32;311
50;190

EXODUS
3;590
3, 2;165
3, 7-8;439
9,29;186;311
12, 7;300
15, 9;444
15,25;298
16,33;592
20, 3;139
20, 8;154;341
20,12;299
23,20;296
32, 6;378
32,19;154
33,13;45

LEVITICUS
12;217;292
12, 3;211
17,14;322
19,26;139
20,12;419
23,40;243

NUMERI
Num. 8 - vide Gen. 8,8-9;569
17;307
21, 6-9;300
24,17;438;574
24,17-19;509

DEUTERONIMI
4,39-40;155
5,10 et Mat. 19,19;245
5,16;334;432
8, 5-6;153
21,22-23;556
21,23;546;603
26, 7;204
26, 7-8;641
32, 5 et 19;37
32, 6;325
32,11 (Ps.);221
32,14;38
32,29 (Ps.);402
32,32-33 (12);207
32,35;115
32,39;439;617

JOSVE 7.;198

JUDICUM
Judic.;146
4;587
15;569
15,12-13;569
15,3-5;569
16;640
18,10;267

RUTH 1,20;483

1. REGUM
1,15;315
2, 3;226

2, 4 (Ps.);237
2,35;42
15,22;622
17,33;395
17,45;282
25;308

2. REGUM
2. Reg.;482
3,31 et 38;485
6;294
18,33;550

3. REGUM
8;271
2,20;202;550
8,30;151;272;583
8,33-34;451
8,38-39;449
9, 3;448;450
9, 3?;448
10;38
10, 6-7;504

4. REGUM
5 .;193
13, 5;210
20;510
25;640

1.PARALIPOMENON 29,17;214

2. PARALIPOMENON
7, 5;270 - 36;640

1. ESDRE 6,16-18;271

THOBIAS

1, 6-7;215
3,16;460
4, 7;79;595
4, 7-12;215
4,11-12;32
4,89;207
5,12;440
5,23;315
6;663
12,20;225

## ESTHER

2;275
5, 3;275
8,16;253
10, 9;642
15,17;601

JOB

1;259
1,1-3;398
1,21;131;346;356;443;547
3, 3;165
4,19;583
9;74
10,20;267
10,20-21;425
10,22;34;444
14, 1;453
14, 2;401
14, 4;450
15,25;154
16,12;444
16,19;297
19,21;33;317;578
19,25-27;635
20,22;267
20,27;270
21,13;141
24,19;164;447
26, 5;219
26,12;324
29, 3;600
30,19;451

31, 1;280
31,32;422
34 ?;210
40,18;88
40,24;299
41 ?;195;207;278
- vide Eccli. 41,7;160;403
- vide Gen. 3,19;445
- vide Thren. 3,44;595

PSALMORUM

1, 1;556
2, 5;227
3, 6;625
5, 7;231;399
5, 8;292
6, 3;150
6, 7;203
8, 3;645
8, 6;222;326
8, 8;131;362
8,31;375
9, 7;426;443
9,18;559
11, 6;543;634
12, 4-6;176
14, 1;147
15,10;545;603;625
15,11;601
16, 3;198
16, 4;153
17, 6;85
17,12;28
17,17;227
18, 7;558
20, 3;242
21, 2;175
21, 7;555;639
21, 8;555;639
21,15;555
21,17;478;555
21,18;153
21,19;662
21,23;45
22, 4;262;410;487;600

22, 5;38
23, 8;303;571
23, 9;120;121
23,10;121
24, 2;284
24, 4;410
24, 6;462
24,16;545
25, 8;267
26,10;227
28,11;210
29, 2;122
30, 6;175;176
30,13;152;426;443
30,16;42
30. 2 et 6;296
31, 1;579
32, 5;90
32, 6;231
33, 6;399
33,14;280
33,22;167;403
35, 2-8;70
36, 4;262
36,24;236
36,28;613
37,12;319;443
37,13;186
37,18-19;155
37,23;490
38, 4;43
38, 5;176
39,18;228
40,11;538
42, 3;462;490;600
44, 3;132;498
44,11;554
44,11-12;101
46, 6;303;304;559
46,10;151
48,13;639
48,17-18;244
49, 6;270
50, 5;155
50, 6;307
50, 7;354;395

50,12;35
50,19;170;248;449
50,19:;403
54, 5;258
54, 6;259
54,15;38
54,16;307
55, 3;602
55,13;555
56, 2-3;642
56, 4;227
57, 2;331
61,11;198;422
61,12-13;226;571
64, 5;228;584
67, 2-4;183
67,19;544;560
68, 4;257
68, 5;280;638
68,21;547
68,22;478
69, 2;235
71,  9;520
71,10;516
72,19;640
72,23;189
72,27;639
73,16;257
74, 9;38
75,12;437
77, 2;226
77,25;610
77,36;399
79, 4;462
81, 5;598
81, 7;428
82,19;226
83, 5;273;281;449;452;577;584
83, 8;626
83,11;228
84, 2;294;589
84, 8;284
84, 9;227
84,12;294
84,14;445
85, 1;422

85,10;197
85,15;630
85,17;176
88,15;445
90, 7;86
90,11;263
90,13;489
90,15;131;204;231;383
92, 5;273;584
93,19;634
94, 4 (Eccli. 10);225
94, 6-7;285
94, 8;188
95, 5;233;235
96, 9;225
96,10;568
98, 7;226
99, 2;572
100, 7;147
101, 7;298;314
102,22;225
104,15;42
106, 6;641
106,10 (Is.);640
106,14;176;440
106,18-19;643
107, 2;418
108, 2;508
108,21-22;490
111, 3;273
112, 7;134
113, 3;225
115,11;622
115,15;167;403
115,16;555
115,17;176
117,20;147
117,24;222;439;543
118, 1;54
118,10;35
118,103;344
118,109;131
118,137;263;270
118,37;153
118,50;230
120, 4;625

120, 8;101
121, 4;304
123, 7;440;578
125, 6;262
128, 1;236
131,14;451
134,16;256
136, 1;263
138, 7;270
138, 8;165
138,14;41;195
140, 2;214;285
141, 5;444
141, 5-6;176
143, 5;462;490
143, 7;490
144, 9;627
144,13;226
144,20;568
145, 2;39;566
145, 2-3;622
149, 1;122
149, 9;250
- vide 1. Reg. 2,4;237
